JOSEPHUS GREDT

ELEMENTA PHILOSOPHIAE ARISTOTELICO-THOMISTICAE

IOSEPHUS GREDT O.S.B.

ELEMENTA PHILOSOPHIAE

ARISTOTELICO - THOMISTICAE

Editio decima tertia recognita et aucta ab
EUCHARIO ZENZEN O.S.B.

VOLUMEN I

LOGICA
PHILOSOPHIA NATURALIS

SUMPTIBUS HERDER
BARCINONE — FRIBURGI BRISGOVIAE — ROMAE — NEO EBORACI
MCMLXI

IMPRIMATUR: Augustae Trevirorum die 17 augusti 1960
† BENNO GUT O. S. B. abbas primas

NIHIL OBSTAT: Dr. GABRIEL SOLÁ BRUNET
canonicus, censor deputatus

IMPRIMATUR: Barcinone die 31 maii 1960
† GREGORIUS, archiepiscopus-episcopus Barcinonensis

De mandato S.E. Rdmae.
ALEXANDER PECH, pbter., cancellarius a secretis

© *Editorial Herder, Barcelona (España) 1961*

N.º registro 3440 - 60

ES PROPIEDAD DEPÓSITO LEGAL B. 9749 - 1960 PRINTED IN SPAIN

GRAFESA, Torres Amat, 9 - Barcelona

INDEX PARTIUM

Págs.

Praefatio 1

INTRODUCTIO IN UNIVERSAM PHILOSOPHIAM

1. Philosophiae definitio. — 2. Philosophiae divisio. — 3. Philosophiae aristotelico-thomistica.

LOGICA

Prolegomena 13
4. Logicae notio. — 5. Logicae divisio.

PARS I

LOGICA FORMALIS

CAPUT I. DE SIMPLICI APPREHENSIONE

§ 1. De simplici apprehensione et de conceptu in genere 16
6. Simplicis apprehensionis notio. — 7. Conceptus notio. — 8. Conceptus notae. — 9. Conceptus formalis est signum formale rei. — 10. Comprehensio, extensio conceptus. — 11. Varia conceptus nomina.

§ 2. De divisione conceptuum 19
12. Divisio conceptuum in genere. — 13. Divisio ratione extensionis. — 14. Divisio ratione comprehensionis. — 15. Divisio ratione perfectionis. — 16. Divisio ratione originis et finis.

§ 3. De habitudine conceptuum ad invicem 24
17. Diversitas et conexio conceptuum. — 18. Oppositio conceptuum.

§ 4. De externa conceptus expressione seu de termino orali 26
19. Termini oralis notio. — 20. Termini divisio.

§ 5. De termino enuntiativo et syllogistico 29
21. Termini enuntiativi notio. — 22. Termini enuntiativi divisio. — 23. Termini syllogistici notio.

§ 6. De nomine et verbo 31
24. Definitio nominis. 25. Definitio verbi.

Págs.

CAPUT II. DE IUDICIO

§ 1. De ipso iudicio 33
26. Iudicii notio. — 27. Iudicii proprietas.
§ 2. De orali expressione iudicii seu de oratione 36
28. Orationis notio. — 29. Orationis divisio.
§ 3. De modiis sciendi 38
30. Notio modi sciendi. — 31. Divisio modorum sciendi.
§ 4. De definitione 39
32. Definitionis notio. — 33. Divisio definitionis. — 34. Leges definitionis. — 35. Quae possint definiri.
§ 5. De divisione 42
36. Notio divisionis. — 37. Partitio divisionis. — 38. Leges divisionis.
§ 6. De enuntiatione seu propositione 44
39. Enuntiationis notio. — 40. Propositionis divisio.
§ 7. De propositionibus modalibus 49
41. Notio propositionis modalis. — 42. Divisio propositionis modalis.
§ 8. De proprietatibus partium propositionis 51
43. Proprietates propositionis. — 44. Suppositionis notio. — 45. Suppositionis divisio. — 46. Ampliatio, restrictio, alienatio, diminutio, appellatio.
§ 9. De proprietatibus, quae sequuntur totam propositionem 55
47. Oppositionis notio et divisio. — 48. Maxima omnium est oppositio contradictoria. — 49. Oppositio in modalibus et hypotheticis. — 50. De aequipollentia propositionum. — 51. De conversione propositionum.

CAPUT III. DE RATIOCINIO

§ 1. De ratiocinio et argumentatione 61
52. Ratiocinii notio. — 53. Argumentationis notio. — 54. Leges ratiocinii et argumentationis. — 55. Divisio ratiocinii et argumentationis.
§ 2. De syllogismo categorico 64
56. Syllogismi categorici notio. — 57. Principia syllogismi categorici. — 58. Leges syllogismi.
§ 3. De figuris et modis syllogismi categorici 68
59. Figurae syllogismi. — 60. Modi syllogismi. — 61. Principia et leges singularum figurarum. — 62. Singularum figurarum praestantia. — 63. De reductione modorum.
§ 4. De divisione syllogismi categorici 73
64. Quomodo divisio instituatur. — 65. Syllogismus completus et enthymema. — 66. Syllogismus rectus et obliquus; affirmativus et negativus. 67. Syllogismus simplex et compositus. — 68. Syllogismus absolutus et modalis. — 69. Syllogismus apodicticus, probabilis, erroneus.

Págs.

§ 5. De syllogismo expositorio 76
70. Syllogismi expositorii definitio. — 71. Syllogismi expositorii figurae et modi.
§ 6. De syllogismo hypothetico 77
72. Syllogismi hypothetici notio. — 73. Syllogismi hypothetici divisio. — 74. Dilemma.
§ 7. De inductione 80
75. Inductionis notio. — 76. Inductionis medium et principium speciale. — 77. Inductionis divisio. — 78. Inductionis ultimum fundamentum. — 79. Analogia, exemplum.
§ 8. De sophismatis 84
80. Sophismatis notio. — 81. Fallaciae in dictione. — 82. Fallaciae extra dictionem.
§ 9. De disputatione scholastica 86
83. Quid sit. — 84. Munus defendentis. — 85. Munus arguentis.
Schema disputationis scholasticae 87

PARS II

LOGICA MATERIALIS

CAPUT I. LOGICA PROOEMIALIS

Quaestio I. An sit Logica 89
Thesis 1. Logica simpliciter est necessaria ad quamcumque scientiam in statu perfecto, non vero ad scientiam in statu imperfecto 89
86. Status quaestionis. — 87. Probatur thesis. — 88. Corollarium. — 89. Scholia. — 90. Obicitur.
Quaestio II. Quid sit Logica 92
§ 1. An Logica sit scientia 92
Thesis 2. Logica est scientia, quae simul est ars liberalis 92
91. St. qu. — 92. Prob. th. — 93. Schol. — 94. Obi.
§ 2. Quodnam sit obiectum formale Logicae 95
Thesis 3. Obiectum formale Logicae est ens rationis, quod est relatio rationis, quae in ordinatione conceptuum obiectivorum consistit .. 95
95. St. qu. — 96. Prob. th. — 97. Coroll. — 98. Schol. — 99. Obi.
§ 3. Utrum Logica sit scientia speculativa an practica 97
Thesis 4. Logica non est scientia simul speculativa et practica, sed speculativa tantum 97
100. St. qu. — 101. Prob. th. — 102. Coroll. — 103. Schol. — 104. Obi.
§ 4. Logica utens sitne habitus distinctus a Logica docente 101
Thesis 5. Logica utens non est habitus distinctus a Logica docente. 101
105. St. qu. — 106. Prob. th. — 107. Schol. — 108. Coroll. — 109. Obi.
Quaestio III. De obiecto formali Logicae seu de ente rationis logico .. 102
110. Quid sit ens rationis et quotuplex sit. 111. Per quam po-

Págs.

tentiam et per quos actus fiant entia rationis. — 112. Quid sit ens rationis logicum et quotuplex sit. — 113. Divisio Logicae materialis.

CAPUT II. LOGICA PRAEDICAMENTALIS

Quaestio I. De universali 108
§ 1. De universali secundum se 108
Thesis 6. Insunt in mente nostra conceptus vere universales, quibus a parte rei respondet natura his conceptibus expressa. Nihilominus haec natura, ut a parte rei exsistit, non est universalis, sed singularis. 108
114. St. qu. — 115. Prob. th. — 116. Coroll. — 117. Schol. — 118. Obi.
Thesis 7. Gradus metaphysici in eodem individuo non distinguuntur realiter neque actualiter formaliter ex natura rei. Datur tamen inter eos praecisio obiectiva; ideo distinguuntur virtualiter 114
119. St. qu. — 120. Prob. th. — 121. Schol. — 122. Obi.
Thesis 8. Naturae secundum se convenit unitas formalis negativa tantum, i. e. negatio divisionis per principia formalia; ideo secundum se est negative communis tantum, natura autem prout est in singularibus et prout est in intellectu habet unitatem positivam: in singularibus unitatem singularitatis, in intellectu autem universalitatis. 119
123. St. qu. — 124. Prov. th. — 125. Schol. — 126. Obi.
Thesis 9. Aptitudo seu non-repugnantia ad essendum in multis, quae est fundamentum proximum intentionis universalitatis, non invenitur in natura secundum se neque in natura ut contracta in individuis, sed in natura abstracta tantum et praecisa per intellectum. 123
128. St. qu. — 128. Prob. th. — 129. Schol. — 130. Obi.
§ 2. De causa universalis 125
Thesis 10. Universale metaphysicum fit per actum absolutum abstrahentem naturam ab inferioribus tam abstractione negativa quam positiva; ex qua abstractione conveniunt naturae, etiam antequam sit universale logicum, unitas praecisionis et aptitudo ad essendum in multis, quae sunt fundamentum proximum relationis universalitatis. Universale autem logicum fit per actum comparativum, non per modum compositionis seu inclusionis actualis in inferioribus, sed per modum inclusionis aptitudinalis seu simplicis apprehensionis, qua cognoscitur natura cum ordine et respectu ad inferiora. 125
131. St. qu. — 132. Prob. th. — 133. Schol. — 134. Obi.
§ 3. De praedicatione universalis 130
135. Sitne natura, cum actu praedicatur de singularibus, adhuc universalis. — 136. Quid sit praedicatio formaliter et fundamentaliter sumpta. — 137. Quotuplex sit praedicatio. — 138. Quomodo habeatur identitas materialis in praedicatione formali, cum praedicatur universale de inferioribus suis. 139. Quomodo praeddicetur totum accidentale de sibi subordinatis.
Quaestio II. De praedicabilibus 133
§ 1. De divisione universalis in quinque praedicabilia 133

140. Quodnam sit divisum huius divisionis. — 141. Tum universale logicum tum metaphysicum dividitur in quinque praedicabilia. — 142. Divisio universalis in quinque praedicabilia est adaequata. — 143. Divisio universalis in quinque universalia seu praedicabilia est univoca. — 144. Divisio universalis in quinque praedicabilia est per modum generis in species.

§ 2. De genere 134

145. Genus definitur. — 146. Quid sit definitum generis. — 147. Quomodo genus sit totum potentiale et pars potentialis. — 148. Quae sint uaturae capaces generis.

§ 3. De specie 136

149. Diversa acceptio speciei. — 150. Definitio speciei. — 151. Potest esse species revera subicibilis tantum, non praedicabilis de multis, sed de uno tantum individuo.

§ 4. De individuo 138

152. Triplex individui consideratio. — 153. Definitiones individui. — 154. Quid sit individuum vagum.

§ 5. De differentia 140

155. Diversa differentiae acceptio. — 156. Differentiae divisio. — 157. Divisio differentiae in propriissimam, propriam, communem est analoga. — 158. Definitio differentiae.

§ 6. De ordinatione generum et specierum 142

159. Arbor Porphyrii. — 160. Ulterior arboris Porphyrianae evolutio.

§ 7. De proprio 144

161. Diversae proprii acceptiones. — 162. Definitur proprium simpliciter.

§ 8. De accidente 145

163. Diversae accidentis acceptiones. — 164. Definitur accidens.

Quaestio III. De praedicamentis 147

Articulus I. De antepraedicamentis

§ 1. De antepraedicamentis in genere 147

165. Quid sint antepraedicamenta. — 166. Antepraedicamentorum ratio.

§ 2. De univocis et aequivocis seu analogis in specie 149

167. Divisio. — 168. Definitiones. — 169. Coroll. — 170. Schol.

Articulus II. De praedicamentis in genere

§ 1. De divisione universalis in decem praedicamenta 153

171. Quid sit praedicamentum. — 172. Quotuplex sit praedicamentum. — 173. Quid ponatur in praedicamento.

§ 2. De ente praedicamentali 156

Thesis 11. Ens ad decem praedicamenta non est univocum, sed analogum analogia proportionalitatis propriae 156

174. St. qu. — 175. Prob. th. — 176. Coroll. — 177. Schol. — 178. Obj.

Págs.

Articulus III. De praedicamentis in specie

§ 1. De substantia et accidente praedicamentali 161
179. Definitio substantiae. 180. Divisio substantiae. — 181. Proprietates substantiae. 182. Definitio accidentis praedicamentalis.
§ 2. De quantitate praedicamentali 165
183. Definitio quantitatis. — 184. Divisio quantitatis. — 185. Adnotationes ad ordinationem praedicamenti quantitatis. — 186. Proprietates quantitatis.
§ 3. De qualitate praedicamentali 168
187. Definitio qualitatis. — 188. Divisio essentialis qualitatis. — 189. Proprietates qualitatis.
§ 4. De relatione praedicamentali 174
190. Definitio relationis. — 191. Divisio relationis. — 192. Proprietates relationis.
§ 5. De actione et passione praedicamentali 180
193. Definitiones actionis et passionis. — 194. Divisio essentialis seu ordinatio praedicamenti actionis.
§ 6. De «ubi» et situ praedicamentali 182
195. Definitio «ubi» praedicamentalis. — 196. Divisio «ubi». — 197. Definitio situs. — 198. Divisio situs.
§ 7. De «quando» praedicamentali 183
199. Definitio. — 200. Divisio.
§ 8. De habitu praedicamentali 184
201. Definitio habitus. — 202. Divisio habitus.

Articulus IV. De postpraedicamentis

§ 1. De postpraedicamentis in genere 185
203. Definitio postpraedicamentorum. — 204. Divisio postpraedicamentorum.
§ 2. De postpraedicamentis, quae relationem praedicamentorum ad invicem exprimunt 185
205. Oppositio. — 206. Prioritas et simultas. — 207. Habere.
§ 3. De postpraedicamento motus 186
208. Quid sit postpraedicamentum motus. — 209. Quotuplex sit motus.

CAPUT III. LOGICA DEMONSTRATIVA

Quaestio I. De demonstratione in genere 188
210. Quid sit demonstratio. — 211. Quotuplex sit demonstratio. — 212. Demonstratio propter quid est ex praemissis de omni et per se. — 213. Demonstratio propter quid perfectissima est ex praemissis «secundum quod ipsum».
Quaestio II. De praecognitis ad demonstrationem 193

Págs.

Thesis 12. Ut conclusio rite causari valeat per demonstrationem propter quid, de praemissis praecognoscendum est, quod sunt, i. e. quod verae sunt; de subiecto, quod est et quid est; de praedicato, quid est seu quid nomen significat 193
214. St. qu. — 215. Prob. th. — 216. Schol. — 217. Obi.

Quaestio III. De principiis demonstrativis 195

Thesis 13. Quaedam sunt principia per se nota omnibus 195
218. St. qu. — 219. Prob. th. — 220. Coroll. — 221. Schol. — 222. Obi.

Quaestio IV. De effectu demonstrationis seu de scientia 202

§ 1. De scientia in genere 202
223. Quid sit scientia. — 224. Quotuplex sit scientia. — 225. Scientia propter quid. — 226. De singularibus non est scientia. — 227. Scientia practica.

§ 2. De subalternatione scientiarum 206
228. Quotuplex sit scientiarum subalternatio. — 229. Scientia subalternata (proprie et simpliciter ratione principiorum), quae continuatur, et ea, quae non continuatur cum subalternante, sintne idem habitus specificus.

§ 3. De scientiarum distinctione et specificatione 208

Thesis 14. Scientiarum speculativarum distinctio generica secundum suprema genera sumitur ex diversis modis abstrahendi a materia, specifica vero secundum speciem atomam ex diversis obiectis formalibus eundem modum abstractionis habentibus 208
230. St. qu. — 231. Prob. th. — 232. Coroll. — 233. Schol. — 234. Obi.

PHILOSOPHIA NATURALIS

Prolegomena 217
235. Quid sit Philosophia naturalis. — 236. Philosophiae naturalis habitudo ad scientias physicas experimentales. — 237. Philosophiae naturalis divisio.

A. PHILOSOPHIA NATURALIS GENERALIS

CAPUT I. QUID SIT ENS MOBILE

Quaestio I. Sitne ens mobile unum tantum an multiplex, seu de distinctione entis mobilis 221

Thesis 1. In mundo physico multiplex est distinctio substantiarum tum numerica tum generica et specifica 221
238. St. qu. — 239. Prob. th. — 240. Schol. — 241. Obi.

Quaestio II. Quomodo intrinsecus sit constitutum ens mobile seu de principiis entis mobilis 224

Págs.

§ 1. De principiis in communi 224
242. Quid sit principium, et quotuplex sit. — 243. Principiorum physicorum definitio.

§ 2. Quae sint principia entis mobilis 225
Thesis 2. Atomismus philosophicus, sive mechanicus sive dynamicus, non tantum quatenus ad omnia mundi phaenomena extenditur, sed etiam quatenus ad sola mineralia applicatur, est falsus..... 225
244. St. qu. — 245. Prob. th. — 246. Coroll. — 247. Schol. — 248. Obi.
Thesis 3. Dynamismus est falsus..... 229
249. St. qu. — 250. Prob. th. — 251. Coroll. — 252. Obi.
Thesis 4. Prima principia, realiter inter se distincta, quae intrinsecus essentiam corporis constituunt, seu principia intrinseca physica compositionis sunt materia prima et forma substantialis; principia vero generationis sunt materia et forma et privatio..... 231
253. St. qu. — 254. Prob. th. — 255. Coroll. — 256. Schol. — 257. Obi.
Thesis 5. Materia prima est pura potentia, forma vero substantialis est actus substantialis primus 240
258. St. qu. — 259. Prob. th. — 260. Coroll. — 261. Schol. — 262. Obi.

§ 3. Quomodo uniantur principia seu materia et forma ad constituendum ens mobile completum 245
Thesis 6. Materia et forma non mediante aliquo modo, sed immediate seipsis uniuntur formaliter, inquantum subsunt actioni unienti, a causa efficiente profectae..... 245
263. St. qu. — 264. Prob. th. — 265. Schol. — 266. Obi.

§ 4. De principiis entis mobilis, inquantum sunt principia motus et quietis, seu de natura et de iis, quae opponuntur naturae, i. e. de arte et de violento 247
267. Multiplex acceptio naturae. — 268. Naturae definitio. — 269. Quibus conveniat ratio naturae. — 270. Natura essentialiter differt ab arte. — 271. Motus naturalis microstructurae.

Quaestio III. De distinctione entis mobilis a quantitate..... 250
Thesis 7. Essentia corporis a quantitate eius distinguitur realiter. Ipsa autem substantia corporea, antecedenter ad quantitatem, non habet extensionem aliquam entitativam, sed est entitas integraliter simplex, radicaliter tantum exigens partes. Sub quantitate tamen obtinet partes substantiales integrales, quae ut partes substantiales formaliter constituuntur a substantia tamquam a causa formali, ut partes integrales autem a quantitate.
272. St. qu. — 273. Prob. th. — 274. Coroll. — 274. Schol. — 276. Obi.

CAPUT II. QUALE SIT ENS MOBILE, SEU DE PROPRIETATE ENTIS MOBILIS, QUAE EST MOTUS

Quaestio I. De motu et actione et passione 255

§ 1. Quid sit motus 255
277. Duplex acceptio motus. — 278. Quotuplex sit mutatio. — 279. Definitio motus. — 280. Quomodo motus successivus distinguatur a subiecto mobili et a terminis motus.
§ 2. De actione et passione earumque habitudine ad motum 258
281. Divisio actionis in transeuntem et immanentem. — 282. De natura actionis transeuntis. — 283. De natura passionis. — 284. De relationibus inter agens et passum.
§ 3. De motu successivo 261
285. Quid sit motus successivus. — 286. Quomodo motus fiat successivus. — 287. Coroll.
§ 4. De distinctione et contrarietate motus 262
288. Distinctio generica et specifica motus. — 289. Coroll. — 290. Ad quae praedicamenta per se detur motus. — 291. Ad quae praedicamenta detur per se motus successivus. — 292. Unde sumatur unitas numerica motus. — 293. Contrarietas motus sumitur ex oppositione terminorum, ad quos tendit. — 294. Idem mobile secundum diversas partes potest affici motibus contrariis. — 295. Idem mobile etiam secundum eandem partem potest per accidens moveri motibus localibus contrariis. — 296. Idem mobile non potest per se affici motibus contrariis secundum idem.
Quaestio II. De mensura motus seu de tempore 265
§ 1. Quid sit duratio et tempus 265
297. Quid sit duratio. — 298. Quotuplex sit duratio. — 299. Quid sit tempus (continuum), et quotuplex sit. — 300. Quomodo oriatur conceptus temporis ut mensurae. — 301. Quae mensurentur tempore.
§ 2. Quomodo motus et tempus sint praesentia et exsistentia 268
Thesis. 8. Motus et tempus non sunt praesentia et exsistentia ratione partis, sed solum ratione indivisibilium suorum 268
302. St. qu. — 303. Prob. th. — 304. Coroll. — 305. Schol. — 306. Obi.
§ 3. De modo incipiendi et desinendi rerum 271
307. Termini durationis sunt indivisibiles. — 308. Instans intrinsecum et extrinsecum. — 309. Entia successiva (motus, tempus) incipiunt et desinunt per instans extrinsecum.
Quaestio III. De mensura mobilis seu de loco 272
§ 1. Quid sit locus et praesentia in loco 272
310. Quid sit spatium. — 311. Quid sit locus. — 312. Quid sit «ubi» latissime sumptum, et quotuplex sit. — 313. Quid sit «ubi» praedicamentale. — 314. Quid sit situs, et quomodo se habeat ad «ubi».
§ 2. De habitudine quantitatis ad ubi et situm 275
Thesis 9. Effectus formalis primarius quantitatis seu eius ratio formalio est ordo partium in toto, effectus formalis secundarius est ubi et situs seu ordo partium in loco. Hic effectus secundarius distinctus est realiter et separabilis a primario 275
315. St. qu. — 316. Prob. th. — 317. Coroll. — 318. Schol. — 319. Obi.

Thesis 10. Corpora sunt impenetrabilia naturaliter; at non apparet repugnantia, quominus praeternaturaliter inter se compenetrentur.. 279
320. St. qu. — 321. Prob. th. — 322. Coroll. — 323. Schol. — 324. Obi.
Thesis 11. Multilocatio absolute repugnat..... 282
325. St. qu. — 326. Prob. th. — 327. Schol. — 328. Obi.
Quaestio IV. De divisione motus et continui per partes..... 285
Thesis 12. Continuum non constat solis indivisibilibus tamquam ultimis elementis..... 285
329. St. qu. — 330. Prob. th. — 331. Obi.
Thesis 13. In omni continuo sunt partes in actu, realiter quidem positione distinctae, non autem ipsius constitutivae; hae partes entia non sunt nisi in potentia 286
332. St. qu. — 333. Prob. th. — 334. Coroll. — 335. Schol. — 336. Obi.
Thesis 14. In continuo dantur indivisibilia actu, non tantum terminantia, sed etiam continuantia, quae tamquam positivae realitates a partibus distinguuntur realiter 289
337. St. qu. — 338. Prob. th. — 339. Coroll. — 340. Schol. — 341. Obi.
Quaestio V. De conditionibus ad movendum requisitis..... 291
§ 1. De conditionibus ad movendum requisitis in genere..... 291
342. Conditiones ad quemcumque motum requisitae. — 343. Conditio specialis requisita in corporibus ad alterandum et ad movendum localiter alia corpora mechanice, i. e. mediante impulsu ab extrinseco in se recepto. — 344. Actio et reactio. — 345. Resistentia.
§ 2. De actione in distans..... 293
Thesis 15. Actio in distans absolute repugnat..... 293
346. St. qu. — 347. Prob. th. — 348. Coroll. — 349. Schol. — 350. Obi.

B. PHILOSOPHIA NATURALIS SPECIALIS

PARS I

DE CAELO ET DE MUNDO SEU DE ENTE MOBILI MOTU LOCALI

CAPUT I. DE IPSO MOTU LOCALI

351. Quid sit motus localis, et quotuplex sit. — 352. Quomodo efficiatur motus localis. 353. Resistentia vincenda in corporibus movendis localiter. 354. Motus localis ceteris motibus supponitur. — 355. Theoria relativitatis Einsteiniana.

CAPUT II. DE ENERGIA ET ENTROPIA MUNDI SEU DE ACTIVITATE CORPORUM MECHANICE CONSIDERAT

356. Notio energiae. 357. Aequivalentia energiarum. — 358. Principium conservationis energiae. — 359. Lex entropiae. — 360. Massa et energia.

Págs.

CAPUT III. DE COSMOGONIA SEU DE FORMATIONE MUNDI PER MOTUM LOCALEM

Thesis 16. Cosmogonia per viam evolutionis summa probabilitate gaudet; nulla tamen evolutio cosmogonica potest rationabiliter defendi, nisi quae admittit in nebula primitiva statum ab initio inditum tensionis teleologicae maxime artificiosae 303
361. St. qu. — 362. Prob. th. — 363. Coroll. — 364. Obi.

CAPUT IV. DE LIMITATIONE MUNDI

Thesis 17. Mundus intrinsecus in se est undequaque finitus..... 306
365. St. qu. — 366. Prob. th. — 367. Schol. — 368. Obi.
Thesis 18. Mundus ex natura sua in aeternum durabit; neque absolute repugnat mundum ab aeterno exstitisse. Processus vero mundanus, qui in activitate corporum ad invicem consistit, non potest in aeternum durare neque ab aeterno esse..... 309
369. St. qu. — 370. Prob. th. — 371. Coroll. — 372. Schol. — 373. Obi.

PARS II

DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE SEU DE ENTE MOBILI MOTU ALTERATIONIS

CAPUT I. DE IPSA GENERATIONE ET CORRUPTIONE

§ 1. Quid sit generatio, et quotuplex sit 313
374. Quid sit generatio. — 375. Quotuplex sit generatio. — 376. Quomodo contingat processus generationis substantialis. — 377. Generatio est actio realiter distincta ab alteratione.
§ 2. De termino generationis 315
378. Terminus generationis quadruplex. — 379. Terminus generationis in generatione hominis. — 380. Terminus corruptionis.
§ 3. De processu generationis, prout est resolutio usque ad materiam primam 316
Thesis 19. In generatione substantiali, cum corruptione veteris substantiae producitur nova, fit resolutio usque ad materiam primam, nulla remanente forma neque substantiali neque accidentali..... 316
381. St. qu. — 382. Prob. th. — 383. Coroll. — 384. Schol. — 385. Obi.
§ 4. De generatione individui seu de principio individuationis 319
Thesis 20. Principium individuationis substantiarum corporearum est materia signata quantitate, i. e. materia connotans quantitatem interminatam..... 319
386. St. qu. — 387. Prob. th. — 388. Coroll. — 389. Schol. — 390. Obi.

Págs.

CAPUT II. DE ALTERATIONE

§ 1. Quid sit, alteratio et quotuplex sit 328
391. Quid sit alteratio. — 392. Quomodo qualitas, cum essentiam simplicem habeat consistentem in indivisibili, possit terminare motum successivum et continuum alterationis. — 393. Quotuplex sit alteratio. — 394. Alteratio strictissime sumpta non est nisi ad tertiam speciem qualitatis per se primo.
§ 2. De intensione et remissione 330
Thesis 21. Qualitatum intensio non fit productione novae qualitatis destruendis priorem productionem neque per additionem partialium qualitatum neque per novam vim informandi, sed per eiusdem formae perfectiorem communicationem et unionem cum subiecto. 330
395. St. qu. — 396. Prob. th. — 397. Coroll. — 398. Schol. — 399. Obi.
§ 3. De condensatione et rarefactione seu de intensione et remissione densitatis et raritatis 334
Thesis 22. Rarum et densum non constituuntur per additionem et diminutionem quantitatis: neque per intervalla inter atomos interiecta, sive haec dicantur vacua sive repleta, neque per maiorem et minorem ubicationem seu explicationem quantitatis quoad locum, sed per maiorem vel minorem explicationem quantitatis quoad se. 334
400. St. qu. — 401. Prob. th. — 402. Coroll. — 403. Schol. — 404. Obi.
§ 4. De mixtione seu de alteratione in processu chimico 338
Thesis 23. In mixtione perfecta elementa non manent actu neque formaliter eminenter, sed virtualiter, inquantum manent qualitates chimicae propriae elementorum, formaliter quidem, sed remissae et temperatae 338
405. St. qu. — 406. Prob. th. — 407. Coroll. — 408. Schol. — 409. Obi.

PARS III

DE ANIMA SEU DE ENTE MOBILI MOTU AUGMENTATIONIS

LIBER I. DE ANIMA IN COMMUNI

CAPUT I. DE ESSENTIA ANIMAE

§ 1. De notione vitae 345
410. Quid sit vita. — 411. Quotuplex sit vita. — 412. Vita est conceptus analogus. — 413. In vivente creato necesse est distinguere partem moventem et motam. — 414. Ergo corpus vivens est corpus organicum. — 415. Qualis sit organisatio viventis.
§ 2. De definitionibus animae 349
416. Duplex Aristotelis definitio animae. — 417. Explicatur prima definitio. — 418. Explicatur altera definitio.

Págs.

§ 3. De divisione animae et de modis vivendi 350
Thesis 24. Tres sunt animae: vegetativa, sensitiva, intellectiva; quinque genera potentiarum: vegetativum, sensitivum, intellectivum, appetitivum, locomotivum; quattuor modi vivendi: vegetativus, sensitivus, locomotivus, intellectivus. 350
419. St. qu. — 420. Prob. th. — 421. Schol.

CAPUT II. DE PROPRIETATIBUS ANIMAE

§ 1. De divisibilitate animae 354
Thesis 25. Anima animalium perfectorum est inextensa et indivisibilis, anima vero plantarum et animalium imperfectorum est extensa et divisibilis 354
422. St. qu. — 423. Prob. th. — 424. Coroll. — 425. Schol. — 426. Obi.
§ 2. De potentiis animae in genere 358
Thesis 26. Potentiae animae ab ipsa anima distinguuntur realiter.. 358
427. St. qu. — 428. Prob. th. — 429. Coroll. — 430. Schol. — 431. Obi.
Thesis 27. Potentiae animae specificantur ab actibus et obiectis, ad quae essentialiter ordinantur: ab actibus immediate, ab obiectis mediate 362
432. St. qu. — 433. Prob. th. — 434. Schol. — 435. Obi.

LIBER II. DE ANIMA IN SPECIE

SECTIO I. DE ANIMA VEGETATIVA

CAPUT I. DE ANIMA VEGETATIVA SECUNDUM SE

§ 1. De exsistentia animae vegetativae 364
Thesis 28. Planta non est aggregatum ex substantiis non viventibus, sed est substantia una vivens vita vegetativa seu informata anima vegetativa 364
436. St. qu. — 437. Prob. th. — 438. Coroll. — 439. Schol. — 440. Obi.
§ 2. De natura animae vegetativae 369
441. Quid sit anima vegetativa, et quae sint eius functiones. — 442. Quid sit nutritio, et quomodo fiat. — 443. Quid sit augmentatio, et quomodo fiat. — 444. Quae partes ad substantiam viventis pertineant seu informentur ab anima. — 445. Quomodo differant nutritio et augmentatio. — 446. Nutritio et augmentatio sunt mutationes successivae et continuae. — 447. Quomodo sub iugi materiae mutatione, qualem expostulant nutritio et augmentatio, maneat idem numero vivens. — 448. Quid sit generatio viventis. — 449. Quotuplex sit generatio viventis.

CAPUT II. DE POTENTIIS ANIMAE VEGETATIVAE

Thesis 29. Praeter animam et vires naturales in substantia vivente vita vegetativa admittendae sunt potentiae animae vegetativae speciales: nutritiva, augmentativa, generativa 374
450. St. qu. — 451. Prob. th. — 452. Schol. — 453. Obi.

SECTIO II. DE ANIMA SENSITIVA

CAPUT I. DE ANIMA SENSITIVA SECUNDUM SE

Thesis 30. In animalibus omnibus inest anima sensitiva, quae unitur corpori ut forma substantialis 378
454. St. qu. — 455. Prob. th. — 456. Coroll. — 457. Schol. — 458. Obi.
Thesis 31. Anima bruti non est per se subsistens 381
459. St. qu. — 460. Prob. th. — 461. Schol. — 462. Obi.

CAPUT II. DE POTENTIIS ANIMAE SENSITIVAE

Quaestio I. De cognitione in genere 383
§ 1. De radice et de ratione formali cognitionis 383
Thesis 32. Radix cognitionis est immaterialitas 383
463. St. qu. — 464. Prob. th. — 465. Coroll. — 466. Schol. — 467. Obi.
§ 2. De specie impressa et expressa 391
Thesis 33. Ad actum potentiae cognoscitivae creatae, quo cognoscit alia a se, requiritur species impressa et plerumque etiam species expressa 391
468. St. qu. — 469. Prob. th. — 470. Coroll. — 471. Schol. — 472. Obi.
§ 3. De actu cognitionis 396
473. Actio cognoscitiva est actio immanens. — 474. Non omnis cognitio fit mediante specie expressa. — 475. Definitio cognitionis. — 476. Actus cognitionis, species impressa, species expressa realiter inter se differunt. — 477. Obi.
Quaestio II. De cognitione sensitiva 399
§ 1. De potentiis sensitivis in genere 399
Thesis 34. Potentiae sensitivae sunt potentiae organicae 399
478. St. qu. — 479. Prob. th. — 480. Coroll. — 481. Schol. — 482. Obi.
§ 2. De sensibus externis 404
483. Divisio sensuum in externos et internos. — 484. Sensuum externorum divisio. - 485. Numerus sensuum externorum. — 486. Sedes sensuum externorum. — 487. Obiectum sensuum externorum. 488. Localizatio obiecti sensuum externorum. — 489. Quomodo percipimus motum localem. — 490. Sensatio et perceptio. — 491 Habitudo inter irritationis et sensationis quantitatem.

Págs.

§ 3. De sensibus internis 415
Thesis 35. In homine et in animalibus brutis inest sensus communis, ab omnibus sensibus externis distinctus 415
492. St. qu. — 493. Prob. th. — 494. Coroll. — 495. Schol. — 496. Obi.
Thesis 36. In homine et in animalibus brutis inest phantasia, quae est sensus internus realiter, distinctus a sensu communi 418
497. St. qu. — 498. Prob. th. — 499. Schol. — 500. Obi.
Thesis 37. Admittenda est in homine et in animalibus brutis vis aestimativa et memoria sensitiva, quae sunt sensus interni realiter distincti inter se et a reliquis sensibus internis 422
501. St. qu. — 502. Prob. th. — 503. Schol. — 504. Obi.
Quaestio III. De appetitu sensitivo 426
§ 1. De appetitu in genere 426
Thesis 38. Inest in viventibus cognitione praeditis appetitus elicitus, realiter distinctus a potentiis cognoscitivis 426
505. St. qu. — 506. Prob. th. — 507. Coroll. — 508. Schol. — 509. Obi.
§ 2. De appetitu sensitivo 429
510. Quid sit appetitus sensitivus. — 511. Quotuplex sit appetitus sensitivus. — 512. De potentia locomotiva.

SECTIO III. DE ANIMA INTELLECTIVA

CAPUT I. DE ANIMA INTELLECTIVA SECUNDUM SE

§ 1. De natura animae intellectivae 432
Thesis 39. In homine, in eoque solo, inest anima intellectiva. Haec anima est substantia unicuique homini individualiter propria et spiritualis 432
513. St. qu. — 514. Prob. th. — 515. Coroll. — 516. Obi.
Thesis 40. Una est anima humana, quae simul est intellectiva et sensitiva et vegetativa 439
417. St. qu. — 518. Prob. th. — 519. Schol. — 520. Obi.

APPENDIX. DE SOMNO ET SOMNIO

521. Notio somni. — 522. Divisio somni. — 523. Notio somnii.
§ 2. De unione animae humanae cum corpore 444
Thesis 41. Anima humana et corpus uniuntur ad constituendam unam naturam et unam substantiam 444
524. St. qu. — 525. Prob. th. — 526. Coroll. — 527. Schol. — 528. Obi.
Thesis 42. Anima humana est forma substantialis corporis, ita quidem, ut sit actus eius substantialis simpliciter primus 447
529. St. qu. — 530. Prob. th. — 531. Coroll. — 532. Schol. — 533. Obi.
§ 3. De ortu et duratione animae humanae 452
Thesis 43. Anima humana non oritur neque per emanationem a sub-

Págs.

stantia divina, neque per generationem a parentibus, sed per creationem a Deo 452
534. St. qu. — 535. Prob. th. — 536. Schol. — 537. Obi.
Thesis 44. Anima humana est naturaliter immortalis, i. e. etiam mortuo homine anima ex natura sua iugiter in esse perdurat, iugiterque operatur vitaliter 455
538. St. qu. — 539. Prob. th. — 540. Schol. — 541. Obi.

CAPUT II. DE POTENTIIS ANIMAE INTELLECTIVAE

Quaestio I. De intellectu 460
§ 1. De natura intellectus humani quoad se 460
Thesis 45. Intellectus humanus est potentia cognoscitiva anorganica 460
542. St. qu. — 543. Prob. th. — 544. Coroll. — 545. Obi.
§ 2. De natura intellectus humani quoad obiectum suum 465
Thesis 46. Obiectum formale commune intellectus humani est ens inquantum ens 465
546. St. qu. — 547. Prob. th. — 548. Coroll. — 549. Schol. — 550. Obi.
Thesis 47. Obiectum formale intellectus proprium pro hoc statu unionis animae cum corpore est quidditas rei materialis per phantasiam repraesentatae, non prout est singularis, sed prout est universalis.. 469
551. St. qu. — 552. Prob. th. — 553. Coroll. — 554. Schol. — 555. Obi.
Thesis 48. Intellectus noster cognoscit singulare materiale non directe, sed indirecte per reflexionem quandam super phantasma, advertendo ad conotationem phantasmatis in conceptu directe repraesentativo universalis contentam 476
556. St. qu. — 557. Prob. th. — 558. Coroll. — 559. Schol. — 560. Obi.
Thesis 49. Intellectus humanus in statu unionis cognoscit actum suum seu intellectionem, et terminum eius seu speciem expressam, et subiectum seu principium intellectionis, quod est triplex: anima, intellectus, species impressa. Attamen haec omnia non cognoscit directe, sed indirecte, et quidem horum omnium exsistentiam statim simplici reflexione cognoscit, quatenus in obiecto suo formali conotative continentur; cognitionem vero claram et distinctam essentiae eorum non acquirit nisi paulatim ope ratiocinii 481
561. St. qu. — 562. Prob. th. — 563. Coroll. — 564. Schol. — 565. Obi.
Thesis 50. Obiectum formale proprium intellectus humani in statu separationis est ipsius animae separatae substantia propria 486
566. St. qu. — 567. Prob. th. — 568. Coroll. — 569. Schol. — 570. Obi.
§ 3. De origine idearum 489
Thesis 51. Ad speciem impressam efficiendam, qua intellectus possibilis in actu primo constituatur obiectum formale proprium in statu

Págs.

unionis cum corpore, requiritur duplex causa: intellectus agens et phantasma 489
571. St. qu. — 572. Prob. th. — 573. Coroll. — 574. Schol. — 575. Obi.

Thesis 52. In specie intelligibili impressa efficienda phantasma est vera causa efficiens, non coordinata, sed subordinata intellectui agenti seu instrumentum eius, non per assistentiam mere extrinsecam, sed per intrinsecam elevationem seu praemotionem, recipiendo in se vim spiritualem per modum entis vialis; est tamen instrumentum sui generis, quatenus virtute propria non operatur aliquid dispositive in intellectu possibili, sed modificat tantum, per modum causae materialis, actionem intellectus agentis 497
576. St. qu. — 577. Prob. th. — 578. Coroll. — 579. Schol. — 580. Obi.

§ 4. De ordine evolutionis intellectus humani 503

Thesis 53. Intellectus humanus in statu unionis triplici operatione: simplici apprehensione, iudicio, ratiocinio, ita se evolvit, ut prius cognoscat magis universale quam minus universale 503
581. St. qu. — 582. Prob. th. — 583. Coroll. — 584. Obi.

Quaestio II. De voluntate 508

§ 1. De natura voluntatis 508

Thesis 54. Voluntas humana est potentia anorganica, quae simpliciter est imperfectior intellectu, secundum quid tamen est perfectior, quatenus versatur circa res nobiliores anima ipsa, et secundum quid imperfectior, quatenus versatur circa res materiales 508
585. St. qu. — 586. Prob. th. — 587. Coroll. — 588. Obi.

§ 2. De voluntatis proprietate seu de libero arbitrio 512

Thesis 55. Voluntas humana praedita est libertate arbitrii 512
589. St. qu. — 590. Prob. th. — 591. Coroll. — 592. Obi.

Thesis 56. Voluntas humana necessario vult necessitate specificationis, non tamen necessitate exercitii bonum in communi seu beatitudinem in communi, et quae cum ea necessario conectuntur; Deum clare visum vult necessario necessitate tum specificationis, tum exercitii; circa cetera bona particularia et ipsum Deum, prout in hoc statu unionis cum corpore cognoscitur, libertate gaudet tum quoad specificationem, tum quoad exercitium; circa Deum vero, prout in statu separationis naturaliter cognoscitur, non gaudet libertate neque specificationis neque exercitii 518
593. St. qu. — 594. Prob. th. — 595. Coroll. — 596. Schol. — 597. Obi.

§ 3. De habitudine voluntatis ad alias potentias animae 524
598. Influxus aliarum potentiarum in voluntatem. — 599. Influxus voluntatis in alias potentias.

§ 4. De variis actibus intellectus et voluntatis aliarumque potentiarum voluntati subditarum, quibus integratur actus totalis deliberatus voluntatis. 527

Págs.

600. Quinam actus spectent ad intellectum, qui ad voluntatem et ceteras potentias voluntati subditas. — 601. Singuli actus explicantur. — 602. Quid formaliter sit imperium, et cur requiratur.

LIBER III. DE ORTU VIVENTIUM

CAPUT I. DE ORTU VIVENTIUM IN GENERE

Thesis 57. Ortus vitae repeti non potest ex fortuita materiae anorganicae dispositione, sed corpus vivens non oritur nisi generatione ex alio corpore vivente aut interventu causae primae 531

603. St. qu. — 604. Prob. th. — 605. Coroll. — 606. Schol. — 607. Obi.

CAPUT II. DE DISTINCTIONE VIVENTIUM

Thesis 58. Viventium distinctio explicari non potest evolutione darwinistica neque evolutione quacumque tollente omnes differentias specificas, sed admittenda est in ordine viventium pluralitas aliqua specierum, essentialiter inter se distinctarum..... 535

608. St. qu. — 609. Prob. th. — 610. Coroll. — 611. Schol. — 612. Obi.

ABBREVIATIONES

Ag	Angelicum
Ant	Antonianum
APh	Archives de Philosophie
CT	La Ciencia Tomista
DThFrib	Divus Thomas Friburgensis
DThPlac	Divus Thomas Placentinus
EThL	Ephemerides Theologicae Lovanienses
Gr	Gregorianum
JPhTh	Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
NRTh	Nouvelle Revue Théologique
NSch	The New Scholasticism
PhJ	Philosophisches Jahrbuch
RFNS	Rivista di Filosofia Neoscolastica
RNSPh	Revue Néoscolastique de Philosophie
RPh	Revue de Philosophie
RSPhTh	Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques
RTh	Revue Thomiste
RUO	Revue de l'Université d'Ottawa
Schol	Scholastik
ZPhTh	Zeitschrift für Philosophie und Theologie (antea DThFrib)

PRAEFATIO

In paranda hac decima tertia editione Elementorum Philosophiae aristotelico-thomisticae, prima recognita et aucta post obitum auctoris (1863-1940), cuius praeclara merita ubique terrarum a philosophiae thomisticae cultoribus celebrantur, hoc maxime curavimus, ut in omnibus fideliter custodiremus depositum nobis commissum. Mutationes igitur, quas introduximus, ut in pluribus non respiciunt nisi formam; ita praesertim argumenta prae multitudine syllogismorum nimis complicata, modo simpliciore proponuntur. Quae vero doctrinam ipsam respiciunt, quasi nullius momenti sunt, si totum opus inspiciatur; postulari autem videbantur a scientiarum progressu et, partim saltem, ab auctore ipso visae sunt et comprobatae. Bibliographiam auximus, ea tamen ratione, ut praetermittentes opera maiora et systematica, ea potius adduceremus, quae illustrare valent quaestiones particulares in singulis thesibus pertractatas. Respeximus proinde imprimis ad articulos publicatos in diversis Periodicis scientificis, quin tamen unquam omnia posuerimus, quae poni potuissent, quatenus hoc unum intendimus, ut ea, quae in «Elementis» succincte exhibentur, ulterius penetrari queant. Numeri marginales iidem sunt qui in prioribus editionibus, paucis tamen simpliciter omissis, quibus iam non exstabat materia.

Propter peculiares difficultates editor huius revisionis opus perficere citius non potuit. Officium gratissimum ei est Rev.mo P. Petro Borne O.S.B., primo post mortem auctoris successori in munere docendi, nunc Abbati Tholegiensi, pro immensis laboribus expletis gratias referre quam maximas. Similiter grato animo prosequitur Professores Facultatis Philosophiae Anselmianae in Urbe, qui consilio et opera hanc novam editionem foverunt.

Treveris, die 7 Martii 1960

Eucharius Zenzen O.S.B.

INTRODUCTIO

IN UNIVERSAM PHILOSOPHIAM

1. Philosophiae definitio. Secundum nominis etymologiam Philosophia idem est atque amor seu studium sapientiae (φιλία τῆς σοφίας). Sumitur tamen haec vox modestiae causa ad significandam ipsam sapientiam, quo innuatur humanam sapientiam imperfectam et studium potius esse sapientiae quam sapientiam. Philosophia igitur idipsum est quod σοφία seu sapientia. Nomine vero sapientiae perfectam scientiam omnes intelligunt. Est enim distinguenda scientia imperfecta (scientia non stricte dicta), mere experimentalis, a posteriori, quae facta enumerat secundum conexionem eorum ad invicem: Historia generis humani, aut rerum naturalium typos exhibet: Historia naturalis, aut probat a posteriori leges naturae per inductionem ex singularibus: Physica experimentalis, — et scientia perfecta, a priori (scientia stricte dicta), quae non tantum ostendit rem esse, sed cur res sit ostendit per causam propriam rei; quae est cognitio per causas, et quidem per causas ultimas, cum mens humana ultimo non quiescat nisi in ultimis causis. At sapientia seu scientia perfecta duplex est: altera quae procedit sub lumine supernaturali fidei et divinae revelationis, altera quae procedit sub lumine naturali rationis. Haec est Philosophia, illa vero Theologia. Theologia procedit ex veritatibus revelatis, sub lumine supernaturali fidei cognitis; ideo est sapientia radicaliter supernaturalis ratione principiorum suorum. Principia vero philosophiae sunt veritates per se notae ex lumine naturali rationis. Philosophia igitur definienda erit: cognitio per ultimas causas procedens ex principiis naturali rationi per se notis. Ratione habitudinis ad revelationem supernaturalem distinguitur philosophia christiana et non christiana. Quae tamen differentia essentialis non est: utraque enim procedit ex principiis demonstrandi naturalibus, fundatur super evidentiam obiectivam tamquam ultimum veritatis criterium, et coarctatur intra limites cognoscibilitatis naturalis. Differt autem philosophia christiana a non christiana perfectione accidentali, quatenus divinae revelationi tribuendum est, «ut ea quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis

humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint » (Conc. Vatic., Constit. dogm. de fide cath., cap. 2; cf. S. th. I 1, 1 c.; II-II 2, 4 c.; C. g. I 4; In Boeth. De Trin. 3, 1 c.).

Neque sapientia, ad quam pervenire potest homo absque speciali philosophiae studio, specie differt ab illa sapientia, quae est finis philosophiae christianae. Philosophia itaque christiana (philosophia in contactu cum revelatione divina), scholastica (philosophia, quatenus excolitur methodo scholastica), perennis (philosophia fundata super veritates fundamentales, quae omni tempore suos habent defensores, quaeque per saecula modo continuo evolvitur) essentialiter eadem est; neque his diversis nominibus aliud exprimitur quam modificatio quaedam vel perfectio accidentalis.

2. Philosophiae divisio. Cognitio per causas ultimas (procedens sub lumine naturali rationis) potest esse per ultimas causas simpliciter aut per causas ultimas secundum quid seu in aliquo genere tantum. Haec considerat aliquod genus tantum seu ens determinatum (tale ens) et causas ultimas eius, illa vero non aliquod genus entis considerat, sed ipsum ens ut ens et causas ultimas. Scientia, quae est per causas ultimas simpliciter, est sapientia simpliciter. Haec una tantum est: Metaphysica, quae versatur circa ens, ut ens est, et circa causas entis. Scientia, quae est per causas ultimas secundum quid, est sapientia secundum quid. Haec multiplex est secundum diversa genera scibilium, quae considerantur. Ad eam seu ad philosophiam secundum quid pertinent omnes scientiae stricte dictae, quae a priori ex naturali rationis lumine procedunt, praeter Metaphysicam. Et revera antiquo tempore philosophiae nomine totus omnium scientiarum complexus comprehendebatur. « Sapientiam », ita Tullius, « qui expetunt, philosophi nominantur; sapientia autem est, ut a veteribus philosophis definitum est, rerum divinarum et humanarum causarumque, quibus hae res continentur, scientia » (De offic. II 2; Tuscul. V 2, 3). Quem modum significandi philosophiae vox etiam apud scholasticos retinebat[1], qui tamen propter diversitatem luminis seu rationis formalis « sub qua » theologiam christianam tamquam sapientiam supernaturalem (ratione principiorum) a philosophia probe distinguebant et philosophiae nomine eas nonnisi scientias complectebantur, quae lumine utuntur naturalis rationis. Sed tum antiqui philosophi graeci, ut Plato et Aristoteles, tum scholastici discrimen agnoscebant inter philosophiam strictissime acceptam seu sapientiam simpliciter et philosophiam latiore significatione sumptam. Nostris temporibus a Philosophia etiam solet eliminari Mathesis, et ita Phi-

[1] Neque separabant veteres scientiam imperfectam, experimentalem, a scientia perfecta, a priori, sed utramque per modum unius tradebant (cf. n. 236).

losophia scientias omnes (stricte dictas) complectitur, quae sub lumine naturali rationis procedunt, praeter Mathesin. Hae autem scientiae sunt : Logica, Philosophia naturalis (cuius pars est Psychologia), Metaphysica, Ethica seu Moralis.

Logica versatur circa ens logicum seu circa ordinationem conceptuum ad veritatem attingendam. Haec primo loco traditur, quia est organum seu instrumentum sciendi necessarium simpliciter ad ceteras scientias omnes acquirendas in statu perfecto. Philosophia naturalis est circa ens corporeum, mobile, sensibile. Philosophia naturalis secundo loco traditur, ante Metaphysicam ; nam « quamvis scientia divina sit prima omnium scientiarum, naturaliter tamen quoad nos aliae scientiae sunt priores ; unde dicit Avicenna in principio suae Metaphysicae : Ordo illius scientiae est, ut addiscatur post scientias naturales, in quibus sunt multa determinata, quibus ista scientia utitur, ut generatio et corruptio et motus et huiusmodi » (In Boeth. De Trin. 5, 1 ad 9) [1]. Ultimo loco traditur Ethica, quae agit de actibus humanis ordinandis ad finem ultimum.

3. Philosophia aristotelico-thomistica. Philosophia aristotelico-thomistica essentialiter consistit in evolutione rigorose logica et consequenti doctrinae aristotelicae de potentia et actu. Haec doctrina ab Aristotele proposita, a S. Thoma declarata et ulterius evoluta, in schola thomistica iterum iterumque elaborata est et contra adversariorum impugnationes defensa. Fundamentum eius est distinctio realis inter actum et potentiam limitantem actum : inter essentiam limitantem esse et materiam limitantem formam. Esse irreceptum est simpliciter infinitum, actus purus ; et forma pure spiritualis, in nulla materia receptibilis, est in sua linea infinita. Quo stabilitur distinctio inter Deum et mundum, inter mundum spiritualem et corporeum. Hoc fundamentum omni ex parte solidum esse et philosophiam aristotelico-thomisticam doctrinam ex hoc fundamento logica consequentia evolutam, ostendetur.

Ad 1. *Aristoteles* in primo libro Metaphysicorum « primo [c. 1] ostendit, quod huius scientiae, quae sapientia dicitur, est considerare causas. . . Unusquisque enim tanto sapientior est, quanto magis accedit ad causae cognitionem ; . . . quia expertus [qui scil. ex plurium particularium memoria co-

[1] Alibi (In Phys. I lect. 1) S. Thomas affirmat: «Quia ea quae consequuntur aliquod commune, prius et seorsum determinanda sunt, ne oporteat ea multoties, pertractando omnes partes illius communis, repetere . . . omnibus scientiis praemittitur philosophia prima, in qua determinatur de iis quae sunt communia enti inquantum ens.» Ne tamen partes Metaphysicae ad invicem divellere cogamur, Philosophia Naturali interposita, Metaphysicam nonnisi post Philosophiam Naturalem incipimus. Notiones autem metaphysicae, quae iam in ipsa Philosophia Naturali occurrunt, aliqualiter sunt in notitia omnium, et in Logica (materiali) etiam ulterius dilucidatae sunt.

gnoscit, quid in iisdem adiunctis agendum sit] est sapientior eo, qui solum habet sensum sine experimento. Et artifex [qui scil. non solum in particulari, sed in universali seu per causam cognoscit, quid agendum sit] est sapientior experto quocumque. Et inter artifices architector est sapientior manu artifice. Et inter artes etiam et scientias speculativae sunt magis scientiae quam activae . . . Unde relinquitur, quod illa scientia, quae simpliciter est sapientia, est circa causas» (*S. Thom.*, In Met. I lect. 1 n. 1 35 [ed. Cathala, Taurini]. "Οτι μὲν οὖν ἡ σοφία περί τινας αἰτίας καὶ ἀρχάς ἐστιν ἐπιστήμη, δῆλον: 982 a 1). Deinde (c. 2) Aristoteles «ostendit, quod [sapientia] est circa causas maxime universales et primas» (*S. Thom.* l. c. lect. 2 n. 36. Δεῖ γὰρ ταύτην [τὴν ἐπιστήμην] τῶν πρώτων ἀρχῶν καὶ αἰτιῶν εἶναι θεωρητικήν: 982 b 9). «Notandum est autem, quod, cum prius nomine sapientiae uteretur [Philosophus], nunc ad nomen philosophiae se transfert. Nam pro eodem accipiuntur. Cum enim antiqui studio sapientiae insistentes sophistae, id est sapientes vocarentur, Pythagoras interrogatus, quid se esse profiteretur, noluit se sapientem nominare, sicut sui antecessores, quia hoc praesumptuosum videbatur esse; sed vocavit se philosophum, id est amatorem sapientiae. Et exinde nomen sapientis immutatum est in nomen philosophi, et nomen sapientiae in nomen philosophiae. Quod etiam nomen ad propositum aliquid facit. Nam ille videtur sapientiae amator, qui sapientiam non propter aliud sed propter seipsam quaerit. Qui enim aliquid propter alterum quaerit, magis hoc amat propter quod quaerit, quam quod quaerit» (*S. Thom.* l. c. lect. 3 n. 56).

Ad 2. *Aristoteles* distinguit Philosophiam primam et non primam. Philosophia prima (πρώτη φιλοσοφία) est Metaphysica, cuius obiectum est ens, ut ens est (Met. VI 1, 1026 a 24—32; IV 1 [cit. ad 613]); haec est scientia, quae praesertim ad philosophum pertinet (ἡ τοῦ φιλοσόφου ἐπιστήμη, l. c. IV 3, 1005 a 21; cf. *S. Thom.* lect. 4 n. 590) et circa causas primas versatur (l. c. I 2 [cit. ad 1]). Philosophia non prima ceteras scientias omnes complectitur: Ἔστι δὲ σοφία τις καὶ ἡ φυσική, ἀλλ' οὐ πρώτη (l. c. IV 3, 1005 b 1; cf. VI 1, 1026 a 18 [cit. ad 232]; XI 4, 1061 b 32). De divisione philosophiae plura invenies infra (n. 232); de singulis eius disciplinis quid senserit Aristoteles, dicetur, ubi de illis agitur.

S. Thomas Aristotelem secutus sapientiam simpliciter seu Philosophiam primam et sapientiam secundum quid seu in aliquo genere distinguit, ut patet ex eius commentario in Aristotelis Metaphysicam. Sed praeterea sapientiam (radicaliter) supernaturalem, Theologiam christianam, quae procedit ex articulis fidei, distinguit a Philosophia, quae procedit sub lumine naturali rationis. Ita in S. th. I 1, 6 ad quaesitum: «Utrum haec doctrina [sacra, i. e. Theologia christiana] sit sapientia», respondet: «Dicendum quod haec doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter.»

Ad 3. Vide text. cit. ad 657bis; cf. text. ad 253 259 386 530 655 705.

Bibliographia ad 1—3: *B. Baudoux*, Quaestio de Philosophia christiana, Ant 11 (1936) 487—522 (ibi ulterior invenitur bibliographia). *Id.*, Philosophia «Ancilla Theologiae», Ant 12 (1937) 293—326. *R. Garrigou-Lagrange*, Dans quel ordre proposer les sciences philosophiques, RTh 29 (1924) 18—34. *G. M. Manser*, Das Wesen des Thomismus², Freiburg (Schweiz) 1935. *A. D. Sertillanges*, S. Thomas d'Aquin, Paris 1922. *M. Thiel*, Philosophische und nichtphilosophische Weisheit, DThFrib 13 (1935) 129—159.

Opera Aristotelis, quae nobis nota sunt, alia sunt exoterica (dialogi), alia doctrinalia, quae solis discipulis destinata erant. Ex primis pauca fragmenta tantum servata sunt; cf. *V. Rose*, Aristotelis qui ferebantur li-

brorum fragmenta, Lipsiae 1886. Opera doctrinalia econtra quasi omnia nobis prostant, spuriis mixta; ratione materiae secundum diversas disciplinas philosophicas sequenti modo distinguuntur:

1. Organon seu Opera Logica: Κατηγορίαι, Categoriae seu Praedicamenta (hic liber ab aliquibus in dubium vocatur; c. 10—15 [Postpraedicamenta] a posteriore manu sunt addita); Περὶ ἑρμηνείας, De interpretatione (hunc librum Andronicus Rhodius et plures recentiores in dubium vocant); Ἀναλυτικὰ πρότερα, Analytica priora; Ἀναλυτικὰ ὕστερα, Analytica posteriora; Τοπικά, Topica; Περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων, De sophisticis elenchis.

2. Opera Physica: Φυσικὴ ἀκρόασις, Physica auscultatio (l. VII videtur esse fragmentum alterius operis); Περὶ οὐρανοῦ, De caelo; Περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς, De generatione et corruptione; Μετεωρολογικά, Meteorologica; Περὶ κόσμου, De mundo (spurius habetur, quia Stoicorum doctrinam sapit; saec. I ex.—II in.); Περὶ ψυχῆς, De anima. «Parva Naturalia»: Περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητῶν, De sensu et sensato; Περὶ μνήμης καὶ ἀναμνήσεως, De memoria et reminiscentia; Περὶ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως, De somno et vigilia; Περὶ ἐνυπνίων, De insomniis; Περὶ τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς, De divinatione per somnum; Περὶ μακροβιότητος καὶ βραχυβιότητος, De longitudine et brevitate vitae; Περὶ ζωῆς καὶ θανάτου, De vita et morte; Περὶ ἀναπνοῆς, De respiratione; Περὶ πνεύματος, De spiritu (spur). Περὶ τὰ ζῷα ἱστορίαι, Historiae animalium (l. IX et X spurii habentur); Περὶ ζῴων μορίων, De partibus animalium; Περὶ ζῴων κινήσεως, De motu animalium; Περὶ πορείας ζῴων, De incessu animalium; Περὶ ζῴων γενέσεως, De generatione animalium. Περὶ χρωμάτων, De coloribus (spur., e schola peripatetica); Περὶ ἀκουστῶν, De audibilibus; Φυσιογνωμικά, Physiognomica (spur.); Περὶ φυτῶν, De plantis (spur.); Περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, De mirabilibus auscultationibus (a Nicolao Damasceno, ca. 37—34 a. Chr.); Μηχανικά, Mechanica (spur.); Προβλήματα, Problemata (hic liber videtur ex variis commentariis Aristotelis compilatus); Περὶ ἀτόμων γραμμῶν, De insecabilibus lineis (dubius, ex schola peripatetica).

3. Metaphysica: Andronicus Rhodius, qui opera Aristotelis ordinavit, libros XIV, quos post opera physica collocavit, τὰ μετὰ τὰ φυσικά, i. e. ea quae physicam sequuntur, inscripsisse videtur. Hi libri ab Aristotele conscripti (secundo excepto, qui in graeco α ἔλαττον signatur et a Pasicle Rhodio, Aristotelis discipulo, scriptus dicitur) revera unum opus non efformant.

4. Ethica: Ἠθικὰ Νικομάχεια, Ethica Nicomachea; Ἠθικὰ μεγάλα, Magna moralia; Ἠθικὰ Εὐδήμεια, Ethica Eudemiana (Ethica Nicomachea videtur a Nicomacho, filio Aristotelis, post mortem patris evulgata; Ethica Eudemiana ex notis Eudemi Rhodii, discipuli Aristotelis, elaborata; Magna moralia autem ex utraque Ethica in epitomen redacta esse videntur); Περὶ ἀρετῶν καὶ κακιῶν, De virtutibus et vitiis (spurius); Πολιτικά, Politica; Πολιτεία Ἀθηναίων, Constitutio Atheniensium (ed. a *F. G. Kenyon*, Supplem. Aristotel. III, 2, Berolini 1903); Οἰκονομικά, Oeconomica (l. I dubius, ex schola peripatetica; l. II spur.).

5. Rethorica et Poetica: Τέχνη ῥητορική, Ars rhetorica; Ῥητορικὴ πρὸς Ἀλέξανδρον, Rhetorica ad Alexandrum (spur.); Περὶ ποιητικῆς, De poetica.

Bibliographia: *W. Jaeger*, Aristoteles. Grundlegung einer Geschichte seiner Entwicklung, Berlin 1923. *F. Ueberweg*, Grundriss der Geschichte der Philosophie, 1. Teil: Die Philosophie des Altertums[12], hrsg. von *K. Praechter*, Berlin 1926, 353—373. De versionibus latinis operum Aristotelis Medio Aevo confectis cf. Aristoteles Latinus, codices descripsit + *G. Lacombe* ..., pars prior, Corpus Philosophorum Medii Aevi, Romae 1939.

Opera S. Thomae Aquinatis distribuuntur secundum triplicem actum magisterii medio aevo consuetum: lectionis (commentaria), disputationis, prae-

dicationis, quibus accedunt opera et opuscula systematica vel monographica. Quantum fieri potest, etiam tempus indicatur, quo singula opera a S. Doctore scripta sunt.

1. Commentaria: a) in libros Sacrae Scripturae: Iob (1269—1270), Psalmorum 1—54, 16 (1272—1273), Cantici Canticorum (expositio genuina S. Thomae non videtur conservata), Isaiae (1256—1257), Ieremiae c. 1—42 (1267—1268), Threnorum Ieremiae (1267), Catena aurea super quattuor Evangelia (1262—1267), Evangelii Matthaei (1257—1259; reportatio Petri de Andria et Leodegarii Bisuntini), Evangelii Ioannis (1270—1272; a c. 6 reportatio Reginaldi de Piperno), Epistolarum S. Pauli (a S. Thoma scripta sunt Rom. et I Cor. 1—7, 13 [1272—1273]; I Cor. 7, 14 ad c. 10 ex comment. Petri de Tarantasia; reliqua: reportatio Reginaldi de Piperno [1259—1265]).

b) in libros *Aristotelis*: Perihermeneias, l. I—II lect. 2, i. e. usque ad expositionem in c. 10 huius operis, cuius originale graecum unico libro continetur (1269 ad 1272), reliqua a Caietano; Analyticorum posteriorum (1268 vel post); Physicorum (1265—1268 vel post); De caelo et mundo, l. I—III lect. 8 (1272), reliqua a Petro de Alvernia; De generatione et corruptione, l. I lect. 1—17 (1272—1273), reliqua a Thoma de Sutton; Meteorologicorum, l. I—II lect. 9 (ed. Leonina lect. 10) (1269—1271), reliqua a Petro de Alvernia; De anima, l. I est reportatio Reginaldi de Piperno, l. II et III a S. Thoma (ca. 1266 vel 1270); De sensu et sensato (ca. 1266); De memoria et reminiscentia (ca. 1266); Metaphysicorum (ca. 1265 vel post 1268); Ethicorum ad Nicomachum (ca. 1266); Politicorum, l. I—III lect. 6 (ca. 1268), reliqua a Petro de Alvernia.

c) in alios auctores: in «Librum de causis» (1269—1272); in Boëthium «De hebdomadibus» (opusc. 69) (1257—1258); in Boëthium «De Trinitate» (opusc. 70) (1256); in Dionysium «De divinis nominibus» (ca. 1260).

2. Quaestiones disputatae: De veritate (1256—1259); De potentia (1259 ad 1263); De natura beatitudinis (1266; ed. a Mandonnet in RTh 23 (1918) 366 ad 371; ab aliis ut spuria habetur); De malo (1263—1268 vel 1270—1272); De unione Verbi incarnati (1268 vel 1272); De spiritualibus creaturis (1269 vel 1267—1268); De anima (1269—1270); De virtutibus (1270—1272 vel 1269—1270): 1. De virtutibus in communi, 2. De caritate, 3. De correctione fraterna, 4. De spe, 5. De virtutibus cardinalibus. Quodlibeta disputata sunt semel vel bis in anno circa festa Nativitatis Domini et Paschae: Quodlibeta I—VI et XII (1269 ad 1272); Quodlibeta VII—XI (1256—1259).

3. Sermones universitarii, quos S. Doctor habuit, inter opuscula suo loco enumerabuntur.

4. Opera maiora systematica: Scriptum in IV libros Sententiarum (1254 ad 1256); Summa contra Gentiles (1258—1264); Summa theologica (1267—1273; III partem S. Doctor morte praeventus incompletam reliquit; Supplementum, quo eam complevit Reginaldus de Piperno, ex scripto S. Thomae in l. IV Sententiarum desumptum est).

5. Opuscula (secundum enumerationem editionis Romanae a. 1570; — asterisco [*] signantur opuscula quae a P. Mandonnet O.P. apocrypha quidem reputantur, a M. Grabmann vero authentica habentur): 1. Contra errores Graecorum (ca. 1263); 2. Compendium theologiae (1272—1273); 3. De rationibus fidei, sive: Declaratio quorumdam articulorum, contra Graecos, Armenos et Saracenos (1264—1268); 4. Collationes de decem praeceptis, reportatio (1273); 5. De articulis fidei et sacramentis ecclesiae (1261—1262); 6. Collationes de Credo in Deum, reportatio (1273); 7. Collationes de Pater noster, reportatio (1273); 8. Collationes de Ave Maria, reportatio (1273); 9. Responsio ad Fr. Ioannem Vercellensem de articulis 108 ex opere P. de Tarantasia (1265—1266); 10. De articulis 42 (1271); 11. Ad lectorem Venetum de articulis 36 (1271); 12. Ad lectorem Bisuntinum de articulis 6 (1271); 13. *De differentia verbi

divini et humani; 14. *De natura verbi intellectus; 15. De substantiis separatis, sive: De natura angelorum (post 1268); 16. De unitate intellectus, contra Averroistas (1270); 17. Contra doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu (1270); 18. De perfectione vitae spiritualis (1269); 19. Contra impugnantes Dei cultum (1256); 20. De regno vel de regimine principum ad regem Cypri, l. I—II, c. 4 (1265—1267), reliqua a Ptolemaeo de Lucca; 21. De regimine Iudaeorum ad ducissam Brabantiae (1261); 22. De forma absolutionis sacramentalis ad Magistrum Ordinis (1269—1272); 23. Expositio in I Decretalem; 24. Expositio in II Decretalem; 25. De sortibus (1269—1272); 26. De iudiciis astrorum (1269—1272); 27. De aeternitate mundi (1270); 28. De fato (spur.); 29. *De principio individuationis; 30. De ente et essentia (1254—1256); 31. De principiis naturae (1254); 32. *De natura materiae et dimensionibus interminatis (1252—1256); 33. De mixtione elementorum (1273); 34. De occultis operationibus naturae (1269—1273); 35. De motu cordis (1273); 36. *De instantibus; 37. *De quattuor oppositis; 38. De demonstratione; 39. De fallaciis (1244 vel 1269); 40. De propositionibus modalibus (1244 vel 1269); 41. *De natura accidentis; 42. *De natura generis; 43. De potentiis animae (spur.); 44. De tempore (spur.); 45. De pluralitate formarum (spur.); 46. (Altera pars opusc. 32); 47. De natura syllogismorum (spur.); 48. Summa totius logicae (spur.); 49. De sensu respectu singularium et intellectu respectu universalium (spur.); 50. De inventione medii (spur.); 51. De natura luminis (spur.); 52. De natura loci (spur.); 53. De intellectu et intelligibili (spur.); 54. De quo est et quod est (spur.); 55. et 56. De universalibus (spur.); 57. Officium Corporis Christi (1264); 58. De venerabili sacramento altaris (spur.); 59. De sacramento Eucharistiae ad modum praedicamentorum (spur.); 60. De humanitate Iesu Christi Domini nostri (spur.); 61. De dilectione Dei et proximi (spur.); 62. De divinis moribus (spur.); 63. De beatitudine (spur.); 64. De modo confitendi (spur.); 65. De officio sacerdotis (spur.); 66. Expositio Missae (spur.); 67. De emptione et venditione (1262); 68. Epistola de modo studendi; 69. In Boëthium « De hebdomadibus » (1257—1258); 70. In Boëthium « De Trinitate » (1256); 71. De vitiis et virtutibus (spur.); 72. De concordantiis in seipsum (spur.); 73. De usuris (spur.). — Quae sequuntur, in editione Romana aut omnino non inveniuntur aut inter opuscula non enumerantur, quamquam sunt genuina S. Doctoris scripta: De secreto; Sermones pro dominicis et Sanctorum sollemnitatibus (1254—1264); Sermo de festo Corporis Christi; Responsio ad Bernardum abbatem Cassinensem (1274).

Bibliographia: *M. Grabmann,* Die Werke des hl. Thomas von Aquin², Beiträge zur Geschichte der Philos. und Theol. des Mittelalters, Bd. XXII 1—2, Münster 1931. *F. van Steenberghen,* La lecture et l'étude de saint Thomas. Réflexions et conseils, RNSPh 53 (1955) 301—320. *P. A. Walz,* Chronotaxis vitae et operum S. Thomae de Aquino, Ag 16 (1939) 463—473.

LOGICA

4. Logicae notio. Logica (λογικὴ ἐπιστήμη) secundum nominis etymologiam est scientia rationalis, quia versatur circa ipsum actum rationis. Definitur Logica a S. Thoma: « ars directiva ipsius actus rationis, per quam scil. homo in ipso actu rationis ordinate et faciliter et sine errore procedat» (In. Anal. post. I lect. 1). Actus autem rationis est ratiocinium. Intellectus enim humanus ratio vocatur, inquantum virtute pollet deducendi conclusiones ex principiis. Ad ratiocinium ordinantur iudicium et simplex apprehensio. Quare obiectum principale Logicae est ratiocinium; de iudicio autem et simplici apprehensione agit, inquantum ordinantur ad ratiocinium.

5. Logicae divisio. In ratiocinio distinguenda est forma — artificiosa conceptuum dispositio ad consequentiam manifestandam, et materia — illud obiectivum, quod forma ratiocinii continetur et exprimitur. Ratione formae ratiocinium vocatur rectum, ratione materiae verum. Ita ratiocinium: « Omne animal est rationale; atqui canis est animal; ergo canis est rationalis », est rectum, sed non est verum. Ut autem homo « in ipso actu rationis ordinate et faciliter et sine errore procedat », utrumque requiritur: forma recta, i. e. dispositio terminorum secundum regulas Logicae; et materia vera et evidenter vera, ut habeatur conclusio vera et certa. Veritas enim certitudine possidetur, et certitudo evidentia gignitur. Quare Logica in duas partes dividitur principales: in Logicam formalem, quae in actibus rationis formam, et Logicam materialem, quae hac forma contentam materiam considerat. Logica formalis resolvit ratiocinium in principia sua formalia explicando et probando regulas, quibus ratio nostra dirigenda est, ut actus eius sint recti; Logica materialis ratiocinium in principia sua materialia resolvit, ostendendo, qualis debeat esse materia, ut habeatur conclusio vera et certa. Resolutio in principia formalia ab Aristotele vocatur prior, eamque in Analyticis prioribus tradit; ad Analytica priora seu ad Logicam formalem spectat etiam Aristotelis liber Περὶ ἑρμηνείας seu De interpretatione, qui agit de prima et secunda mentis operatione in ordine ad Analytica priora. Resolutio in principia materialia vocatur posterior et traditur ab Aristotele in Ana-

lyticis posterioribus; ad Analytica posteriora seu ad Logicam materialem spectat etiam Aristotelis liber Praedicamentorum, qui agit de prima mentis operatione in ordine ad Analytica posteriora.

Logicam formalem secundum tres operationes mentis in tres partes subdividimus, quarum prior agit de simplici apprehensione (Perihermenias pars prior), altera de iudicio (Perihermenias pars altera), tertia de ratiocinio (Analytica priora). Logicam materialem dividimus in Logicam prooemialem et Logicam praedicamentalem et Logicam demonstrativam (Analytica posteriora); nam ratiocinium, quo habetur conclusio vera et certa, demonstratio dicitur. Logica prooemialis agit de natura Logicae et de obiecto eius formali, Logica praedicamentalis agit de prima mentis operatione, Logica demonstrativa agit de secunda et de tertia mentis operatione, i. e. de syllogismo demonstrativo et de eius principiis.

Ultima huius divisionis ratio sita est in ipsa Logicae natura, quae scientia simul est et ars (cf. n. 91-93). Sed «in omni arte duo sunt praecipue consideranda, scilicet materia, in qua ars operatur, et forma, quae in tali materia inducitur, sicut in facienda domo materia sunt lapides et ligna, forma autem est compositio, quia ista inter se coordinantur in una figura et structura domus» (Jo. a S. Thoma, Curs. phil. thom., Logica, praeludium secundum —Reiser I 5 a 10-17). Inde Logica dividitur in materialem et formalem. Utraque autem iterum dividitur secundum tres operationes, quibus perficitur mens humana. Tota itaque haec divisio est secundum naturam intrinsecam ipsius Logicae. Alia autem divisio in Logicam minorem et maiorem, quamvis materialiter cum divisione nostra coincidat, ipsi tamen Logicae extrinseca est, quia attenditur secundum minorem vel maiorem difficultatem rerum tractandarum, ita ut in Logica minori de facilioribus agatur, in Logica vero maiori de difficilioribus; aliis verbis: ista divisio instituitur per ordinem ad discentem.

Bibliographia ad 4—5: *R. Bizzarri*, Nuova logica o metafisica nuova?, DThPlac 43 (1940) 136—155. *A. Pastore*, Logica nuova e metafisica nuova. Risposta al P. R. Bizzarri, l. c. 345—353. *R. Bizzarri*, Nuova logica o metafisica nuova? Controreplica al Prof. Pastore, l. c. 498—504. *A. Pastore*, Risposta alla controreplica del P. R. Bizzarri, l. c. 504. *J. D. Folghera*, Qu'est-ce que la Logique?, RTh 6 (1898/99) 631—644. *G. v. Holtum*, Was ist Logik?, JPhTh 14 (1900) 390-413.

Ad 4. *Aristotelis* scripta de re logica a discipulis eius ὀργανικά vocabantur sive ὄργανον (cf. Top. I 18, 108 b 32; VIII 14, 163 b 11), quia instrumentum seu methodum sciendi tradunt. «Quia non est facile, quod homo simul duo capiat, sed, dum ad duo attendit, neutrum capere potest: absurdum est, quod homo simul quaerat scientiam et modum, qui convenit scientiae. Et propter hoc debet prius addiscere Logicam quam alias scientias, quia Logica tradit

communem modum procedendi in omnibus aliis scientiis» (*S. Thom.*, In Met. II 3 lect. 5 n. 335. Διὸ δεῖ πεπαιδεῦσθαι πῶς ἕκαστα ἀποδεκτέον, ὡς ἄτοπον ἅμα ζητεῖν ἐπιστήμην καὶ τρόπον ἐπιστήμης: 995 a 12; cf. Met. IV 3, 1005 b 2—5). Cf. text. cit. ad 87.

Ad 5. Ordinem operum logicalium Aristotelis *S. Thomas* his verbis indicat: «Sicut dicit Philosophus in III De anima, duplex est operatio intellectus: una quidem, quae dicitur indivisibilium intelligentia, per quam scil. intellectus apprehendit essentiam uniuscuiusque rei in seipsa; alia est operatio intellectus, scil. componentis et dividentis. Additur autem et tertia operatio, scil. ratiocinandi, secundum quod ratio procedit a notis ad inquisitionem ignotorum. Harum autem operationum prima ordinatur ad secundam: quia non potest esse compositio et divisio nisi simplicium apprehensorum. Secunda vero ordinatur ad tertiam: quia videlicet oportet quod ex aliquo vero cognitio, cui intellectus assentiat, procedat ad certitudinem accipiendam de aliquibus ignotis. Cum autem Logica dicatur rationalis scientia, necesse est quod eius consideratio versetur circa ea, quae pertinent ad tres praedictas operationes. De his igitur quae pertinent ad primam operationem intellectus, id est de his quae simplici intellectu concipiuntur [quoad materiam], determinavit Aristoteles in libro Praedicamentorum. De his vero quae pertinent ad secundam operationem, scil. de enuntiatione affirmativa et negativa [de prima et secunda mentis operatione quoad formam], determinavit Philosophus in libro Perihermenias. De his vero, quae pertinent ad tertiam operationem, determinavit in libro Priorum et in consequentibus, in quibus agitur de syllogismo simpliciter et de diversis syllogismorum et argumentationum speciebus, quibus ratio de uno procedit ad aliud. Et ideo secundum praedictum ordinem trium operationum liber Praedicamentorum ordinatur ad librum Perihermenias, qui ordinatur ad librum Priorum et sequentes» (*S. Thom.*, In Perih. I lect. 1 n. 1 sq.). «Simplicium dictionum triplex potest esse consideratio. Una quidem, secundum quod absolute significant simplices intellectus [= conceptus], et sic earum consideratio pertinet ad librum Praedicamentorum. Alio modo, secundum rationem, prout sunt partes enuntiationis, et sic determinatur de iis in hoc libro [Perihermenias]; et ideo traduntur sub ratione nominis et verbi: de quorum ratione est quod significent aliquid cum tempore vel sine tempore, et alia huiusmodi, quae pertinent ad rationem dictionum, secundum quod constituunt enuntiationem. Tertio modo considerantur, secundum quod ex iis constituitur ordo syllogisticus, et sic determinatur de iis sub ratione terminorum in libro Priorum» (l. c. n. 5; cf. text. cit. ad 21 sq.). *S. Thomas*: «Quia iudicium certum de effectibus haberi non potest nisi resolvendo in prima principia, ideo pars haec [scil. Logicae, quae deservit rationis processui, per quem scientiae certitudo acquiritur] Analytica vocatur, i. e. resolutoria. Certitudo autem iudicii, quae per resolutionem habetur, est, vel ex ipsa forma syllogismi tantum, et ad hoc ordinatur liber Priorum analyticorum, qui est de syllogismo simpliciter; vel etiam cum hoc ex materia, quia sumuntur propositiones per se et necessariae, et ad hoc ordinatur liber Posteriorum analyticorum, qui est de syllogismo demonstrativo» (In Anal. post. I lect. 1 n. 6; cf. l. c. II lect. 4 n. 2).

Pars I

LOGICA FORMALIS

Caput I

DE SIMPLICI APPREHENSIONE

§ 1. De simplici apprehensione et conceptu in genere

6. Simplicis apprehensionis notio. Simplex apprehensio definitur: actus, quo intellectus aliquam essentiam cognoscit, quin quidquam de ea affirmet vel neget; qua cognitione producitur conceptus. Simplici enim apprehensione intellectualiter concipimus rem.

7. Conceptus notio. Conceptus seu idea est illud a mente et in mente expressum, quo intelligimus seu concipimus rem. Distinguunt conceptum formalem (subiectivum, proprie dictum) et conceptum obiectivum (analogice dictum). Cum conceptus formalis sit id, in quo intelligimus, conceptus obiectivus est id, quod intelligimus formaliter, i. e. per se primo, seu ratio obiectiva, quae mediante conceptu formali immediate obversatur menti. Conceptus formalis est species expressa a mente et in mente seu imago intentionalis, in qua contemplamur obiectum; conceptus vero obiectivus est ipsum obiectum formale intellectus. Notanda est differentia inter obiectum materiale et obiectum formale. Obiectum formale est id, quod formaliter, i. e. per se primo, seu immediate attingitur, et quo mediante attingitur obiectum materiale; obiectum vero materiale est, quod mediate attingitur. Ita obiectum materiale visus est corpus, obiectum autem formale est coloratum. Obiectum igitur formale intellectus est res, prout est per se primo intellecta, seu res secundum illam rationem obiectivam, secundum quam immediate obversatur intellectui. Etsi enim obiectum intellectus seu essentia rei in se simplex est, multas tamen prae se fert perfectiones seu gradus, secundum quos concipi seu considerari ab intellectu potest. Ita homo considerari potest, ut est substantia, ut est animal, ut est rationalis, ut est universalis, ut est singularis hic homo. Hi gradus sunt tot obiecta formalia, eodem manente obiecto materiali.

8. Conceptus notae. Notae dicuntur distinctiva illa obiectiva, ope quorum nobis innotescit conceptus obiectivus, et quibus illum distinguimus ab omnibus aliis. Ita possumus concipere hominem ut animal rationale, i. e. mediantibus notis animalitatis et rationalitatis; sed hominem possumus etiam concipere ut animal bipes, implume, his notis eum ab omnibus aliis distinguendo. Cum igitur conceptus formalis sit subiectivum illud, quo intelligimus rem, notae sunt obiectivum illud, quo rem intelligimus et distinguimus ab omnibus aliis rebus.

9. Conceptus formalis est signum formale rei. Signum est id, quod potentiae cognoscitivae repraesentat aliquid aliud a se, tamquam vices eius gerens. Ex quo patet *a)* signum semper esse distinctum a re significata; *b)* signum mensurari a re significata ac dependere ab ipsa tamquam minus principale a principaliore. Quare ipsum signum formaliter seu significatio consistit in relatione secundum esse (cf. n. 190) ad rem significatam.

Signum aliud est naturale, quod repraesentat ex naturae instituto, aliud arbitrarium seu ad placitum, quod repraesentat ex arbitraria institutione. Ita gemitus est signum naturale doloris, ramus ad ianuam appensus ex hominum instituto significat vinum vendibile. In signis naturalibus relatio secundum esse, in qua consistit significatio, est realis, in ceteris est rationis tantum. Signum naturale aut est imago, quae aliud a se repraesentat ratione convenientiae seu similitudinis, aut non est imago. Signum, quod est imago, dividitur in signum instrumentale seu ex quo et signum formale seu in quo. Signum instrumentale est, quod mediante praevia notitia sui repraesentat aliud a se; signum formale est, quod sine praevia notitia sui statim immediate repraesentat aliud a se. Ita statua est imago, quae est signum instrumentale. Et signum omne, quod non est imago, sive est signum naturale sive arbitrarium, est signum instrumentale. Ita gemitus est signum instrumentale naturale doloris, et fumus est signum instrumentale naturale ignis, et ramus ad ianuam appensus est signum instrumentale arbitrarium. Sola imago cognitione expressa, i. e. conceptus formalis, est signum formale, i. e. forma intentionalis, quae absque praevia notitia sui repraesentat aliud a se (cf. n. 468, 1).

Ut signo percipiatur res significata, non requiritur duplex cognitio (signi et significati), sed eadem cognitione duplex attingitur cognitum: cognoscitur signum et eo ipso res significata, non utique in seipsa, sed prout signo repraesentatur; aliis verbis: cognoscitur signum prout est signum, seu prout in ipso res significata habet « esse significatum ».

10. Comprehensio, extensio conceptus. Comprehensio conceptus est complexio notarum, quae conceptum constituunt; extensio est com-

plexio omnium obiectorum, quorum imago est conceptus. Quo maior est alicuius conceptus comprehensio, eo minor est eius extensio, et quo minor est comprehensio, eo maior est extensio. Ita conceptus animalis latius patet quam conceptus hominis.

11. Varia conceptus nomina. Conceptus mentis variis significatur nominibus; vocatur: idea ab εἴδω et species a verbo inusitato specere, quia est quaedam visio obiecti et principium cognitionis eius; forma intelligibilis, quia est similitudo quaedam repraesentans obiectum; verbum mentis, quia a mente quasi profertur et dicitur; notio, quia est ratio, qua obiectum menti innotescit; intentio, quia est id, quo mens tendit in obiectum cognoscendum; ratio, inquantum est principium cognoscendi rem; terminus (mentalis), quia in ipso terminat resolutio operationis mentalis complexae.

Ad 6. Simplex apprehensio ab *Aristotele* vocatur « indivisibilium intelligentia » (ἡ τῶν ἀδιαιρέτων νόησις: De an. III 6, 430 a 26; cf. *S. Thom.* lect. 11). Eam *S. Thomas*, In Perih. I lect. 3 n. 3, ita explicat: « Oportet intelligere quod una duarum operationum intellectus est indivisibilium intelligentia: in quantum scil. intellectus intelligit absolute cuiusque rei quidditatem sive essentiam per seipsam, puta quid est homo, vel quid album vel quid aliud huiusmodi. Alia vero operatio intellectus est, secundum quod huiusmodi simplicia concepta simul componit et dividit ». Cf. ib. lect. 1 n. 1 (cit. ad 5); Spir. creat. a. 9 ad 6. « Intelligentia indivisibilium sive incomplexorum, secundum quam concipit [intellectus] quid est res ... a quibusdam dicitur informatio intellectus sive imaginatio per intellectum » (*S. Thom.*, In Anal. post. I 1 lect. 1 n. 4). « Secundum hanc operationem [simplicem intelligentiam] intellectus non assentit nec dissentit » (III Dist. 23, 2 a. 2 sol. 1; cf. In Met. VI 3 lect. 4 n. 1224 1232 sqq.). « Angelus per simplicem apprehensionem subiecti cognoscit esse vel non esse, sicut et nos componendo et dividendo » (Malo 16, 6 ad 1 in contrar.; cf. S. th. I 58, 4; 85, 5).

Ad 7. Vocum « significationem exponens *[Aristotelis]* dicit: "Sunt ergo ea quae sunt in voce, notae", idest signa "earum passionum, quae sunt in anima" [Ἔστι μὲν οὖν τά ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα: Perih. 1, 16 a 3] ... Passiones animae vocat omnes animae operationes [cf. De an. I 1, 403 a 3; *S. Thom.* lect. 2 n. 16 sqq. <ed. Pirotta, Taurini>]. Unde et ipsa conceptio intellectus passio dici potest... Hoc quod dicit passiones animae, quas significant voces, esse omnibus easdem... referendum est ad simplices intellectus conceptiones (quas significant voces incomplexae), quae sunt eaedem apud omnes [ὧν ταῦτα <γράμματα καὶ φωναὶ> σημεῖα πρώτως, ταὐτὰ πᾶσι παθήματα τῆς ψυχῆς: Perih. 1, 16 a 6]; quia, si quis vere intelligit quid est homo, quodcumque aliud aliquid, quam hominem apprehendat, non intelligit hominem. Huiusmodi autem simplices conceptiones intellectus sunt, quas primo voces significant » (*S. Thom.*, In Perih. I lect. 2 n. 3 6 10). Conceptus ab *Aristotele* νόημα vocatur (Perih. 1, 16 a 10 14 [cf. ad 26]; De an. III 8, 432 a 11); etiam λόγος (Cat. 1 [cit. ad 20]; Eth. I 4, 1096 b 21 24). *S. Thomas*: « Conceptus simplices » (In Perih. I lect. 3 n. 13 [cit. ad 26]). « Ratio, prout hic sumitur, nihil aliud est quam id quod apprehendit intellectus de significatione alicuius nominis » (I Dist. 2, 1 a. 3; cf. C. g. II 75: Secunda vero). Cf. text. ad 11.

Ad 9. *S. Thomas:* «Signum quantum est in se, importat aliquid manifestum quoad nos, quo manuducimur in cognitionem alicuius occulti» (IV Dist. 1, 1 a. 1 sol. 1 ad 5). «Relatio, quae importatur in nomine signi, oportet quod super aliquid fundetur» (S. th. III 63, 2 ad 3). «Imago proprie dicitur quod procedit ad similitudinem alterius» (I 35, 1 ad 1; cf. 93, 1 2 9). *Aristoteles* «litteras dixit esse notas, idest signa vocum, et voces passionum animae similiter; passiones [conceptus] autem animae dicit esse similitudines rerum [cf. verba supra allata (ad 7 : 16 a 3), quibus addit: καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ : 16 a 4. Et post verba item supra posita (16 a 6), continuat: καὶ ὧν ταῦτα <sc. παθήματα> ὁμοιώματα, πράγματα ἤδη ταὐτά : Perih. 1, 16 a 7]: et hoc ideo, quia res non cognoscitur ab anima nisi per aliquam sui similitudinem exsistentem vel in sensu vel in intellectu. Litterae autem ita sunt signa vocum, et voces passionum, quod non attenditur ibi aliqua ratio similitudinis, sed sola ratio institutionis, sicut et in multis aliis signis: ut tuba est signum belli. In passionibus autem animae oportet attendi rationem similitudinis ad exprimendas res, quia naturaliter eas designant, non ex institutione» *(S. Thom.,* In Perih. I lect. 1 n. 9). *S. Thomas:* «Forma intelligibilis potest dici signum rei quae per ipsam cognoscitur» (Ver. 9, 4 ad 4). «Imago rei dupliciter potest considerari: uno modo inquantum est res quaedam; et cum sit res distincta ab eo cuius est imago, per modum istum alius erit motus virtutis cognoscitivae in imaginem, et in id cuius est imago. Alio modo consideratur prout est imago; et sic idem est motus in imaginem, et in id cuius est imago» (Ver. 8, 3 ad 18; cf. S. th. III 25, 3 c.; in De mem. et remin. lect. 3 n. 340).

Ad 11. *S. Thomas:* «Idea enim graece, latine forma dicitur: unde per ideas intelliguntur formae aliarum rerum, praeter ipsas res exsistentes. Forma autem alicuius rei praeter ipsam exsistens, ad duo esse potest: vel ut sit exemplar eius cuius dicitur forma; vel ut sit principium cognitionis ipsius, secundum quod formae cognoscibilium dicuntur esse in cognoscente» (S. th. I 15, 1). «Idea, . . . secundum quod principium cognoscitivum est, proprie dicitur ratio» (l. c. 3). «Res exterior intellecta a nobis in intellectu nostro non exsistit secundum propriam naturam, sed oportet quod species eius sit in intellectu nostro, per quam fit intellectus in actu . . . Species praedicta, quae est principium intellectualis operationis ut forma, est similitudo illius [= rei] . . . Intellectus, per speciem rei formatus, intelligendo format in seipso quandam intentionem rei intellectae, quae est ratio ipsius, quam significat definitio» (C. g. I 53). «Dico autem intentionem intellectam id quod intellectus in seipso concipit de re intellecta. Quae quidem in nobis neque est ipsa res quae intelligitur; neque est ipsa substantia intellectus; sed est quaedam similitudo concepta in intellectu de re intellecta, quam voces exteriores significant; unde et ipsa intentio verbum interius nominatur, quod est exteriori verbo significatum» (C. g. IV 11).

§ 2. De divisione conceptuum

12. Divisio conceptuum in genere. Conceptus considerari possunt materialiter, ratione rei significatae, et formaliter, ratione modi significandi. Ratione rei significatae conceptus dividuntur sicut res. Sed haec divisio ad Logicam materialem pertinet. Ratione modi significandi seu repraesentandi seu secundum diversos modos, quibus una eademque res cognosci seu repraesentari potest, conceptus dividuntur: 1. ratione extensionis; 2. ratione comprehensionis; 3. ratione perfectionis; 4. ratione originis et finis.

13. Divisio ratione extensionis. Ratione extensionis conceptus dividuntur in singulares (hic homo, Petrus) et universales (homo), quatenus eorum comprehensio ad unum tantum vel ad plura extenditur individua. Conceptus universalis potest esse restrictus (aliqui homines, aliquod animal) aut non restrictus (homo). Conceptus universalis restrictus vocatur particularis vel disiunctivus. Conceptus universalis non restrictus est aut collectivus (familia, civitas) aut distributivus (homo), quatenus exprimit aliquid commune multis aut collectim aut distributive sumptis. Conceptus « homo » exprimit id, quod convenit omnibus individuis humanis distributive, i. e. singulis seorsim sumptis ; conceptus « familia » exprimit aliquid, quod non convenit pluribus individuis nisi collectim sumptis. Conceptus universalis distributivus subdividitur in conceptum universalem univocum et conceptum universalem analogum. Conceptus universalis univocus est, qui communis est pluribus eadem ratione (natura humana) ; conceptus universalis analogus significat aliquid commune pluribus diversa ratione (« sanum » dicitur de animali, de cibo, de colore, etc. diversa ratione).

Inter conceptus universales analogos notandi sunt conceptus transcendentales, qui transcendunt omne genus ; exhibent enim aliquid, quod convenit simpliciter omnibus rebus, sed analogice. Sunt sex : ens, res, aliquid, unum, verum, bonum.

Nota. Ipse conceptus collectivus potest iterum esse singularis et universalis distributive, quatenus refertur ad unam vel ad plures collectiones eiusdem speciei, de quibus universaliter distributive dicitur : « Haec familia » de una determinata collectione dicitur, « familia » autem de omnibus et singulis familiis distributive sumptis.

14. Divisio ratione comprehensionis. Ratione comprehensionis conceptus dividuntur in simplices (incomplexos) et compositos (complexos). Conceptus simplex est, qui unam, compositus, qui plures essentias repraesentat. Ita conceptus hominis albi est compositus. Conceptus simplex potest esse concretus et abstractus. Conceptus concretus significat formam cum subiecto (homo) ; abstractus formam sine subiecto significat (humanitas) ; concretus significat id quod est, abstractus id quo est aliquid ; forma enim est id, quo aliquid est id quod est. Conceptus concretus est aut absolutus aut conotativus. Absolutus significat aliquid ad modum substantiae, sive in se substantia sit, ut homo, sive ad modum substantiae tantum concipiatur, ut albedo (conceptus abstractus absolutus). Conotativus (consignificativus) significat aliquid ad modum adiacentis alteri tamquam subiecto, ut album, caecus.

Conotativus igitur habet unum significatum principale et in recto, quod est idem cum suo absoluto (ut album significat albedinem), et alterum minus principale et in obliquo scil. illud, cui adiacet et in quo invenitur. Conceptus conotativos est conceptus iam quodammodo compositus. « Album » significat albedinem tamquam adiacentem alteri, non tamquam per se stantem, atque ita « album » duas essentias significat: alteram in recto, alteram in obliquo. Contra «homo» non significat humanitatem tamquam adiacentem alteri, sed unam rem tantum dicit, quamquam significat formam cum subiecto.

15. Divisio ratione perfectionis. Ratione perfectionis conceptus dividuntur in finitos et infinitos. Conceptus finitus determinatam essentiam significat, infinitus (indefinitus), ut non-homo, nullam essentiam determinate significat, sed dicit tantum id, quod res non est. Est conceptus imperfectissimus. Conceptus finitus est aut proprius (clarus) aut communis (obscurus). Hic essentiam in communi tantum significat, ita ut a ceteris essentiis omnibus non possit distingui, exemplum sit conceptus animalis; eo habito de aliqua re ignoratur, utrum sit brutum animal an rationale. Ille essentiam exprimit ita, ut possit ab omnibus aliis essentiis distingui. Conceptus proprius seu clarus est aut quidditativus seu distinctus aut non quidditativus seu confusus. Conceptus quidditativus praedicata rei essentialia pandit; ita si homo cognoscitur ut animal rationale, cognoscitur conceptu quidditativo. Conceptus proprius non quidditativus essentiam aliquam distinguit ab omnibus aliis non per ipsa praedicata essentialia, sed per aliquod proprium aut per congeriem accidentium, quorum unumquodque seorsim sumptum etiam aliis rebus convenit, quae tamen simul in nulla alia re inveniuntur (exemplo sit homo, quatenus concipitur ut animal bipes, implume), aut per causam rei extrinsecam (exempla vide n. 33). Conceptus etiam tunc confusus est, cum ab attributis propriis nequeunt distingui attributa essentialia. Ad quam confusionem tollendam agitatur saepe in philosophia quaestio de « constitutivo metaphysico » seu essentiali alicuius rei.

Conceptus quidditativus est aut completus (adaequatus) aut incompletus. Completus est, qui omnes gradus essentiales rei penetrat seu etiam notarum notas distinguit, quousque distinguibiles sunt. Eiusmodi est conceptus, qui hominem tamquam substantiam corpoream, viventem, sensitivam, rationalem attingit. Conceptus quidditativus incompletus notas omnes resolvere nequit ac proinde ex parte manet confusus, quatenus notam aliquam nonnisi confuse attingit. Conceptus proprius non quidditativus dicitur clarus quoad extensionem, quam perfecte manifestat, confusus vero quoad comprehensionem seu quoad notas essentiales. Logicae

materialis scopus aliquis principalis est per doctrinam de praedicamentis seu per ordinationem rerum secundum genera et species reddere conceptus claros et distinctos.

Conceptus quidditativus (completus) potest esse stricte quidditativus seu simpliciter positivus aut non stricte quidditativus seu positivo-negativus. Ille praedicata rei omnia positive attingit, hic vero quaedam praedicata positive, alia negative tantum cognoscit atque ita ex hac parte potius repraesentat, quid res non sit, quam quid sit. Ita concipimus substantiam spiritualem conceptu positivo-negativo, positive repraesentando praedicata, quae ei communia sunt cum substantiis corporeis, addendo negationes, quibus removentur imperfectiones corporeae, ut extensio etc. Hoc modo una res concipitur ad instar alterius seu ad analogiam alterius. Contra conceptus stricte quidditativus repraesentat essentiam positive, prout est in se. Tandem conceptus stricte quidditativus potest esse apprehensivus tantum aut etiam comprehensivus. Apprehensivus totam essentiam seu omnia eius praedicata quidditativa cognoscit, comprehensivus non tantum haec praedicata apprehendit, sed etiam comprehendit, i. e. cognoscit, quantum cognoscibilia sunt, exhauriendo totam rei cognoscibilitatem; cognoscit igitur totam essentiam totaliter.

16. Divisio ratione originis et finis. Ratione originis conceptus dividuntur: *a)* in mediatos et immediatos. Conceptus mediatus est, qui mediante alio conceptu habetur. Conceptus mediatus est mediatus aut obiective tantum aut formaliter. Conceptus est obiective tantum mediatus, si in alio excedente continetur, tunc unum in alio cognoscitur unico actu, sicut visione sensitiva videtur homo in speculo[1]. Conceptus est formaliter mediatus, si mediante alio conceptu per novum actum cognitionis formatur. Hoc fit, aut quatenus ex uno conceptu alius formatur, qui in illo conotative continebatur, in quo consistit reflexio (sive propria sive impropria), aut quatenus duo conceptus, actibus distinctis cogniti, in unum coniunguntur aut ad invicem separantur, quod iterum fit aut immediate aut mediate: fit immediate, si immediate apparet con-

---

[1] Conceptus excedens distinguitur contra proprium, non excedentem. Ex dictis patet conceptum proprium seu cognitionem propriam multipliciter dici: 1. ut distinguitur contra excedentem; ita cognitio propria seu conceptus proprius est cognitio seu conceptus limitatus ad aliquod determinatum obiectum; 2. ut distinguitur contra cognitionem communem; in hac acceptione cognitio propria est, quae est propria alicui rei, ita ut distinctiva eius cognoscantur; 3. ut distinguitur contra positivo-negativam, qua unum cognoscitur ad instar alterius. Cognitio propria, prout contra positivo-negativam distinguitur, est, quae rem repraesentat per speciem stricte quidditativam seu immediate ac per se primo destinatam ad illius cognitionem atque adeo illam exhibet, prout est in se citra negationes vel ordinem ad aliud.

ceptus sociandos esse aut separandos (evidentia immediata — iudicium immediatum); fit mediate, si mediate tantum apparet, ope tertii termini (evidentia mediata — iudicium conclusum, ratiocinium).

b) in conceptus intuitivos et abstractivos. Conceptus intuitivus est, qui formatur ex praesentia et exsistentia physica rei in rerum natura; conceptus abstractivus est, qui non formatur ex praesentia rei in rerum natura, sed cui res est praesens mere intentionaliter (obiective). Cognitio igitur intuitiva est cognitio terminans in obiectum realiter praesens, secus est abstractiva. Ad hanc definitionem intelligendam nota: 1. ad omnem cognitionem requiri praesentiam intentionalem, ad cognitionem vero intuitivam specialiter requiri praesentiam et exsistentiam realem in rerum natura; 2. praesentiam et exsistentiam posse sumi α) in actu signato, prout est ratio quaedam intellecta, β) in actu exercito, prout est exercita in rerum natura et afficit ipsum obiectum in se seu est in ipsa re physice exercita. Ad cognitionem intuitivam requiritur, ut terminet in obiectum realiter praesens, quatenus praesentia realis sumitur in sensu β. Cognitio intuitiva dicitur etiam visio et scientia visionis, abstractiva: simplex notitia et scientia simplicis intelligentiae.

Quia homo non cognoscit singulare seu exsistentiam nisi cognitione sensili aut mediante cognitione sensili, cognitio intuitiva humana est cognitio sensitiva sensuum externorum et sensus communis, quia hi sensus versantur circa praesentialiter exsistentia. Intellectiva cognitio humana non est intuitiva immediate, quia intellectus directe non attingit singulare seu exsistentiam, sed mediante sensu tantum, quatenus attingit exsistentiam per reflexionem quandam super cognitionem sensitivam, et ita mediante sensu protenditur usque ad singulare praesentialiter exsistens. Conceptus igitur intuitivus intellectus humani est conceptus, qui per reflexionem super cognitionem sensitivam fertur in rem prout praesentialiter exsistentem. Similiter principia per se nota omnibus dicuntur intuitiva, quia ex immediata experientia sensuum ab intellectu colliguntur.

Cognitio experimentalis est cognitio intuitiva illa, quae ex motione obiectorum in sensus hauritur. E quo patet cognitionem omnem intuitivam humanam esse experimentalem.

Ad cognitionem abstractivam pertinet cognitio scientifica humana seu rationalis, quia, quod ratiocinio, i. e. mediante alio tantum attingitur, in se non videtur.

c) in conceptus directos et reflexos. Conceptus reflexus est, quo intelligens suam ipsius intellectionem eiusque conceptum suamque animam cognoscit indirecte, i. e. regrediendo ab intellectione obiecti sui proprii ad huius intellectionis terminum (ad conceptum), ad ipsam suam intellectionem et principium eius (ad animam). Conceptus directus est, quo intellectus in obiectum fertur directe, i. e. sine illa regressione. Conceptus reflexus non obtinet in illo intellectu, cuius

obiectum proprium est propria substantia spiritualis huiusque accidentia propria, sed in humano tantum, cuius obiectum proprium est quidditas rei materialis, quam directe et immediate cognoscit. Sed conceptus directe repraesentans quidditatem rei materialis etiam seipsum et actum, cuius est terminus, et huius actus subiectum seu animam correpraesentat indirecte seu conotat. Ideo intellectus advertendo ad id, quod conotative continetur in conceptu directo, reflectit seu regreditur ad conceptum et intellectionem et animam intelligendam. Novus iste actus reflexus etiam novum producit terminum seu conceptum, qui est conceptus reflexus. Cognitio reflexa, quatenus terminat in obiecta realiter praesentia, ad intuitivam cognitionem tamquam experientia interna trahi potest, dummodo ne praeiudicetur indoli ipsius reflexivae.

d) in conceptus ultimatos et non ultimatos. Conceptus non ultimatus est conceptus vocis significantis ut significantis, seu generalius, cuiusque signi instrumentalis. Conceptus ultimatus est conceptus rei significatae. Conceptus aliquis dicitur non ultimatus, quia est medium, quo tenditur ad conceptum ultimatum et ad ipsam rem significatam. Mens enim non quiescit in signo, sed eo manuducitur ad rem significatam (cf. n. 553, 3).

Ratione finis conceptus dividuntur in speculativos et practicos. Conceptus practicus exsistentiam considerat rei tamquam in rerum natura efficiendam ; speculativus essentiam contemplatur et etiam exsistentiam, sed non tamquam efficiendam. Conceptus potest esse practicus in actu secundo aut in actu primo tantum ; est practicus in actu secundo, si actualiter movet ad rei effectionem ; si non actualiter movet, sed considerat tantum rem sub ratione producibilis, est practicus in actu primo tantum.

Bibliographia ad 16: *M. D. Roland-Gosselin*, Peut-on parler d'intuition intellectuelle dans la philosophie thomiste?, Philosophia perennis II (ed. F. J. v. Rintelen), Regensburg 1930. *M. Thiel*, Theoretisches und praktisches Erkennen, DThFrib 27 (1949), 154—179.

§ 3. De habitudine conceptuum ad invicem

17. Diversitas et conexio conceptuum. Secundum habitudinem ad invicem distinguuntur :

a) conceptus diversi et identici. Identici sunt, qui idem significant, secus sunt diversi. Si identitas refertur tum ad comprehensionem tum ad extensionem, conceptus dicuntur identici stricte (eadem res bis concepta eodem modo, i. e. iisdem notis) ; si vero extensio tantum eadem est, comprehensio vero diversa, dicuntur aequipollentes (2^4 et 4^2; triangulum aequilaterale et triangulum aequiangulatum ; animal rationale et animal bipes, implume).

b) conceptus impertinentes et pertinentes. Impertinentes sunt, qui nec se inferunt neque excludunt, ut albus et doctus; pertinentes (conexi) sunt, qui se inferunt, ut homo et animal, aut excludunt, ut homo et asinus. Illi dicuntur pertinentes sequela, hi pertinentes repugnantia seu oppositi. Pertinentes sequela sunt aequales (convertibiles), qui mutuo se inferunt, ut rationale et risibile, aut inaequales (non convertibiles), qui mutuo non se inferunt, ut homo et animal. Ex his conceptibus qui infertur, dicitur superior (animal), qui infert, inferior (homo). Recentes distinguunt conceptus sociabiles et insociabiles seu repugnantes. Sociabiles sunt pertinentes sequela et impertinentes antiquorum.

18. Oppositio conceptuum. Conceptus pertinentes repugnantia seu oppositi significant res seu rationes oppositas. Opposita definiuntur: quae in eadem re sub eodem respectu simul esse non possunt. Distinguuntur in proprie opposita et improprie opposita seu disparata. Proprie opposita dicuntur, quae ut opposita et repugnantia speciali se modo respiciunt (virtus et vitium). Disparata sunt, quae ut opposita et repugnantia speciali modo non se respiciunt (virtus et lapis).

Propria oppositio est quadruplex: contradictoria, privativa, contraria, relativa. Contradictoria oppositio est inter rem eiusque negationem (homo — non-homo). Non habent medium. Privativa oppositio est inter rem et eius privationem. Privatio autem est carentia perfectionis in subiecto apto (videns — caecus). Habent medium negativum: inter videns et caecum est medium non-videns; ita lapis non est neque videns neque caecus; defectus visus in lapide non est privatio, i. e. carentia perfectionis debitae, sed mera negatio, quia non est subiectum aptum ad habendum visum. Contraria oppositio est inter ea, quae sub eodem genere sive remoto sive proximo maxime distant et ab eodem subiecto mutuo se expellunt (rubrum — caeruleum[1]; prodigalitas — avaritia). Habent medium: inter rubrum et caeruleum continentur colores intermedii, inter duos habitus morales extremos invenitur virtus: In medio virtus. Excipiuntur contraria immediata, quae non habent medium respectu subiecti capacis: sanitas — morbus respectu animalis, honestas — inhonestas respectu actus liberi (supposito non dari actum humanum indifferentem).

Relativa oppositio est inter ea, quae ordinem sive respectum ad invicem dicunt (pater — filius).

Secundum hanc quadruplicem oppositionem distinguuntur etiam conceptus oppositi in oppositos contradictorie, privative, contrarie, relative.

---

[1] Cf. infra n. 188, 3, nota.

Ad 18. *Aristoteles :* Ἀντικείμενα λέγεται ἀντίφασις καὶ τἀναντία καὶ τὰ πρός τι καὶ στέρησις καὶ ἕξις (Met. V 10, 1018 a 20 ; cf. Cat. 10, 11 b 17, ubi loco ἀντίφασις habet : ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις). Quae *S. Thomas* ita exponit: « Dicit [Aristoteles] quot modis dicuntur opposita ; quia quattuor modis ; scil. contradictoria, contraria, privatio et habitus, et ad aliquid. Aliquid enim contraponitur alteri vel opponitur aut ratione dependentiae, qua dependet ab ipso, et sic sunt opposita relative. Aut ratione remotionis, quia scil. unum removet alterum. Quod quidem contingit tripliciter. Aut enim totaliter removet nihil relinquens, et sic est negatio. Aut relinquit subiectum solum, et sic est privatio. Aut relinquit subiectum et genus, et sic est contrarium. Nam contraria non sunt solum in eodem subiecto, sed etiam in eodem genere » (In Met. V lect. 12 n. 922). Cf. text. ad 47.

§ 4. De externa conceptus expressione seu de termino orali

19. Termini oralis notio. Terminus potest sumi *a)* pro ipso conceptu : terminus mentalis, *b)* pro voce significativa, qua conceptum exprimimus : terminus oralis, *c)* pro scriptura significativa conceptus : terminus scriptus. Terminus scriptus significat oralem et mediante orali mentalem, mediante mentali rem (in scripturis phoneticis et alphabeticis ; in scripturis enim ideographicis terminus scriptus significat, sicut oralis, conceptum et mediante conceptu rem). Terminus simpliciter dictus solet sumi pro termino orali.

Terminus oralis definitur : vox significativa ad placitum. Explicatur definitio : Vox secundum Aristotelem (De an. II 8) est « sonus ab ore animalis prolatus cum imaginatione quadam » (S. *Thom.*, In Perih. I lect. 4 n. 3). Terminus est vox « significativa », quia significat conceptum et rem. Terminus immediatius significat conceptum formalem, rem vero significat mediante conceptu. Nam terminis seu loquela nostra intendimus significare, quid nos cogitemus de rebus, i. e. conceptus nostros subiectivos seu formales de rebus. Ponimus enim terminos loco conceptuum nostrorum formalium, ut pateat, quid nos intus subiective cogitemus de rebus. Ex quo etiam patet terminum unica significatione significare conceptum et rem. Attamen principalius terminus significat rem ; nam ipse conceptus formalis, cuius vices gerit terminus, principalius repraesentat rem, seipsum indirecte conotat tantum. Quare terminus unica significatione ita significat conceptum et mediante conceptu rem, ut tamen rem principalius significet. Ad intelligendum, quomodo terminus possit immediatius ferri in conceptum, principalius autem in rem, notandum est terminum significare conceptum non tamquam reflexe et in actu signato, sed tamquam in actu exercito tantum cognitum, nisi sit terminus, cuius res significata, quam principalius significat, est ipse conceptus, ut sunt termini « conceptus », « idea ». Terminus dicitur vox significativa « ad placitum » : Vox aliqua potest significare aut naturaliter, ex ipsa naturae institutione, sicut

gemitus, aut ad placitum, i. e. ex arbitraria institutione. Terminos non esse signa naturalia ostenditur *a)* a posteriori, ex tanta diversitate linguarum, cum ea, quae naturaliter significant, ut risus et gemitus, semper sint eadem apud omnes homines ; *b)* a priori, ex eo quod signa naturalia sensilia semper significant aliquid concreti ; ita gemitus non dolorem significat in universali, sed subiectum gemens hic et nunc esse dolore affectum, conceptus autem intellectus humani sunt abstracti. Homo igitur artificialiter sibi disponit signa apta ad exprimendos conceptus suos. Loco vocis aliis signis uti potest, quae tamen semper sunt ad placitum, ut patet ex dictis.

Terminus igitur concrete sumptus est vox affecta relatione significationis. Terminus (oralis, scriptus) est instrumentum logicum ; non enim potest magister ordinare conceptus discipuli, nisi mediante loquela seu mediantibus terminis.

20. Termini divisio. Terminus potest considerari vel absolute, prout est signum conceptus, vel ut est pars propositionis et syllogismi. Terminus absolute consideratus iisdem divisionibus dividitur, quibus conceptus. Quare dividitur ratione rei significatae et modi significandi. Ratione rei significatae dividitur in terminum significativum entis realis et terminum significativum entis rationis. Terminus significativus entis realis dividitur in terminum transcendentalem et praedicamentalem, de quibus divisionibus dicendum erit in Logica materiali. Etiam ratione modi significandi terminus dividitur sicut conceptus. Solummodo illi divisioni, qua conceptus universalis dividitur in univocum et analogum, addendum est tertium membrum. Terminus enim est aut univocus aut analogus aut aequivocus. Terminus univocus est, qui significat conceptum simpliciter unum et rationem obiectivam simpliciter unam (homo). Terminus analogus est, qui significat conceptum secundum quid seu proportionaliter unum, et rationem obiectivam secundum quid unam ; ita « principium », quatenus dicitur de puncto respectu lineae et de causa respectu effectus (punctum est principium lineae, causa effectus). Terminus aequivocus (ambiguus seu duplicis significationis) est, qui significat simpliciter plura («gallus» avis et « gallus » homo in Gallia natus). Significare autem plura ut plura potest convenire uni eidemque termino, qui est signum ad placitum, in quo plures significationes ad libitum accumulari possunt. Retinet enim terminus nihilominus unitatem suam propter unitatem vocis. Contra uni conceptui hoc convenire nequit. Conceptus enim naturaliter secundum essentiam suam totam est imago rei. Ab obiecto igitur repraesentato sumit unitatem suam. Quare hoc ipso, quod plura obiecta repraesentantur mentaliter, adsunt plures repraesentationes mentales, plures imagines seu conceptus. Nullus igitur conceptus est aequivocus.

Terminus consideratus ut pars propositionis et syllogismi dividitur in terminum enuntiativum et syllogisticum.

Ad 19. *Aristoteles:* Οὐ γὰρ πᾶς ζῴου ψόφος φωνή, ... ἀλλὰ δεῖ ἔμψυχόν τε εἶναι τὸ τύπτον καὶ μετὰ φαντασίας τινός (De an. II 8, 420 b 29). *S. Thomas* ib. lect. 18 n. 477: «cum imaginatione ad aliquid significandum ... vel naturaliter, vel ad placitum.» Cf. In De sensu et sens. lect. 2 n. 30 (ed. Pirotta, Taurini). Circa ordinem significationis vocum *Aristoteles* in Perih. I 1 «tria proponit, ex quorum uno intelligitur quartum. Proponit enim scripturam, voces et animae passiones, ex quibus intelliguntur res. Nam passio est ex impressione alicuius agentis; et sic passiones animae [i. e. conceptus, cf. ad 7] originem habent ab ipsis rebus. Et si quidem homo esset naturaliter animal solitarium, sufficerent sibi animae passiones, quibus ipsis rebus conformaretur, ... sed quia homo est animal naturaliter politicum et sociale, necesse fuit quod conceptiones unius hominis innotescerent aliis, quod fit per vocem ... Rursum si homo uteretur sola cognitione sensitiva, quae respicit solum ad hic et nunc, sufficeret sibi ad convivendum aliis vox significativa, sicut et ceteris animalibus, ... sed quia homo utitur etiam intellectuali cognitione, quae abstrahit ab hic et nunc; consequitur ipsum sollicitudo non solum de praesentibus secundum locum et tempus, sed etiam de his quae distant loco et futura sunt tempore. Unde ut homo conceptiones suas etiam his qui distant secundum locum et his qui venturi sunt in futuro tempore manifestet, necessarius fuit usus scripturae» (*S. Thom.*, In Perih. I lect. 2 n. 2). Ibidem *Aristoteles* ostendit, «quod nec voces nec litterae naturaliter significant. Ea enim, quae naturaliter significant, sunt eadem apud omnes. Significatio autem litterarum et vocum, de quibus nunc agimus, non est eadem apud omnes. Sed hoc quidem apud nullos umquam dubitatum fuit quantum ad litteras... Voces autem naturaliter formantur; unde et apud quosdam dubitatum fuit, num naturaliter significent. Sed Aristoteles hic determinat ex similitudine litterarum, quae sicut non sunt eaedem apud omnes, ita nec voces [φωναί: Perih. I, 16 a 5]. Unde manifeste relinquitur quod... nec voces naturaliter significant, sed ex institutione humana. Voces autem illae, quae naturaliter significant, sicut gemitus infirmorum et alia huiusmodi, sunt eaedem apud omnes» (*S. Thom.*, In Perih. I lect. 2 n. 8; cf. ib. n. 9 [cit. ad 9]; lect. 4 n. 11 12; Arist. ib. c. 4, 17 a 1; S. Thom. lect. 6 n. 8). Terminus (oralis) appellatur ab Aristotele aut communi dictione φωνή (hic supra), vel λόγος (cf. text. ad 29), aut speciali φάσις (cf. text. ad 21), vel ὅρος (cf. ad 23 32); etiam ὄνομα (cf. ad 43).

Ad 20. *Aristoteles* in c. 1 De categoriis distinguit nomina in homonyma seu aequivoca lato sensu, synonyma seu univoca, denominativa. Aequivoca sunt, quorum nomen solum commune est, ratio autem substantiae seu rei significatae per nomen diversa, sicut homo praedicatur de homine vero et picto. Ὁμώνυμα λέγεται ὧν ὄνομα μόνον κοινόν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος, οἷον ζῶον ὅ τε ἄνθρωπος καὶ τὸ γεγραμμένον (1 a 1). Univoca autem dicuntur, quorum et nomen commune est et ratio substantiae seu rei significatae per illud eadem est, sicut animal dicitur de homine et bove. Συνώνυμα δὲ λέγεται ὧν τό τε ὄνομα κοινὸν καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτός, οἷον ζῷον ὅ τε ἄνθρωπος καὶ ὁ βοῦς (1 a 6). Denominativa vero dicuntur, quae ab aliquo nominis appellationem casu [forma verbali] diversam sortiuntur, sicut a grammatica grammaticus et a fortitudine fortis vocantur. Παρώνυμα δὲ λέγεται ὅσα ἀπό τινος διαφέροντα τῇ πτώσει [hac voce Aristoteles significat quamcumque formam grammaticalem derivatam] τὴν κατὰ τοὔνομα προσηγορίαν ἔχει, οἷον ἀπὸ τῆς γραμματικῆς ὁ γραμματικός (1 a 12). In c. 2 Aristoteles dividit nomina in complexa et incomplexa. Deinde transit ad explicandam divisionem termini praedicamentalis in decem categorias.

§ 5. De termino enuntiativo et syllogistico

21. Termini enuntiativi notio. Terminus enuntiativus definitur : vox significativa ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio vel oratio. Terminus enim enuntiativus est ultimum elementum ordinis logici, in quod resolvitur oratio, seu est huius resolutionis terminus. Nam etsi ipsi termini ulterius resolvi possunt in syllabas et litteras, haec tamen extra ordinem logicum sunt. Oratio est signum complexum, quod ex signis incomplexis, ex terminis tamquam ex elementis componitur. Quare voces non significativae, ut « blitiri » et « scindapsus », non sunt termini enuntiativi neque componunt orationem formaliter, sed materialiter tantum, quia non sunt id quo loquor seu significo (loqui enim est significare), sed id de quo loquor, seu res vel materia, de qua loquor seu quam significo : « Blitiri non est scindapsus » ; « blitiri est vox ». Id quo loquor est negatio et copula et terminus significativus « vox » ex contextu subintelligendus (vox « blitiri » non est vox « scindapsus », vox « blitiri » est aliqua vox), ope cuius significo subiectum et praedicatum. Ita voces non significativae insunt in propositione sicut res demonstratae, cum dico : Hoc non est illud, res manibus apprehendendo ; id enim quo loquor (ex quo formaliter conficitur oratio) sunt voces significativae « hoc » et copula negata et gestus significativus seu demonstratio; id vero de quo loquor sunt res demonstratae, ex quibus materialiter componitur oratio. Terminos significativos loco rerum ponimus, quia loquendo ipsas res exhibere non possumus.

22. Termini enuntiativi divisio. Terminus enuntiativus dividitur in categorematicum et syncategorematicum. Terminus categorematicus est, qui aliquid per se significat, i. e. qui significat aliquid, quod repraesentatur ut aliquid per se, non ut modificatio et determinatio alterius. Syncategorematicus est, qui significat aliquid tamquam alterius modificationem et determinationem. Terminus categorematicus subdividitur in nomen et verbum. Nomen est aut substantivum aut adiectivum substantivo modo usurpatum. Syncategoremata modificant seu determinant aut nomen aut verbum aut totam propositionem. Nomen determinatur pronomine[1] et adiectivo et praepositione, verbum

[1] Ad ipsum pronomen reducitur « articulus », qui in multis linguis invenitur. Pronomen aliquando absolute ponitur, nullo adiuncto nomine ; sed tunc saepe subintelligitur nomen, quod pronomine determinatur (hic est bonus = hic vir est bonus ; hoc est verum = hoc effatum est verum) ; si vero nullum nomen subintelligendum est, tunc pronomen strictissime ponitur pro nomine ac proinde nominis indolem habet et reductive est nomen ; ita in propositione : ego video, « ego » nominat personam loquentem.

adverbio, tota propositio coniunctione[1]. Ad adiectiva pertinent etiam numeralia, si substantive non usurpantur, ad adverbia negationes.

Nota. Interiectio potius naturaliter significat quam ad placitum, neque significat conceptum abstractum, sed concretam subiecti affectionem atque materialiter potius ingreditur orationem quam formaliter. Ideo non est terminus simpliciter, sed participative seu imperfecte.

Haec divisio termini enuntiativi in categorematicum et syncategorematicum, nomen et verbum, terminum dividit formaliter, prout est pars orationis: categorematicus est pars principalis, quae significat aliquid per se, syncategorematicus est pars minus principalis; nomen componit ut extremum, ut pars quae unitur (ut subiectum et praedicatum, cf. n. 26), verbum ut copula et unio, ut pars quae unit.

Praeterea terminus enuntiativus dividitur in **S**ubiectum et **P**raedicatum et **C**opulam. C est verbum « esse », inquantum coniungit S et P (dicit esse coniunctionem seu identitatem inter S et P). Propositio, in qua haec tria S, P, C explicite ponuntur, dicitur de tertio adiacente (i. e. de tertio termino adiacente seu adiuncto ceteris): Petrus est currens; secus dicitur de secundo adiacente: Petrus currit. In propositione de secundo adiacente unus terminus est simul C et P; potest idem terminus esse simul S et C et P, ut in propositione virtuali (cf. n. 28): curro. At viceversa tum S tum P constitui possunt pluribus terminis: Homo iustus tribuit suum cuique; homo, qui est iustus, tribuit suum cuique; in his propositionibus tum S tum P sunt composita; in ultimo exemplo tota propositio relativa « qui est iustus » se habet sicut syncategorema determinans subiectum.

23. Termini syllogistici notio. Terminus syllogisticus definitur ab Aristotele: terminus, in quem resolvitur propositio ut in S et P (Anal. pr. I 1). In qua definitione propositionis nomine intelligantur enuntiationes, ex quibus conficitur syllogismus: praemissae et conclusio[2]. Terminus igitur syllogisticus triplex tantum est: *S, P, M*. Terminus medius (M) est terminus syllogisticus tamquam subiectum et praedicatum in praemissis. Ex quo elucet terminum enuntiativum latius patere syllogistico; nam terminus enuntiativus includit etiam copulam et verbum ut copulans, cum ad syllogisticum non pertineat copula neque verbum ut copulans (ut continens copulam), sed ut

---

[1] Nomen etiam integra propositione (relativa) terminari potest (homo, qui est iustus, tribuit suum cuique), quae tunc se habet ut syncategorema, sed non est terminus, quia est integra oratio subordinata.

[2] Aristoteles distinguit propositionem (πρότασιν) i. e. praemissam, et enuntiationem (ἀποφαντικὸν λόγον); cf. n. 39.

praedicatum tantum. Huius rei ratio ex eo deducitur, quod enuntiationis seu propositionis est construere et enuntiare veritatem, syllogismi vero formaliter non est construere, sed inferre veritatem: Syllogismus illam veritatem infert, quam propositio construit, cum syllogismus ope M^i illative coniungit S et P, quae propositio ope copulae coniungit construendo veritatem. Syllogismus enim conficitur, quatenus ope M^i coniunguntur S et P, propositionibus construentibus veritates ad syllogismum praerequisitas. Quare copula praesuppositive pertinet ad syllogismum, non formaliter.

Nota. Verbum «est» in propositionibus de tertio adiacente non est formaliter terminus syllogisticus utpote copula, in propositionibus vero de secundo adiacente est terminus syllogisticus ut P.

Ad 21. *Aristoteles* in c. 4 Perih. exponens orationis definitionem (cf. ad 28), terminum ut partem enuntiationis considerat. Terminus = φάσις, dictio: Perih. 4, 16 b 27; 5, 17 a 17. Sed alibi, ut De an. III 6, 430 b 26, φάσις est enuntiatio. Cf. *S. Thom.*, In Perih. I lect. 6 et 8 n. 17 et lect. 1 n. 5 (cit. ad 5).

Ad 22. *Aristoteles* in libro Perih. praetermissis aliis orationis partibus de solo nomine et verbo determinat, quia «sola nomina et verba sunt principales orationis partes» (*S. Thom.*, In Perih. I lect. 1 n. 6). «Syncategoremata ... secundum se non significant aliquid absolutum, sed solum habitudinem unius ad alterum» (l. c. lect. 6 n. 3). In c. 10 Perih., quod in latinis editionibus libri II^i initium est, Aristoteles distinguit propositiones de secundo et de tertio adiacente (τὸ ἔστι τρίτον προσκατηγορῆται: 19 b 19). *S. Thomas* «Hoc verbum est quandoque in enuntiatione praedicatur secundum se; ut cum dicitur, Socrates est: per quod nihil aliud intendimus significare, quam quod Socrates sit in rerum natura. Quandoque vero non praedicatur per se, quasi principale praedicatum, sed quasi coniunctum principali praedicato ad conectendum ipsum subiecto; sicut cum dicitur, Socrates est albus, non est intentio loquentis ut asserat Socratem esse in rerum natura, sed ut attribuat ei albedinem mediante hoc verbo, est; et ideo in talibus, est, praedicatur ut adiacens principali praedicato. Et dicitur esse tertium, non quia sit tertium praedicatum, sed quia est tertia dictio posita in enuntiatione, quae simul cum nomine praedicato facit unum praedicatum, ut sic enuntiatio dividatur in duas partes et non in tres ... Dicit quod cum dicitur, homo est iustus, hoc verbum est, adiacet, scil. praedicato, tamquam tertium nomen vel verbum in affirmatione» (In Perih. II lect. 2 n. 2 et 4; cf. I lect. 5 n. 18—22.)

Ad 23. *Aristoteles:* Ὅρον δὲ καλῶ εἰς ὃν διαλύεται ἡ πρότασις, οἷον τό τε κατηγορούμενον καὶ τὸ καθ' οὗ κατηγορεῖται (Anal. pr. I 1, 24 b 16).

§ 6. De nomine et verbo

24. Definitio nominis. Nomen definitur secundum Aristotelem: vox significativa ad placitum, sine tempore, cuius nulla pars significat separata, finita, recta. Explicatur definitio: Esse «vocem significativam ad placitum» commune est nomini cum quocumque termino. Cetera distinguunt nomen ab iis, quae non sunt nomen: «Sine tem-

pore » distinguit nomen a verbo, quod significat cum tempore. At non excluditur tempus ut res significata, sed significatio cum tempore, tamquam modus significandi, quia nomen significat rem ut extremum stans, verbum ut fluens. Dicitur « cuius nulla pars significat separata » ad excludendum orationem et terminum complexum ; oratio enim non est nomen, sed componitur ex nomine ; similiter terminus complexus non est nomen, sed ex pluribus nominibus conflatur. Intelligatur tamen illud « cuius nulla pars significat separata » de parte ut intra nomen exsistit, ne a nominis ratione excludantur nomina composita, ut signifer, proconsul, quae vera nomina sunt et simplicem essentiam significant, etsi componuntur ex partibus alias significativis. « Finita » ponitur ad excludendos terminos infinitos. Notetur differentia inter « non-homo » (terminus infinitus) et « non homo » (quatenus τὸ non refertur ad verbum aliquod subintelligendum), quod est aliquid complexi iam exclusum per priorem particulam « cuius nulla pars significat separata ». Terminus enim infinitus non est nomen, quia, tollendo significatum termini, iam non nominando seu significando aliquid determinati procedit, sed retrahit se a nominando, et cum nihilominus significet aliquid, hoc est quasi per accidens seu indirecte seu consequenter seu mediate. Ad rationem termini infiniti requiritur, ut significationem aliquam positivam ex adiuncta negatione indeterminet seu infinitet. Quare termini nullus, nihil, non-ens etc. non sunt infiniti, quia non indeterminant significationem aliquam positivam per adiunctam negationem, sed simpliciter negationem significant. Pertinet tamen nomen infinitum reductive ad nomen, quasi imperfecte nominis naturam participans. « Recta » dicitur ad excludendos casus obliquos, qui syncategoremata sunt. « Casus » dicuntur, quia ex propria ratione nominis cadunt. Etiam accusativus est syncategorema : Ego amo Petrum = Ego sum amans Petri. Vocativus continet orationem ordinativam vocativam (cf. n. 29) aut est interiectio, ut si quis cum effectu exclamat: (o) Petre ! Vocativus virtualiter est oratio sicut vox : Amo = Ego sum amans.

25. Definitio verbi. Verbum secundum Aristotelem est vox significativa ad placitum cum tempore, cuius nulla pars significat separata, finita et recta, et eorum, quae de altero praedicantur, semper est nota. Dicitur « vox significativa cum tempore », quia verbum significat per modum actionis et motus seu temporis. Aliquando tamen id, quod significat, absolvitur a tempore seu est aeternae veritatis. Sed etiam tunc verbum significat per modum motus et temporis, quia etiam aeterna et independentia a tempore intelliguntur a nobis per modum temporis. Quare etiam verbum substantivum « est » significat actum essendi, ut subest praesentiae et transit ad praeteritum. « Cuius nulla pars significat separata » ponitur, ut distinguatur verbum ab oratione et a verbis complexis, quae non sunt unum, sed plura verba.

« Finita » excludit verbum infinitum ut « non-currit »[1]. « Recta » ponitur ad excludenda verba obliqua. Verbum enim, cum declinatur per tempora, cadit a modo proprio verbi, qui est significare per modum actionis et motus. Tunc enim significat id, quod erat aut erit, quod non simpliciter est actio et motus, sed est in praeterito et in futuro. Ex simili ratione modi optativi et imperativi excluduntur : non praedicant actionem, quae in subiecto est. Coniunctivus, i. e. purus coniunctivus, qui non est optativus (saepissime enim coniunctivus optativus est), est modus mere grammaticalis ad coniunctionem et subordinationem propositionum exprimendam. Quare a logico haberi potest tamquam indicativus[2]. Sed haec verba obliqua et infinita reductive tamen ad genus verbi pertinent, tamquam rationem eius imperfecte participantia. « Et eorum, quae praedicantur, semper est nota » — his excluditur participium et infinitivus, quae poni possunt tam ex parte subiecti quam praedicati, quae tamen significant cum tempore, sed excluduntur a ratione verbi, quia verbum semper ex parte praedicati se tenet. Hi modi aliquid participant de genere nominis et verbi ac proinde ad utrumque reduci possunt. Infinitivus aliquando etiam rationem coniuctivi habet, ut in hac propositione : Video eum currere. Etiam copula, quatenus praedicat esse de subiecto, se tenet ex parte praedicati ; non enim copulat nisi praedicando actum essendi : Petrus est doctus ; copula « est » praedicat aliquod esse, nimirum : esse doctum.

Ad 24. *Aristoteles :* Ὄνομα μὲν οὖν ἐστὶ φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην ἄνευ χρόνου, ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ σημαντικὸν κεχωρισμένον (Perih. 2, 16 a 19). Nomen infinitum (ὄνομα ἀόριστον) et casus (πτώσεις ὀνόματος) excludit a ratione nominis. *S. Thomas* ib. I lect. 4.

Ad 25. *Aristoteles :* Ῥῆμα δέ ἐστι τὸ προσσημαῖνον χρόνον, οὗ μέρος οὐδὲν σημαίνει χωρίς, καὶ ἔστιν ἀεὶ τῶν καθ' ἑτέρου λεγομένων σημεῖον (Perih. 3, 16 b 6). Verbum infinitum (ῥῆμα ἀόριστον) et verbum in futuro vel praeterito tempore constructum (πτώσεις ῥήματος) ratione verbi excludit. *S. Thomas* ib. I lect. 5. De copula cf. text. ad 22.

Caput II

DE IUDICIO

§ 1. De ipso iudicio

26. Iudicii notio. Iudicium definitur : actio intellectus, qua componit vel dividit affirmando vel negando. Explicatur definitio : Dupliciter potest intellectus componere et dividere : *a)* simpliciter sibi

[1] Notandum est verbum intra propositionem infinitari non posse ; eo enim quod additur negatio, fit propositio negativa.

[2] Exempla: Cum ipse nolit, ego nunc facio. Video, quod currat. Quamvis nolit, ego facio.

repraesentando rerum aggregatum, quin quidquam affirmet vel neget — simplex apprehensio complexa : homo doctus, leo rugiens ; intellectus hoc modo simpliciter apprehendere potest integram propositionem ; *b)* affirmando et negando. In affirmatione vel negatione seu in sententia, quam fert intellectus perspiciendo convenientiam vel discrepantiam duorum conceptuum inter se, consistit essentia iudicii.

In omni iudicio distinguimus materiam seu ea, quae componuntur vel separantur ad invicem : **S**ubiectum et **P**raedicatum, et formam : compositionem vel divisionem. S et P etiam extrema iudicii dicuntur. S se habet materialiter, P formaliter. Sicut enim materia determinatur per formam, quam recipit, ita S determinatur P°. Quare P dici potest forma partialis iudicii ; forma vero totalis est unio, compositio vel divisio.

Ad iudicium tria praerequiruntur : *a)* apprehensio subiecti et praedicati ; *b)* eorum comparatio ; *c)* simplex apprehensio conotativa qua, per modum simplicis repraesentationis, cognoscitur praedicatum ut conveniens vel discrepans cum subiecto, quin tamen esse huius convenientiae vel discrepantiae enuntietur : apprehensio praedicabilitatis. Apprehensionem hanc praedicabilitatis immediate sequitur praedicatio seu iudicium (cf. n. 659). Convenientia et discrepantia inter S et P cognoscitur aut immediate aut mediate ope tertii termini[1]. Si cognoscitur ope tertii termini, iudicium exinde secutum non est simplex iudicium, sed iudicium conclusum seu conclusio. Si cognoscitur immediate, aut ex ipsis terminis cognoscitur, quatenus termini ipsi se conotant ad invicem (sicut se conotant totum et pars, qua conotatione percepta formatur iudicium : totum maius est sua parte), aut ex experientia.

Iudicium potest considerari logice et physice. Iudicium logice consideratum (ut artefactum logicum) est aliquid complexi, quod tamquam ex materia constat ex P° et S°, quae uniuntur vel separantur, i. e. relationibus rationis identitatis vel discrepantiae ad invicem referuntur, in quo eius forma consistit. Physice vero iudicium est simplex actus, quo mens perspiciendo convenientiam vel discrepantiam inter S et P pronuntiat ea convenire vel non convenire inter se. Intellectus autem perspiciendo hanc convenientiam vel discrepantiam duorum conceptuum producit novum conceptum repraesentativum huius convenientiae vel discrepantiae. Quare, sicut in simplici apprehensione, ita etiam in iudicio distinguendus est actus et terminus seu conceptus ab eo productus.

Nota. Iudicium, quod componendo et dividendo fit, imperfectionem arguit in intellectu, qui non statim unico actu totam rem penetrat, sed pluribus actibus indiget. Quare proprium est intellectus

---

[1] aut mediate : ex auctoritate ; at ita habitudo inter S et P non scitur, sed creditur.

imperfecti, humani ; intellectus vero perfectus, angelicus nimirum et divinus, non iudicat componendo et dividendo, sed statim simplici apprehensione perfecta totam rem cum attributis suis comprehendit.

27. Iudicii proprietas. Proprium est iudicio continere veritatem vel falsitatem logicam seu cognitionis. Haec proprietas ex essentia iudicii immediate derivatur : Veritas logica eo habetur, quod res ita esse mente enuntiatur sicut revera est ; falsitas eo, quod res esse enuntiatur sicut non est, aut viceversa, non esse enuntiatur sicut est. Hoc autem in omni iudicio et nonnisi in iudicio habetur. Nam in simplici apprehensione mens est adaequata rei, sed suam adaequationem non cognoscit ac proinde neque enuntiat rem esse sicut revera est. Quare simplici apprehensione nondum habetur veritas logica, sicut terminis, qui ore proferuntur, nondum significatur verum et falsum, si hi termini in propositione non coniunguntur.

Cum sit proprium iudicii continere veritatem aut falsitatem, seu esse verum aut falsum, ipsa veritas et falsitas accidentia sunt iudicii. Hoc ex eo patet, quod iudicium est verum aut falsum.

Cum iudicium in signo suo sensili, quod est enuntiatio, melius nobis pateat ac iisdem omnino divisionibus dividatur, iudicii divisiones recensentur infra, ubi de enuntiationis divisione agitur (n. 40).

Bibliographia ad 26—27: *A. Gazzana,* Il primo soggeto e il primo predicato nell'umano giudizio, DThPlac 54 (1951), 377—384. *E. Kadérvek,* Das Urteil, JPhTh 4 (1890) 11—18; 185—200; 270—284. *J. Maréchal,* De la forma du jugement d'après S. Thomas, RFNS 15 (1923) 156—184. *R. W. Schmidt,* Judgement and Predication in a Realistic Philosophy, NSch 29 (1955) 318—326. *Fr. M. Tyrrell,* Concerning the Nature and Function of the Act of Judgment, NSch 26 (1952) 393—423.

Ad 26 sq. « Sicut in principio dictum est, duplex est operatio intellectus, ut traditur in III De anima c. 6 [Ἡ μὲν οὖν τῶν ἀδιαιρέτων νόησις ἐν τούτοις, περὶ ἃ οὐκ ἔστι τὸ ψεῦδος. ἐν οἷς δὲ καὶ τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθές, σύνθεσίς τις ἤδη νοημάτων ὥσπερ ἓν ὄντων. 430, 26—28.]; in quarum una non invenitur verum et falsum, in altera autem invenitur. Et hoc est quod dicit [Aristoteles], quod in anima aliquoties est intellectus sine vero et falso, aliquoties autem ex necessitate habet alterum horum [ἔστι δ', ὥσπερ ἐν τῇ ψυχῇ ὁτὲ μὲν νόημα ἄνευ τοῦ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι, ὁτὲ δὲ ἤδη ᾧ ἀνάγκη τούτων ὑπάρχειν θάτερον, οὕτω καὶ ἐν τῇ φωνῇ : Perih. 1, 16 a 9]. Et quia voces significativae formantur ad exprimendas conceptiones intellectus, ideo ad hoc quod signum conformetur signato, necesse est quod etiam vocum significativarum similiter quaedam significent sine vero et falso, quaedam cum vero et falso . . . Ad ostendendum igitur, quod intellectus quandoque est sine vero et falso, quandoque autem cum altero horum, dicit primo quod veritas et falsitas est circa compositionem et divisionem [περὶ γὰρ σύνθεσιν καὶ διαίρεσίν ἐστι τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθές . . οὔπω δὲ ἀληθὲς ἢ ψεῦδος, ἐὰν μὴ τὸ εἶναι ἢ μὴ εἶναι προστεθῇ: 16 a 12 17] . . . Nomina [composita] significant . . . conceptus simplices, licet rerum compositarum ; et ideo non est verum vel falsum, nisi quando additur esse vel non esse, per quae exprimitur iudicium intellectus» (*S. Thom.*, In

Perih. I lect. 3 n. 2 3 13 ; cf. Ver. 14, 1). *S. Thomas :* « Compositio autem intellectus est signum identitatis eorum quae componuntur » (S. th. I 85, 5 ad 3 ; cf. 58, 4 ; Ver. 1, 3 ; In Met. VI lect. 4 n. 1223 sq.; IX lect. 11 n. 1898 sqq.). « Ex multis imperfectis fit unum verbum perfectius, sicut cum intellectus concipit aliquam enuntiationem » (Op. De rat. fid. c. 3). « Ipse mentis conceptus . . . in quo est verum vel falsum » (In Perih. I lect. 7 n. 5). Cf. infra n. 29.

§ 2. De orali expressione iudicii seu de oratione

28. Orationis notio. Oratio definitur ab Aristotele : vox significativa ad placitum, cuius partes separatae aliquid significant ut dictio, non ut affirmatio vel negatio (v. textus). Oratio est totum logicum, signum logicum complexum, compositum ex partibus, quae separatae aliquid significant tamquam « dictio », i. e. tamquam terminus. « Non ut affirmatio et negatio », i. e. partes orationis sunt termini ; non sunt affirmatio vel negatio, i. e. non sunt integrae propositiones. Potest tamen oratio aliqua composita componi ex affirmationibus et negationibus tamquam ex partibus, attamen tunc hae partes sunt compositae ex terminis. Nota differentiam inter terminum complexum et orationem. Terminus complexus sunt duo aut plures termini, qui inveniuntur in aliqua oratione positi, ut « homo iustus » in oratione : « Homo iustus tribuit suum cuique ». Hi duo vel plures termini non sunt partes termini complexi, sed totius orationis, quia ipse terminus complexus non constituit aliquod totum per se. Quare definitio orationis non verificatur de termino complexo.

Sicut terminus, ita oratio est concretum accidentale ex materia seu subiecto et forma. Materia sunt voces, forma est significatio complexa seu significationum compositio. Quare terminus ille unus, qui integrum iudicium significat (e. g. « video ») formaliter non est oratio, sed terminus, etsi virtualiter orationem continet.

29. Orationis divisio. Oratio est aut perfecta aut imperfecta. Oratio perfecta est, « quae complet sententiam », seu facit perfectum sensum in animo audientis; imperfecta est, « quae non facit perfectum sensum in animo audientis » (S. *Thom.*, In Perih. I lect. 7 n. 4). Oratio imperfecta reddit intellectum suspensum, ut cum dico: «cum transiret» aut «homo iustus», hic sistendo neque orationem meam complendo. Hi termini constituunt tamen aliquod totum per se, sed imperfectum, quo differunt a termino complexo. Ita «homo albus» extra propositionem est oratio imperfecta tamquam totum per se, intra propositionem est terminus complexus tamquam pars alicuius totius.

Oratio perfecta est aut enuntiativa aut argumentativa aut ordinativa, quatenus exprimit aut mentis iudicium aut ratiocinium aut ordinationem practicam. Potest enim intellectus componere vel iudicando, i. e. affirmando aut negando sive immediate

sive mediate, vel ordinando, ut aliquid fiat in rerum natura. Haec ordinatio intellectus, etsi iudicium non est, supponit tamen iudicium intellectus et insuper electionem voluntatis, quatenus est dictamen practicum. Oratio enuntiativa et argumentativa proprie omnino ad Logicam pertinent; quare de eis agetur specialiter n. 39-51; 53-79.

Oratio ordinativa dividitur in vocativam, interrogativam, imperativam, deprecativam (optativam). Indolem orationis ordinativae eiusque divisionem sic evolvit S. Thomas: « Quia intellectus vel ratio non solum concipit in seipso veritatem rei tantum, sed etiam ad eius officium pertinet secundum suum conceptum alia dirigere et ordinare, ideo necesse fuit quod, sicut per enuntiativam orationem significatur ipse mentis conceptus, ita etiam essent aliquae aliae orationes significantes ordinem rationis, secundum quam alia diriguntur. Dirigitur autem ex ratione unius hominis alius homo ad tria: primo quidem ad attendendum mente, et ad hoc pertinet vocativa oratio; secundo ad respondendum voce, et ad hoc pertinet oratio interrogativa; tertio ad exsequendum in opere, et ad hoc pertinet, quantum ad inferiores, oratio imperativa, quantum autem ad superiores, oratio deprecativa, ad quam reducitur oratio optativa: quia respectu superioris homo non habet vim motivam nisi per expressionem sui desiderii. Quia igitur istae quattuor orationis species non significant ipsum conceptum intellectus, in quo est verum et falsum, sed quendam ordinem ad hoc consequentem, inde est quod in nulla earum invenitur verum et falsum, sed solum in enuntiativa, quae significat id quod mens de rebus concipit. Et inde est quod omnes modi orationum, in quibus invenitur verum et falsum, sub enuntiatione continentur, quam quidam dicunt indicativam vel suppositivam; dubitativa autem ad interrogativam reducitur » (In Perih. I lect. 7 n. 5).

Inter orationes imperfectas eae praecipuum locum tenent, quae sunt modi sciendi, i. e. definitio et divisio.

Ad 28. « Philosophus in definitione orationis [Λόγος δέ ἐστι φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην, ἧς τῶν μερῶν τι σημαντικόν ἐστι κεχωρισμένον, ὡς φάσις, ἀλλ' οὐχ ὡς κατάφασις ἢ ἀπόφασις: Perih. 4, 16 b 26] primo ponit illud in quo oratio convenit cum nomine et verbo, cum dicit: Oratio est vox significativa... Secundo autem ponit id, in quo oratio differt a nomine et verbo, cum dicit: cuius partium aliquid significativum est separatim. Supra enim dictum est quod pars nominis non significat aliquid per se separatum... Sed quia duplex est significatio vocis, una quae refertur ad intellectum compositum, alia quae refertur ad intellectum simplicem; prima significatio competit orationi, secunda non competit orationi, sed parti orationis. Unde subdit: Ut dictio, non ut affirmatio. Quasi dicat: pars orationis est significativa, sicut dictio significat, puta ut nomen et verbum, non sicut affirmatio, quae componitur ex nomine et verbo » (*S. Thom.*, In Perih. I lect. 6 n. 2 sq.).

Ad 29. « Orationem enuntiativam definit ex significatione veri et falsi, dicens quod non omnis oratio est enuntiativa, sed in

qua verum vel falsum est [Ἀποφαντικὸς δὲ οὐ πᾶς, ἀλλ' ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει. οὐκ ἐν ἅπασι δὲ ὑπάρχει, οἷον ἡ εὐχὴ λόγος μέν, ἀλλ' οὔτε ἀληθὴς οὔτε ψευδής: Perih. 4, 17 a 2]. Ubi considerandum est quod Aristoteles mirabili brevitate usus et divisionem orationis innuit in hoc quod dicit: Non omnis oratio est enuntiativa, et definitionem enuntiationis in hoc quod dicit: Sed in qua verum vel falsum est... Deinde cum dicit: Non autem in omnibus etc., ostendit, quod per hanc definitionem enuntiatio differt ab aliis orationibus» (*S. Thom.*, In Perih. I lect. 7 n. 2 4).

§ 3. De modis sciendi

30. Notio modi sciendi. Modus sciendi definitur: oratio alicuius ignoti manifestativa. In qua definitione ignotum pro obscuro et confuso et dubio sumitur. Modus sciendi est instrumentum logicum seu instrumentum, quo utimur ad cognitionem nostram perficiendam et ad verum attingendum. Terminus non est instrumentum logicum seu modus sciendi nisi remote, nam terminis non perficimus nostram cognitionem, nisi quatenus ad invicem speciali aliquo modo coniunguntur seu quatenus ex eis formantur definitiones, divisiones, argumentationes, i. e. modi sciendi de quibus hic agimus. Ipsa Logica est modus seu instrumentum sciendi in universali.

31. Divisio modorum sciendi. Ignotum manifestandum est aut aliquid incomplexi aut veritas complexa. Id quod est incomplexum seu simplex rei essentia, manifestatur definitione quantum ad constitutionem suam, divisione quantum ad suas partes. Veritas autem complexa, i. e. veritas logica, quae in iudicio tantum inest quod (logice) est aliquid complexi (cf. n. 26), manifestatur probatione seu argumentatione. Ideo modi sciendi sunt tres: definitio, divisio, argumentatio. Ut pateat modos sciendi tres tantum esse seu enumerationem hanc esse adaequatam, notetur etiam veritatem facti seu veritatem circa exsistentiam rei manifestari argumentatione (ita probatur exsistentia Dei). Quodsi veritas facti est nota ex experientia sensili, non indiget medio quo manifestetur. Fides autem, qua factum vel veritas quaelibet creditur ex dictis alterius, non est modus sciendi, quia non manifestat ipsam rem, sed obscuram relinquit. Argumentatio ad tertiam mentis operationem pertinet, definitio autem et divisio ad primam, quia sunt instrumenta logica, quibus dirigitur prima mentis operatio; obiectum enim, quod manifestant, est conceptus qui est aliquid incomplexum seu simplici apprehensione habitum, et modus, quo conceptum manifestant, terminum complexum constituit. Ideo definitio et divisio proprie et stricte essent tractanda in prima parte, quae de termino agit; sed, quia terminus complexus materialiter coincidit cum oratione, et quia possunt inveniri etiam extra propositionem, dicuntur orationes (imperfectae) et hoc loco tractantur.

Ad 30. Aristoteles Logicam modum communem sciendi habet (cf. ad 4).
Ad 31. Aristoteles, Platonem secutus, in veritate investiganda definitioni et divisioni magnas partes tribuit et primus argumentationis leges subtiliter inquisivit (cf. text. ad 32 35 36 52 sqq.).

§ 4. De definitione

32. Definitionis notio. Definitio definitur : oratio naturam rei aut termini significationem exponens. Dicitur « oratio », i. e. oratio imperfecta seu terminus complexus. Debet esse terminus complexus, non incomplexus, quia ad naturam rei (aut termini significationem) exponendam declarandum est, in quo res cum aliis conveniat, et in quo differat ; ideo omnis definitio duobus terminis constat, quorum alter exhibet genus seu quasi-genus, i. e. commune illud in quo res cum aliis convenit, alter vero differentiam seu quasi-differentiam specificam.

33. Divisio definitionis. Definitio est aut nominalis aut realis, quatenus termini significationem aut naturam rei exponit. Definitio nominalis potest fieri : *a)* exponendo vocis etymologiam : Logica est scientia rationalis ; *b)* declarando vocem minus notam alia voce idem significante, sed notiore : Ensis est vox idem significans quod gladius. Nominalis definitio tendit ad solam vocem declarandam. Quare per se de ipsa natura rei nihil enuntiat, ita ut, si quis non aliunde noverit rem, definitione nominali nihil discat.

Definitio realis secundum Aristotelem est : oratio significans, quid res sit (cf. textus). Definitio realis omnis conceptum proprium seu clarum rei producit. Definitio realis est aut intrinseca aut extrinseca quatenus fit per principia rei intrinseca aut extrinseca. Definitio intrinseca est aut essentialis aut descriptiva.

Definitio essentialis est, quae rei essentiam declarat per principia constitutiva ipsius essentiae. Haec principia sunt vel physica vel metaphysica, unde definitio essentialis duplex est : physica et metaphysica. Definitio essentialis physica est, quae fit per partes essentiales physicas (quae ut partes distinctae in rerum natura exsistunt, i. e. per materiam et formam : Homo est substantia constans ex anima rationali et corpore organico). Definitio essentialis metaphysica est, quae fit per partes essentiales metaphysicas (quae ut partes distinctae in rerum natura non subsistunt, i. e. per genus proximum et differentiam specificam : Homo est animal rationale).

Definitio descriptiva est, quae rei essentiam declarat non per principia constitutiva ipsius, sed per ea quae ex essentia resultant et ei coniunguntur, quibus tamen ab omnibus rebus secerni potest. Ex quo colligitur definitionem descriptivam dupliciter fieri posse : 1. per proprium (Homo est animal risibile) ; 2. per con-

geriem accidentium, quae seorsim spectata etiam aliis rebus conveniunt, simul tamen sumpta nonnisi in re describenda inveniuntur (Homo est animal bipes, implume).

Definitio extrinseca est, quae essentiam rei declarat per principia eius propria extrinseca seu per causam propriam extrinsecam (causam efficientem et finalem): Anima humana est substantia incompleta a Deo ex nihilo creata ad beatitudinem (definitio per causam efficientem et finalem); horologium est machina ad indicandas horas constructa (definitio per causam finalem). Haec definitio etiam causalis dicitur. Ad eam quoque pertinet genetica definitio, quae rei essentiam declarat explicando modum, quo res ex causa sua efficiente producatur seu quomodo gignatur: Circulus est figura plana exsurgens ex motu lineae rectae circa fixam sui extremitatem sese vertentis.

Perfectissima definitio est definitio essentialis metaphysica. Haec conceptum non tantum clarum, sed etiam quidditativum seu distinctum gignit.

34. Leges definitionis. 1. Definitio sit convertibilis cum definito. Contra hanc regulam peccatur: *a)* si definitio est latior definito (Homo est vivens sensitivum); *b)* si est angustior (Homo est animal doctum).

2. Definitio sit clarior definito.

3. Definitio essentialis metaphysica fiat per genus proximum et differentiam specificam (Homo est animal rationale). Quare hac definitione perfectissima non possunt definiri nisi species sub genere contentae seu ea, quae sunt composita ex genere et differentia specifica. Suprema igitur genera non sunt hac definitione definibilia, sed describuntur conceptu analogo entis seu accidentis determinato per diversos essendi modos.

4. Definitum non debet ingredi definitionem (circulus: Logica est scientia et ars, quae tradit regulas logicas).

5. Definitio non sit negativa. Nam definitione negativa non significatur, quid res sit. Quaedam tamen aliter definire non possumus, quia propter imbecillitatem intellectus nostri de quibusdam non habemus nisi conceptus positivo-negativos (cf. n. 15).

6. Definitio sit brevis. Requiritur, ut omnia superflua a definitione resecentur; quae enim redundant, nocent claritati. Vitiosa igitur esset definitio, qua homo definiretur: animal rationale risibile.

Definitio, quae est vel non est secundum leges, dicitur bona vel mala, non tamen vera vel falsa per se. Dicitur bona vel mala, quatenus manifestat vel non manifestat ignotum per convenientem et debitam explicationem. Ubi est convenientia debita vel eius contrarium, est etiam bonum vel malum. At nequit dici vera vel falsa per se, sed per accidens tantum, quia ipsa non est enuntiatio; hoc tamen

accidit ei dupliciter: *a)* quatenus definitio attribuitur definito, *b)* quatenus definitionis partes componuntur ad invicem. Ita definitio circuli attributa homini dicitur falsa per accidens, similiter definitio: animal rationale quadrupes.

35. Quae possint definiri. Conditiones definiti, quod est capax definitionis, sunt: *a)* Debet esse unum per se seu una essentia. Plura enim ut plura definiri non possunt, sed unumquodque sua definitione definitur. Quare in definitionibus concretorum accidentalium (exemplum sit « terminus », qui definitur: vox significatione affecta ad placitum) definitum est sola forma accidentalis (in nostro exemplo significatio) non absolute et abstracte, sed respective et conotative ad subiectum (in exemplo ad vocem), quod proinde ponitur in definitione ut additamentum extrinsecum et ut conotatum. Quia ordo ad substantiam accidenti essentialis est, propterea non habet definitionem perfectam; sicut est in ordine ad substantiam, ita per ordinem ad substantiam etiam definitur; « secundum quod aliqua habent esse, possunt definiri... ideo nihil perfecte definitur nisi substantia » (II Dist. 35, 1 a. 2 ad 1). *b)* Debet esse universale; quidditas enim singularis est extra ambitum cognitionis nostrae.

Bibliographia ad 32—35: *R. Garrigou-Lagrange*, De investigatione definitionum, Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aq. 2 (1935) 193—201. *J. M. Le Blond*, La définition chez Aristote, Gr 20 (1939) 351—380. *M. D. Roland-Gosselin*, Les méthodes de la définition d'après Aristote, RSPhTh 6 (1912) 236—252; 661—675. *M. Thiel*, De progressu a notione nominis ad intrinsecam rei notitiam, Ag 18 (1941) 128—141. *A. Usowicz*, De partitione definitionis apud Aristotelem, DThPlac 42 (1939) 114—119.

Ad 32 sq. *Aristoteles* saepius distinguit definitionem nominalem (λόγος τοῦ τί σημαίνει τὸ ὄνομα: Anal. post. II 10, 93 b 30; cf. II 7, 92 b 26 etc.) et realem (λόγος τοῦ τί ἐστι: l. c. II 10, 93 b 29), quam propriam definitionem habet: ἔστι δ' ὅρος [al. ὁρισμός] μὲν λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων (Top. I 5, 101 b 39; cf. VII 5, 150 a 31; Met. VII 4, 1030 a 14). *S. Thomas*: « Unde videtur, quod sola ratio speciei, quae ex genere et differentiis constituitur, sit definitio. Sed in aliis quidem, si est eis nomen positum, potest esse ratio declarans, quid significat nomen » (In Met. VII lect. 3 n. 1328 sq.). Definitionem causalem innuit Aristoteles explicando habitudinem definitionis ad demonstrationem: « Ponit alium modum definitionis; et dicit quod alia definitio definitionis est, ut sit ratio manifestans propter quid . . . est quasi demonstratio quaedam ipsius quod quid est: et non differt a demonstratione nisi sola positione, id est ordine terminorum et propositionum » (*S. Thom.*, In Anal. post. II 10 lect. 8 n. 7 8). « Definitio ideo dicitur terminus [ὅρος], quia includit totaliter rem; ita scil., quod nihil rei est extra definitionem, cui scil. definitio non conveniat; nec aliquid aliud est infra definitionem, cui scil. definitio conveniat » (*S. Thom.*, In Perih. I lect. 4 n. 2).

Ad 35. *Aristoteles* in VII Met. dicit « palam esse, quod definitio, et quod quid erat esse, primo et simpliciter est substantiarum, . . . cum etiam accidentia aliquo modo habeant definitionem, et quod quid erat esse, non tamen primum

[ὁ πρώτως καὶ ἁπλῶς ὁρισμὸς καὶ τὸ τί ἦν εἶναι τῶν οὐσιῶν ἐστίν: Met. VII 4, 1030 b 5]. Et hoc sic patet. Non enim omnis ratio, qua nomen per rationem exponitur, idem est quod definitio; ... sed alicui determinatae rationi competit, quod sit definitio; illi scil., quae significat unum ... Non tamen sufficit, quod sit unum in continuitate illud quod per rationem significatur, ad hoc quod sit definitio ... Aut etiam non sufficit, quod sit unum per colligationem... Sed tunc ratio significans unum erit definitio, si significet unum aliquod illorum modorum, quorum quoties unum per se dicitur» (*S. Thom.*, In Met. VII lect. 4 n. 1339 sq. Cf. In Anal. post. II lect. 5 n. 8; lect. 6 n. 3). «Quia definitio est indicativa eius quod quid est; omne autem, quod pertinet ad quod quid est, praedicatur et affirmative et universaliter; ergo definitio est solum eorum contentiva sive significativa, quae praedicantur affirmative et universaliter» (τὸ δὲ τί ἐστιν ἅπαν καθόλου καὶ κατηγορικόν: Anal. post. II 3, 90 b 4; cf. II 13, 97 b 26. *S. Thom.* in l. c. lect. 2 n. 4; cf. lect. 16 n. 5; In Met. VII 10 lect. 10 n. 1482 sqq.; c. 11 lect. 11 n. 1502 1528 sqq.; c. 15 lect. 15; S. th. I 29, 1 ad 1).

§ 5. De divisione

36. Notio divisionis. Divisio definitur: oratio rem vel nomen per suas partes distribuens. Dicitur «oratio» sicut definitio; «distribuens», i. e. distribuendo et distinguendo partes manifestans. Etiam definitio manifestat partes, sed coniungendo eas, cum divisio resolvendo seu enumerando procedat. Quare divisio sicut definitio tendit ad conceptum clarum gignendum, sed alio modo. Divisio proponendo rei partes quasi materiam congerit, ex qua conficiatur definitio. In omni divisione distinguenda sunt haec tria: 1. totum, quod dividitur, 2. partes, in quas dividitur, 3. fundamentum, ratione cuius fit divisio. Ita si homines dividuntur in albos, nigros etc., totum quod dividitur sunt homines, partes sunt homines albi, nigri etc., fundamentum est color.

37. Partitio divisionis. Divisio est aut per se aut per accidens. Divisio per se est, cum res ratione sui ipsius, divisio per accidens, cum ratione alterius, quod accidit ei, dividitur, seu quatenus divisionis fundamentum praebetur ab ipsa re aut ab aliquo, quod accidit ei. Divisio per se est aut divisio nominis (distinctio) aut divisio rei, quatenus id quod dividitur est vox significativa, cuius significationes enumerantur, aut res significata. Divisionis autem rei tot sunt species, quot sunt species totius, quod dividendum est. Iam vero totum est aut potentiale aut actuale. Totum potentiale seu logicum est, quod partes suas, in quas dividitur, non actu, sed potentia continet; est duplex: univocum et analogum. Totum potentiale univocum est ratio universalis univoca relate ad inferiora sua, i. e. relate ad ea, de quibus praedicatur. Ita genus animalis est totum potentiale univocum. Totum potentiale analogum est ratio universalis analoga relate ad inferiora sua, de quibus praedicatur non eadem, sed diversa ratione. Ita ens est totum potentiale analo-

gum relate ad genera suprema omnia[1]. Totum actuale subdividitur in totum essentiale, quod conflatur ex partibus essentiam constituentibus, et totum non-essentiale, quod ex partibus essentiam non constituentibus constituitur. Totum essentiale est aut physicum aut metaphysicum, quatenus constituitur ex partibus essentialibus physicis aut metaphysicis, i. e. realiter aut non realiter inter se distinctis. Ita homo ut totum physicum conflatur ex anima rationali et corpore organico, ut totum metaphysicum ex animalitate et rationalitate. Totum actuale non-essentiale est aut entitativum, quod conflatur ex partibus entitativis (ex essentia et esse), aut non-entitativum. Non-entitativum est aut integrale, quod conflatur ex partibus integralibus (quantitativis)[2], sicut homo ex capite, collo etc., aut potestativum, quod dividitur secundum diversas potentias seu facultates, quibus pollet, sicut anima humana dividitur ut totum potestativum in vegetativum, sensitivum, rationale.

Secundum has species enumeratas totius, quod dividitur, distinguitur etiam divisio totius potentialis univoci, analogi, divisio totius actualis essentialis etc.

Divisio per accidens triplex est: *a)* divisio subiecti in accidentia, ut animalium aliud album, aliud nigrum etc.; *b)* accidentis in subiecta, ut alborum aliud nix, aliud lac etc.; *c)* accidentis in accidentia, ut alborum aliud dulce, aliud amarum etc.

Praecipua divisio est divisio generis in species. Haec divisio, quae etiam essentialis vocatur, conceptum gignit non tantum clarum, sed etiam distinctum.

38. Leges divisionis. 1. In eadem divisione non licet fundamentum mutare. Unde mala divisio esset, si quis homines divideret in albos, nigros, rubros, flavos, musicos.

2. Totum adaequet membra dividentia simul sumpta. Contra quam regulam peccaret, qui viventia corporea divideret in homines et bruta.

3. Fiat per membra se invicem excludentia. Unde mala esset divisio, si corpora dividerentur in animata et inanimata et lapides.

4. Sit brevis, neque sine ratione multiplicentur subdivisiones; nam « simile confuso est, quidquid usque ad pulverem sectum est » (Seneca, Ep. 89).

5. Sit rite ordinata, i. e. genus dividatur in species immediate ei subordinatas, quae eodem modo subdividi poterunt. Inordinata

---

[1] Diversa est potentia, qua partes suas continet totum logicum univocum et totum logicum analogum: totum logicum univocum excludit differentias, quibus in inferioribus contrahitur, totum vero analogum illas differentias solummodo non explicat (cf. n. 176).

[2] Hae partes homogeneae sunt (in corporibus non viventibus) aut heterogeneae in viventibus).

igitur esset divisio animalium in homines, equos, aves etc. Animalia enim dividenda sunt in rationalia seu homines et bruta, bruta ulterius subdividantur secundum genera et species a zoologia assignata.

A d 36. « Dicit ergo *[Aristoteles]* primo, quod, cum aliquis vult negotiari, ad definiendum, aliquod totum, id est universale, congruum est ut primo dividat genus in primas partes illius generis, quae sunt indivisibiles secundum speciem, puta quod dividat numerum in binarium et ternarium [Χρὴ δέ, ὅταν ὅλον τι πραγματεύηταί τις, διελεῖν < διαίρεσις, Anal. pr. I 31, 46 a 31 > τὸ γένος εἰς τὰ ἄτομα τῷ εἴδει τὰ πρῶτα, οἷον ἀριθμὸν εἰς τριάδα καὶ δυάδα: Anal. post. II 13, 96 b 15], et hac divisione praemissa, per quam cognoscitur genus, tentet postea accipere definitionem singularum specierum; sicut etiam fit in aliis, puta in recta linea et in circulo et in recto angulo. Omnia enim haec congrue definiuntur praemissa divisione generis » *(S. Thom.*, In Anal. post. II lect. 14 n. 2; cf. ib. II 5 lect. 4; Top. VI 6, 143 a 36; De part animal. I 2 sq., 642 b 5). « Totum potestativum [ib. paulo infra: potentiale] . . . medium est inter totum universale et totum integrale » (S. th. I 77, 1 ad 1; cf. I-II 95, 4).

§ 6. De enuntiatione seu propositione

39. Enuntiationis notio. Enuntiatio definitur: oratio verum vel falsum significans indicando (cf. textus). « Oratio » ponitur loco generis; « significans verum vel falsum » loco differentiae, qua distinguitur enuntiatio a ceteris orationibus sive imperfectis sive perfectis non significantibus verum vel falsum seu iudicium; in solo enim iudicio habetur veritas logica. « Indicando » dicitur, i. e. asserendo, quod fit per verbum indicativi modi. Sensus ergo definitionis est enuntiationem esse orationem significantem iudicium.

Enuntiatio propositio dicitur, quatenus pars est syllogismi. Logica enuntiationem principaliter considerat tamquam propositionem seu tamquam instrumentum ratiocinii, quia eius opus principale est ratiocinium (cf. n. 4).

Materia propositionis (simplicis) sunt termini: S et P; forma est copula; S, P, C in omni propositione necessario requiruntur, etsi interdum non omnia explicite ponuntur (cf. n. 22). In omni propositione, sive affirmativa sive negativa (excepta reduplicativa, in qua comprehensio S^i coarctatur; cf. n. 40), S intelligitur secundum totam comprehensionem. In propositione affirmativa P quoad totam comprehensionem non vero quoad totam extensionem S^o attribuitur. S subicitur P^o, quia a P^o determinationem et denominationem recipit. Ideo S comprehensione maius est P^o; nam praeter suas notas etiam eas complectitur, quas enuntiat P; P vero extensione maius est. Quare S sub extensione P^i continetur et P « supponit » particulariter, i. e. in ipsa propositione adhibetur particulariter tantum. Res declaretur exemplo:

S P

Homo est mortalis : S continetur sub P^o ; S (homo) continetur sub extensione P^i,



[1]

quod secundum se latius patet (praeter homines sunt alia entia mortalia), quod tamen in ipsa propositione supponit particulariter, i. e. sumitur pro ea tantum parte mortalium, quae homines sunt. Hae propositiones dicuntur naturales seu ordinatae. Quodsi ordo iste naturalis invertitur, propositio dicitur innaturalis, inordinata, indirecta ; est propositio distorta :

S P

Aliquod mortale est homo ; aliqua pars S^i continetur sub P^o.



In propositione negativa S subicitur P^o negative, i. e. removetur P universaliter secundum omnem suam extensionem a S^o. Quare in his propositionibus P supponit universaliter. Non autem removetur P quoad totam suam comprehensionem, si notae ipsius considerantur divisive, sed partialiter tantum ; si vero notae considerantur collective, P quoad totam comprehensionem removetur a S^o.

Interdum de facto S et P secundum extensionem suam aeque late patent (propositio convertibilis), cum definitio praedicatur de definito : Homo est animal rationale ; homo est animal risibile (definitio per proprium), aut propter factum contingens. At simplex propositio hoc numquam enuntiat, sed requiritur nova propositio et novum iudicium, quo enuntietur S aeque late patere quam P, P esse definitionem S^i. Propositio autem exclusiva : Solus homo est animal risibile ; omnes homines sunt omnia animalia risibilia, est occulte composita [2].

40. Propositionis divisio. Propositiones dividuntur : 1. ratione formae. Ratione formae, i. e. ratione copulae manifestantis compositionem vel divisionem, propositiones dividuntur in categoricas (simplices) et hypotheticas (compositas). Categorica est, quae ope copulae verbalis P coniungit S^o seu praedicat de S^o ; ideo etiam praedicativa (categorica) dicitur. Hypothetica est, quae ope particularum « et », « aut » (« vel »), « si » integras coniungit propositiones

---

[1] In his diagrammatis circulus repraesentat extensionem, quae conceptui secundum se seu absolute convenit ; circulorum vero habitudo inter se repraesentat determinatam extensionem, secundum quam conceptus in propositione usurpantur.

[2] Cf. n. 40. Propositio : « omnes homines sunt omnia risibilia » reducitur ad propositionem exclusivam ; similiter propositio : « omnes homines in hac aula praesentes sunt decem » (scil. homines).

ad invicem. Hoc modo aliam construit veritatem distinctam a veritatibus categoricis. Nam sicut categorica fert iudicium de coniunctione S^i cum P^o, ita hypothetica iudicium fert de ipsa coniunctione plurium categoricarum sive copulativa sive disiunctiva sive conditionali, quam asserit esse vel non esse. Quia haec nova veritas pendet a veritatibus categoricis, propositio dicitur hypothetica.

Propositio hypothetica seu composita est aut aperte composita aut occulte. Species propositionis aperte compositae sunt: copulativa, disiunctiva, coniunctiva, conditionalis, ut patet ex supradictis. Propositio copulativa est, quae plura subiecta vel praedicata vel plures integras propositiones conectit particulis coniunctivis «et», «nec» (explicite vel implicite positis): Petrus et Paulus Romae mortui sunt. Unitas autem et multiplicitas subiecti et praedicati non ex unitate et multiplicitate vocum, quibus significantur subiectum et praedicatum, sed ex unitate et multiplicitate rei desumenda est. Ita «homo est animal rationale» est propositio simplex, «homo est animal rationale risibile» est propositio composita. Etiam propositio subordinata non impedit simplicitatem, dummodo ne superaddat novam realitatem S^o vel P^o. Ita propositio «homo est animal quod est rationale» est propositio simplex. Propositio disiunctiva est, quae plures propositiones particulis disiunctivis «aut», «vel» conectit. Distinguendum est inter propositionem proprie et improprie disiunctivam: improprie disiunctiva est, quae mediante particula «vel» saltem unum membrum verum esse affirmat; proprie autem disiunctiva est, quae mediante particula «aut» unum membrum verum esse affirmat, ceteris exclusis. Propositio coniunctiva est, quae enuntiat duo P non posse simul convenire eidem S^o (A non potest simul esse B et C). Propositio conditionalis est, quae coniungit propositiones ope particulae conditionalis «si». Propositio disiunctiva et coniunctiva et conditionalis aliquo modo iam argumentationes sunt et ratiocinium exprimunt (cf. n. 55).

Species propositionum occulte compositarum sunt: propositio exclusiva, exceptiva, reduplicativa.

Propositio exclusiva ea est, cuius subiectum vel praedicatum afficitur particula exclusiva «solum», «tantum» etc.: Solus Deus est aeternus.

Propositio exceptiva ea est, qua aliquid sub extensione subiecti contentum excipitur a participatione praedicati per particulas exceptivas «praeter», «nisi» etc.: Omne ens praeter Deum est contingens.

Propositio reduplicativa ea est, quae subiectum replicat per particulas geminantes «ut», «quatenus» etc.: Homo ut homo ratiocinatur.

Propositiones occulte compositae etiam exponibiles dicuntur, quia, cum resolvuntur, exponuntur: Deus est aeternus; nullum ens,

quod non est Deus, est aeternum. Omnia entia sunt contingentia ; Deus non est contingens. Homo ratiocinatur ; ratio, cur homo ratiocinetur, est humana natura.

Interdum particula reduplicans sumitur « specificative ». Tunc non exprimit causam, cur P tribuendum sit S^o, sed declarat P spectare ad essentiam S^i, ut si dicas : Homo, inquantum homo, est animal [1].

Propositio categorica ratione formae subdividitur in affirmativam et negativam, quatenus P de S^o affirmatur aut negatur. Etiam haec divisio ex parte formae est, quia negatio copulam afficit, dicitur tamen ratione qualitatis, i. e. essentialis. Divisio in affirmativam et negativam est subdivisio categoricae tantum, non hypotheticae. Nam negatio non potest cadere super copulam hypotheticam « si », « aut », « et », secus ipsa coniunctio categoricarum cessaret ac proinde etiam hypothetica propositio destrueretur.

Divisio propositionum in categoricas et hypotheticas, affirmativas et negativas essentialis est, i. e. generis in species, quia fit ratione formae seu compositionis constituentis ipsam essentiam propositionis. Ceterae divisiones accidentales sunt, quia fiunt ratione alicuius, quod accidit propositioni neque eius essentiam constituit.

2. Propositiones dividuntur ratione materiae. Materia propositionis sunt termini, quatenus considerantur secundum habitudinem ad invicem. Materia triplex est : naturalis (necessaria), contingens, remota, quatenus P necessario convenit S^o aut contingenter tantum aut repugnat S^o. Ratione materiae propositio dividitur in necessariam, contingentem, impossibilem. Propositio necessaria est, quae enuntiat aliquid, quod aliter esse non potest : Homo est animal. Propositio contingens est, quae enuntiat aliquid, quod aliter esse potest : Homo est albus. Propositio impossibilis est, quae enuntiat aliquid, quod esse non potest : Homo est lapis. In materia naturali omnis propositio affirmativa est necessaria, negativa vero impossibilis ; in materia remota omnis propositio affirmativa est impossibilis, negativa necessaria ; in materia contingenti tam affirmativa quam negativa propositio contingens est.

3. Ratione quantitatis propositiones dividuntur in universales, particulares, singulares, indefinitas, quatenus S est terminus universalis, particularis, singularis, indefinitus, i. e. indeterminatus quoad quantitatem, ut cum dicitur :

---

[1] Etiam quaedam propositiones, quarum « quantificatur » P, essent propositiones occulte compositae. Quantificatio praedicati in Logicam introducta est ab Hamilton (1788—1856): Omnes homines sunt omnia risibilia; omnes homines sunt aliqua animalia etc. Sed haec quantificatio est contra naturam praedicati et ducit ad ambiguas, immo ad falsas propositiones. Iam *S. Thomas* (In Perih. I lect. 10 n. 23 sq.) hunc modum formulandi propositiones reicit (cf. *J. Maritain*, Éléments de Philosophie, Petite Logique, Paris 1933, 252—263).

Homo est risibilis. Si materia propositionis indefinitae est naturalis aut remota, propositio aequivalet universali (Homo non est lapis = nullus homo est lapis); si vero materia est contingens, aequivalet particulari seu singulari (Homo currit = aliquis homo currit).

4. Ratione qualitatis accidentalis propositio multipliciter dividitur secundum diversas qualitates accidentales propositionis. Praecipuae qualitates sunt veritas et falsitas et modalitas. Ratione veritatis propositiones sunt verae et falsae. Ratione modalitatis propositiones dividuntur in propositiones de inesse (quae a recentibus etiam categoricae dicuntur), quibus simpliciter enuntiatur P inesse vel non inesse S°: Petrus est doctus, et propositiones modales, quibus enuntiatur modus, quo P inest vel non inest S°.

5. Ratione originis propositiones dividuntur: *a)* in propositiones analyticas et syntheticas. Propositio est analytica, si habitudo inter subiectum et praedicatum dignoscitur ex subiecti analysi: Homo est rationalis. Propositio est synthetica, si habitudo inter subiectum et praedicatum ex experientia cognoscitur: Petrus currit. *b)* in propositiones immediatas (per se notas) et mediatas (non per se notas), quatenus habitudo praedicati ad subiectum immediate ex ipsis terminis vel non immediate est cognoscibilis.

Nota. Propositio relativa reducitur ad copulativam aut ad causalem: Homo, quem video, currit = video hominem, et homo currit; homo, qui est iustus, solvit debita sua — quia homo est iustus, solvit debita sua. Similiter propositio adversativa: Ego laboro, ipse autem dormit = ego laboro, et ipse dormit (innuit tamen forma adversativa praeter compositionem, oppositionem quandam in praedicatis); hic est malefactor, colit tamen B. Virginem = hic est malefactor, hoc ei non est causa non colendi B. Virginem (causalis negata). Ipsa propositio causalis, sicut etiam rationalis, stricte propositiones non sunt, sed argumentationes (cf. n. 55). Similiter ceterae propositiones, quae a grammaticis recensentur, reduci possunt ad praedictas, ut temporales, finales etc.

Bibliographia ad 39—40: *G. v. Holtum*, Zur logischen Lehre vom Satze, JPhTh 10 (1896) 22—37.

Ad 39. Definitionem enuntiationis vide supra ad 29. Propositio ab Aristotele πρότασις vocatur (Anal. pr. I 1, 24 a 16: Πρότασις μὲν οὖν ἐστὶ λόγος καταφατικός ἢ ἀποφατικός τινος κατά τινος) et principium demonstrationis habetur (l. c. et Anal. post. I 13, 77 a 37: Προτάσεις δὲ καθ' ἑκάστην ἐπιστήμην, ἐξ ὧν ὁ συλλογισμὸς ὁ καθ' ἑκάστην; cf. *S. Thom.*, S. th. I 13, 12).

Ad 40. « Sub breviloquio duas divisiones enuntiationis ponit [Philosophus]. Quarum una est, quod enuntiationum quaedam est una simplex, quaedam est coniunctione una... Alia subdivisio enuntiationis est, quod, si enuntiatio sit una, aut est affirmativa aut negativa ["Εστι δὲ εἷς πρῶτος λόγος ἀποφαντικὸς κατάφασις, εἶτα ἀπόφασις· οἱ δ' ἄλλοι πάντες συνδέσμῳ εἷς: Perih. 5, 17 a 8] ... Ad manifestandam praedictam divisionem ... dicit ... quod enun-

tiatio dicitur vel una absolute, scil. quae unum de uno significat, vel una secundum quid, scil. quae est coniunctione una. Per oppositum autem est intelligendum, quod enuntiationes plures sunt, vel ex eo quod plura significant et non unum: quod opponitur primo modo unitatis; vel ex eo quod absque coniunctione proferuntur : et tales opponuntur secundo modo unitatis... Manifestat secundam divisionem enuntiationis . . . artificiosissime procedit : dividit enim genus non in species, sed in differentias specificas. Non enim dicit, quod enuntiatio est affirmatio vel negatio, sed vox significativa de eo quod est, quae est differentia specifica affirmationis, vel de eo quod non est, in quo tangitur differentia specifica negationis. Et ideo ex differentiis adiunctis generi constituit definitionem speciei, cum subdit : quod affirmatio est enuntiatio alicuius de aliquo, per quod significatur esse; et negatio est enuntiatio alicuius ab aliquo, quod significat non esse» (Κατάφασις δέ ἐστιν ἀπόφανσίς τινος κατά τινος. ἀπόφασις δὲ ἐστιν ἀπόφανσίς τινος ἀπό τινος: Perih. 6, 17 a 25. *S. Thom.* in l. c. I lect. 8 n. 2 3 12 13 19 21). « Praemittit [Aristoteles] divisionem enuntiationum, quae sumitur secundum differentiam subiecti . . . Quia enim semper enuntiatur aliquid de aliqua re, rerum autem quaedam sunt universalia, quaedam singularia [scil. "secundum quod res cadunt in intellectu" ‹ib. n. 4›], necesse est quod quandoque enuntietur aliquid inesse vel non inesse alicui universalium, quandoque vero alicui singularium » *(S. Thom.*, In Perih. I lect. 10 n. 1 8 ; cf. Anal. pr. I 2 : Οὗτος [λόγος καταφατικὸς ἢ ἀποφατικός τινος κατά τινος] δὲ ἢ καθόλου ἢ ἐν μέρει ἢ ἀδιόριστος : 24 a 17). « Secunda diversitas [enuntiationis] est per comparationem ad rem, ex qua dependet veritas et falsitas intellectus et enuntiationis. Cum enim enuntiatur aliquid esse vel non esse secundum congruentiam rei, est oratio vera ; alioquin est oratio falsa » *(S. Thom.*, In Perih. I lect. 9 n. 2). *Aristoteles* distinguit propositiones de inesse et modales : Πᾶσα πρότασίς ἐστιν ἢ τοῦ ὑπάρχειν ἢ τοῦ ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχειν ἢ τοῦ ἐνδέχεσθαι ὑπάρχειν : Anal. pr. I 2, 25 a 1.

§ 7. De propositionibus modalibus

41. Notio propositionis modalis. Propositio modalis est, in qua enuntiatur modus determinans compositionem ipsam praedicati et subiecti. Quam definitionem S. Thomas ita exponit : « Quia "propositio modalis" a "modo" dicitur, ad sciendum quid sit modalis propositio, oportet scire quid sit modus. Est autem modus determinatio rei, quae quidem fit per adiectivum nominis quod determinat substantivum, ut cum dicitur "homo albus", vel per adverbium quod determinat verbum. Sciendum est ergo quod triplex est modus : quidam determinat subiectum porpositionis, ut "homo albus currit", quidam determinat praedicatum, ut cum dicitur "Socrates est homo albus" vel "Socrates currit velociter", quidam determinat compositionem ipsius praedicati ad subiectum, ut cum dicitur "Socratem currere est impossibile", et ab hoc solo dicitur propositio modalis. Aliae vero propositiones, quae modales non sunt, dicuntur de inesse. Hi autem modi qui compositionem determinant, sunt sex : "verum", "falsum", "necessarium", "possibile", "impossibile" et "contingens". "Verum" autem et "falsum" nihil addunt supra significationes propositionum de inesse : idem namque significatur cum

dicitur "Socrates currit" et "Socratem currere est verum", et "Socrates non currit" et "Socratem currere est falsum", quod non contingit de aliis quattuor modis, quia non idem significatur cum dicitur "Socrates currit" et sive "Socratem currere est impossibile", sive "necessarium"» (Opusc. De propos. modalibus, ed. I.-M. Bochenski, Ag 17 (1940) 180—200).

Propositio itaque modalis modum determinat compositionis praedicati ad subiectum. Haec vero compositio aut necessaria est (necesse est esse, impossibile est non esse) aut impossibilis (impossibile est esse, necesse est non esse) aut contingens (contingens est esse, neque necesse neque impossibile est esse). Possibile autem dicitur ad excludendam solam impossibilitatem: quod impossibile non est, possibile est esse, et quod necessarium non est (non impossibile non esse), possibile est non esse. Quod vero contingens non est, aut necessarium est aut impossibile [1]. Contingens non excludit P de facto convenire S^o. Possibile vero dicit P posse convenire S^o, attamen de facto non convenire.

Modi igitur determinantes ipsam compositionem P^i ad S sunt quattuor: necessarium, impossibile, possibile, contingens. Materiae naturali respondet necessitas, remotae impossibilitas, contingenti contingentia. In propositione modali distinguenda sunt modus et dictum. Dictum enuntiat compositionem P^i ad S, ei adiungitur « modus » determinans modum huius compositionis. Exemplum sit: Socratem currere est contingens; « Socratem currere » est dictum, « est contingens » est modus.

Omnis modalis, si est vera, est propositio necessaria et aeternae veritatis; enuntiat enim modum, quo S et P conectuntur inter se, qui modus semper ex ipsa essentia S^i et P^i desumendus est. Ita « Petrum currere est contingens » est propositio necessaria; enuntiat enim modum, quo « Petrus » et « currere » conectuntur; qui modus non potest non esse contingens propter liberum Petri arbitrium (cf. n. 846, 4).

42. Divisio propositionis modalis. Propositio modalis duplex est: modalis divisa et modalis composita. Modalis composita est, in qua modus se habet ut P et dictum ut S: Sedentem stare est possibile. Modalis divisa est, in qua modus adverbialiter sumptus refertur in copulam: Sedens possibiliter stat. Haec significat sensum divisum, illa compositum. Sensus compositus est, qui significat simultatem et unionem duplicis formae in uno subiecto; sensus di-

---

[1] Notetur contingens saepe sumi pro possibili, ita ut duplex sensus habeatur: *a)* neque necessarium neque impossibile, seu possibile esse et non esse; *b)* non impossibile, seu possibile esse. Hanc distinctionem fecit Aristoteles; invenitur et am apud S. Albertum et S. Thomam.

visus est, qui significat unionem et convenientiam duplicis formae in uno subiecto non simul, sed successive, seu una excludente aliam ; hoc enim est divise. Potest tamen modalis composita etiam sumi in sensu diviso, et ideo distinctione opus est.

Propositio modalis ad propositionem de inesse reduci potest. Ita haec propositio modalis « Petrus contingenter currit » reducitur ad hanc de inesse : « haec propositio : Petrus currit, est contingens ».

Bibliographia ad 41—42: *I.-M. Bochenski*, Notes historiques sur les propositions modales, RSPhTh 26 (1937) 673—692. *Id.*, Sancti Thomae Aquinatis de modalibus opusculum et doctrina, Ag 17 (1940) 180—218. *R. Feys*, Les Logiques nouvelles des modalités, RNSPh 40 (1937) 517—553; 41 (1938) 217—252.

Ad 41. *Aristoteles* in c. 12 Perih. de propositionibus modalibus earumque oppositione agit: Σκεπτέον ὅπως ἔχουσιν αἱ ἀποφάσεις καὶ καταφάσεις πρὸς ἀλλήλας αἱ τοῦ δυνατὸν εἶναι καὶ μὴ δυνατὸν καὶ ἐνδεχόμενον καὶ μὴ ἐνδεχόμενον, καὶ περὶ τοῦ ἀδυνάτου τε καὶ ἀναγκαίου : 21 a 34. Cf. *Caietanum* in l. c. II lect. 8 n. 1 sqq.

§ 8. De proprietatibus partium propositionis

43. Proprietates propositionis. Proprietates, quae propositionis essentiam sequuntur, sunt duplicis generis : quaedam sequuntur extrema seu partes propositionis, quaedam totam propositionem. Proprietates partium propositionis, quae tamen solummodo his partibus, prout insunt in propositione, conveniunt, sunt : suppositio, ampliatio, restrictio, alienatio, diminutio, appellatio. Proprietates, quae sequuntur totam propositionem, sunt : oppositio, conversio, aequipollentia. Hae proprietates sunt relativae, i. e. conveniunt uni propositioni relate ad alteram.

44. Suppositionis notio. Suppositio definitur : acceptio termini pro aliquo, de quo verificatur iuxta exigentiam copulae. Terminus dicitur supponere, quatenus in oratione accipitur pro aliquo, de quo verificatur iuxta exigentiam copulae, secus dicitur non supponere. Ita haec propositio : Adam est albus, est de S° non supponente, quia terminus « Adam » non verificatur, iuxta exigentiam copulae. Adam enim non est, sed fuit. Ad diiudicandum, utrum aliqua propositio sit de subiecto supponente necne, notandum est : *a)* ad suppositionem non requiri veritatem seu verificationem propositionis, nam etiam in propositione falsa datur suppositio, ut cum dico : Homo est lapis, « homo » supponit, sed unice requiritur acceptionis termini verificatio iuxta exigentiam copulae ; *b)* copulam posse significare 1. esse exsistentiae (Adam est albus) ; 2. esse possibile quod abstrahit ab exsistentia (Circulus est rotundus) ; 3. esse entis rationis (Chimaera est non-ens). Quare propositiones aeternae veritatis, quae enuntiant ve-

ritates necessarias circa rerum essentias, sunt de subiectis supponentibus, etsi haec subiecta non exsistunt.

Suppositio differt a significatione. Significatio enim termini (univoci) una tantum est et permanens, suppositio autem multiplex et variabilis secundum modum, quo utimur termino in propositione quod ex suppositionis divisione patebit.

45. Suppositionis divisio. Suppositio dividitur in materialem et formalem. Suppositio materialis est acceptio termini pro seipso: Homo est vox. Tunc terminus non significat, sed repraesentat tantum seipsum et propositionem mere materialiter ingreditur. Suppositio formalis est acceptio termini pro re significata. Suppositio formalis est propria aut impropria, quatenus accipitur terminus pro eo, quod proprie aut metaphorice tantum significat. In propositione: Vicit leo de tribu Iuda, supponit « leo » improprie seu metaphorice. Suppositio propria dividitur in simplicem (logicam) et realem (personalem). Suppositio simplex est acceptio termini pro eo tantum, quod immediate significat. Suppositio realis est acceptio termini etiam pro iis, quae mediate significat. Ad intellectum huius notandum est terminum sicut conceptum habere duplex significatum obiectivum, formale seu immediatum et materiale seu mediatum. Ita terminus « homo » immediate significat humanam naturam, mediate individua in ea subsistentia; « animal » immediate significat naturam genericam animalis, mediate species sub ea contentas et harum specierum individua; contra terminus singularis, nomen proprium, ut Plato, significat immediate individuationem, mediate naturam in individuo subsistentem.

Tam simplex quam realis suppositio dividitur in universalem et singularem, quatenus terminus, qui sumitur pro significato suo immediato tantum aut pro immediato et mediato, est terminus universalis aut singularis. Ita distinguuntur: *a)* suppositio universalis simplex: terminus universalis sumitur pro significato suo immediato tantum; in propositione: Homo est species, « homo » supponit suppositione universali simplici; *b)* suppositio universalis realis: terminus universalis sumitur pro significato suo immediato et mediato; in propositione: Homo est vivens, « homo » supponit suppositione universali reali; *c)* suppositio singularis simplex: terminus singularis sumitur pro significato suo immediato tantum; in propositione: Plato est individuum, « Plato » supponit suppositione singulari simplici; *d)* suppositio singularis realis: terminus singularis sumitur pro significato suo immediato et mediato; in propositione: Plato est animal, « Plato » supponit suppositione singulari reali. De suppositione reali universali infra iterum erit dicendum.

Suppositio realis subdividitur: *a)* per ordinem ad copulam seu ad nexum inter S et P in essentialem (naturalem) et accidentalem. Sup-

positio essentialis est acceptio termini pro eo, cui intrinsecus et essentialiter convenit P. Ita in propositione : Homo est animal, « homo » supponit suppositione essentiali. Haec suppositio semper universalis est. Suppositio accidentalis est acceptio termini pro eo, cui P non intrinsecus sed accidentaliter convenit. Haec suppositio semper particularis est: Homo disputat= aliquis homo disputat. *b)* relate ad extensionem in universalem et singularem. Suppositio universalis est acceptio seu usus termini universalis ut universalis : Homo est risibilis ; singularis est acceptio termini ad exprimendam rem singularem : Petrus est doctus ; hic homo est doctus. Suppositio universalis est triplex : distributiva, collectiva, particularis. Distributiva est usus termini universalis pro omnibus suis inferioribus distributive sumptis : Omnis homo est risibilis. Subdividitur in completam seu absolutam et incompletam seu exceptivam. Exceptiva obtinet, cum terminus universalis ita usurpatur, ut aliquid sub eius extensione contentum excipiatur : Omnes homines in peccato originali concipiuntur ; excipitur B. V. Maria. Suppositio universalis collectiva est usus termini universalis pro suis inferioribus collectim sumptis : Omnes apostoli fuerunt duodecim. Suppositio particularis est usus termini particularis. Suppositio particularis est aut disiunctiva aut disiuncta seu confusa, quatenus terminus particularis verificatur aut non verificatur in aliquo determinato supposito. Ita cum dicitur : Aliquis homo currit, S verificatur in aliquo determinato homine ; contra in propositionibus : Aliqua navis requiritur ad navigandum, aliquis oculus ad videndum, S non verificatur in determinato aliquo supposito.

46. Ampliatio, restrictio, alienatio, diminutio, apellatio. Ampliatio definitur : extensio termini a minore ad maiorem suppositionem. In propositione : Homo potest esse iustus, « homo » extenditur ad omnes homines futuros et possibiles.

Restrictio definitur : coarctatio a maiore ad minorem suppositionem. Ita in propositione : Homo, qui est iustus, est sapiens, « homo » non supponit pro omni homine, sed pro eo tantum, qui iustus est.

Terminus dupliciter potest ampliari vel restringi : *a)* in ordine ad plura vel pauciora individua seu inferiora, quibus convenit, *b)* in ordine ad plura tempora vel pauciora, in quibus verificatur. Primo modo ampliatio et restrictio invenitur solum in termino universali supponente suppositione personali accidentali ; nam simplex suppositio universalis non transit ad individua, naturalis vero omnibus absolute convenit, sola accidentalis pluribus vel paucioribus convenire potest. Secundo modo ampliatio et resctrictio etiam termino singulari convenit : Petrus est et fuit iustus.

Alienatio (remotio) est distractio S^i a propria ad impropriam significationem per P, quod de eo enuntiatur, vel distractio P^i per S,

de quo enuntiatur : Homo est pictus, Petrus est leo (in crudelitate). Talia enim sunt subiecta, qualia permittuntur a suis praedicatis et e converso.

D i m i n u t i o est usus termini secundum significationem incompletam, propter adiectivum ei adiunctum : Homo pictus est imago ; τὸ « pictus » restringit terminum analogum « homo » ad analogatum minus principale.

A p p e l l a t i o est applicatio significati formalis unius termini ad significatum formale alterius, ut cum dicitur : Petrus est magnus logicus, τὸ « magnus » non convenit absolute Petro, sed sub ratione et formalitate Logicae. Appellatio igitur efficit, ut terminus appellans (in exemplo « magnus ») non absolute conveniat S°, sed ratione eius, super quod appellat (in exemplo ratione Logicae). Dicitur autem in definitione : « applicatio significati f o r m a l i s ad significatum f o r m a l e », quia applicatio formalis ad materiale tantum est simplex praedicatio, non appellatio, quae aliquid applicat ad subiectum mediante aliqua formalitate, non absolute ; ideo si dicitur : Petrus est citharoedus, et bonus, utrumque praedicatum applicatur simpliciter et absolute subiecto, non autem appellative unum ad alterum.

Appellatio dividitur in r e a l e m et r a t i o n i s . Appellatio realis est, quae fit secundum accidentia vel formalitates reales, ut : Petrus est magnus logicus. Appellatio rationis est, quae fit mediante accidente rationis, ut : Homo est species. Non enim convenit P « species » homini absolute, sed homini ut abstracte concepto ; ubicumque autem P aliquod non convenit S° absolute, sed ratione alicuius formalitatis, est appellatio.

Recentes praeterea dividunt appellationem in materialem et formalem, quatenus terminus applicatur alteri ratione materiae seu subiecti tantum (medicus cantat) aut ratione formae (medicus sanat). Sed ex dictis patet appellationem istam materialem p r o p r i e appellationem non esse, sed simplicem praedicationem.

A d 43. Nosse istas proprietates partium propositionis, quanti sit momenti, ex eo apparet, quod, secundum *Aristotelem*, diversus usus terminorum inter praecipuas causas est, ex quibus defectus in ratiocinando proveniunt. « Cum enim », ait ille, « non liceat res ipsas per se in disserendo afferre, sed nominibus vice rerum utamur tamquam notis, id quod in nominibus evenit, etiam in rebus putamus evenire . . . Hoc vero non est simile : nomina enim sunt finita, . . . res autem numero infinitae sunt ; necesse igitur est ut eadem oratio unumque nomen plura significet. Igitur . . . in disputationibus, qui nominum potestatis sunt imperiti, paralogismis decipiuntur. » Τοῖς ὀνόμασιν ἀντὶ τῶν πραγμάτων χρώμεθα συμβόλοις, . . . ἀναγκαῖον οὖν πλείω τὸν αὐτὸν λόγον καὶ τοὔνομα τὸ ἓν σημαίνειν . . . ἐπὶ τῶν λόγων [in disputationibus] οἱ τῶν ὀνομάτων τῆς δυνάμεως ἄπειροι παραλογίζονται (De soph. el. c. 1, 165 a 7—16).

A d 44. *S. Thomas* : « In quolibet nomine est duo considerare : scil. id a quo imponitur nomen, quod dicitur qualitas nominis, et id cui imponitur, quod dicitur substantia nominis. Et nomen, proprie loquendo, dicitur s i g n i f i-

c a r e formam sive qualitatem, a qua imponitur nomen; dicitur vero s u p - p o n e r e pro eo, cui imponitur » (III Dist. 6, 1 a. 3; cf. S. th. I 39, 4; III 16, 1; Pot. 9, 4).

§ 9. De proprietatibus, quae sequuntur totam propositionem

47. Oppositionis notio et divisio. Oppositio definitur: affirmatio et negatio eiusdem de eodem. Ita definitur oppositio l o g i c a seu oppositio, quae viget inter propositiones; nam oppositio p h y s i c a, inter res (et conceptus), de qua iam supra egimus (n. 18), est habitudo duarum rationum ea, ut in eadem re sub eodem respectu simul esse non possint. Oppositio logica sic definita non extenditur ad subalternationem, i. e. ad oppositionem relativam, quae viget inter universalem affirmativam (A) et particularem affirmativam (I: **Aff**Irmo), universalem negativam (E) et particularem negativam (O: n**Eg**O) tamquam inter superius et inferius (vide infra quadratum logicum). Quia oppositio est e i u s d e m de e o d e m affirmatio et negatio, requiritur, ut idem maneat S et P secundum eandem significationem, secundum idem genus suppositionis. Non tamen requiritur, ut eadem maneat species suppositionis realis. Haec potest transire ab universali ad particularem et viceversa.

Oppositio dividitur in contradictoriam, contrariam, subcontrariam. Oppositio c o n t r a d i c t o r i a, si definitur secundum rationem suam formalem, est quae repugnat in veritate et falsitate, ita ut duae contradictoriae numquam possint esse simul verae neque falsae. Ista oppositio contradictoria constituitur tamquam e x m a t e r i a ex universali affirmativa et particulari negativa, ex universali negativa et particulari affirmativa, ex singulari affirmativa et singulari negativa. Oppositio c o n t r a r i a, si definitur secundum rationem formalem, est quae repugnat in veritate, non tamen in falsitate, ita ut duae contrariae non possint esse simul verae, possint tamen simul esse falsae [1]. Oppositio contraria constituitur ex A et E tamquam ex materia. Oppositio s u b c o n t r a r i a ex parte rationis suae formalis est quae repugnat in falsitate, sed non repugnat in veritate, ita ut propositiones subcontrariae possint esse simul verae [2], sed non possint simul esse falsae. Ex parte materiae constat ex I et O.

Nota. a) Lex, quae viget inter propositiones contradictorias, non est unam esse determinate veram, alteram determinate falsam, sed, si una est vera, altera est falsa, vel contra. Ideo ex propositionibus contradictorie oppositis circa futura contingentia, ut: Petrus curret, Petrus non curret, nulla in se est determinate vera, nulla determinate

---

[1] Nequeunt simul esse falsae, si sunt in materia necessaria.
[2] In materia contingenti, at non in materia necessaria.

falsa, neque earum veritas determinari potest nisi per causas proprias et intrinsecas.

b) Genus suppositionis, ut ab initio monuimus, numquam est mutandum. Genera autem suppositionis sunt : materialis, formalis, simplex, personalis. Quare propositioni : Homo est species, non est contradicendum per distributionem : Nullus homo est species, sed per simplicem negationem : Homo non est species. Similiter propositioni : Homo secundum se est albus, contradicimus dicendo : Homo secundum se non est albus, quia, cum dicitur « secundum se », « homo » redditur terminus singularis, qui nullius quantitatis capax est ; natura enim secundum se una tantum est. Oppositionem propositionum simplicium de inesse ob oculos ponit Quadratum logicum :



48. Maxima omnium est oppositio contradictoria tam in propositionibus quam in rebus. Nam haec est maior oppositio, in qua unum oppositum magis destruit alterum ; iam vero sola oppositio contradictoria absolute et omnibus modis destruit oppositum suum, quia nihil habet, in quo conveniat cum eo ; cetera vero opposita aliquid relinquunt, in quo convenire possint. Etenim oppositio contraria, si est physica (i. e. in rebus), versatur inter duas formas positivas, quae conveniunt in eodem genere et possunt etiam convenire simul in eodem subiecto, si sint in gradibus remissis[1]. Similiter oppositio contraria logica (i. e. in propositionibus) non tollit in una propositione totum quod est in altera, quia saltem non tollit universalitatem et distributionem, nam in hac debent convenire propositiones contrariae, et consequenter habent, in quo convenire possint, falsitatem. Similiter subcontrarietas non tollit particularitatem et consequenter neque veritatem, sed duae propositiones subcontrariae sunt simul particulares et possunt esse simul verae. Denique oppositio privativa non tollit, sed relinquit aptitudinem ad oppositam formam ; ergo saltem ex hac parte relinquit aliquam convenientiam cum suo opposito. Relative autem opposita conveniunt in quasi-genere entis, immo in eodem genere proximo relationis ; praeterea sunt simul natura ac proinde non destruunt inter se (physice), sed mutuo se inferunt. At vero in contra-

[1] Exemplo sit color violaceus, qui est commixtio rubri et caerulei.

dictoriis negatio unius ita est pura et absoluta, ut omnem convenientiam cum suo extremo tollat, et ita nec relinquit esse neque aptitudinem neque universalitatem neque particularitatem.

49. Oppositio in modalibus et hypotheticis. Ut ex oppositione, quae intercedit inter propositiones de inesse (cf. n. 47), resultat, contradictoria subalternae contraria est subalternanti. Secundum eandem regulam etiam in modalibus attenditur oppositio. Sed notandum est, quod in modalibus subalternatio habetur non tantum ratione quantitatis (I subalterna est ad A, et O ad E), sed etiam ratione modi : quod necesse est esse, est possibile esse ; et quod impossibile est esse, est possibile non esse.

Exemplum : Propositioni : Necesse est omnem hominem currere, subalternatur (ratione quantitatis e t ratione modi) propositio : Possibile est aliquem hominem currere ; huius negatio : Necesse est nullum hominem currere (= impossibile est ullum hominem currere), contraria est propositioni : Necesse est omnem hominem currere ; negatio autem propositionis : Necesse est omnem hominem currere, scilicet : Possibile est aliquem hominem non currere, subalternatur propositioni : Necesse est nullum hominem currere, et subcontraria est propositioni : Possibile est aliquem hominem currere. Oppositiones modalium clarius fiunt in sequenti figura :



Regulae pro modalibus negandis :

a) pro modalibus compositis : 1. Modalis ex necessario negatur per modalem ex possibili, cuius dictum contradictorium est dicto negandae ; e. g. Necesse est aliquam hominem esse iustum, negatur per : Possibile est nullum hominem esse iustum. 2. Similiter modalis ex possibili negatur per modalem ex necessario, cuius dictum contradictorium est dicto negandae ; e. g. Possibile est omnem hominem esse philosophum, negatur per : Necesse est aliquem hominem non esse philosophum ; vel negatur simplicius per modalem ex impossibili, non variato dicto : Impossibile est omnem hominem esse philosophum. 3. Modalis ex impossibili negatur per modalem ex possibili, non variato dicto, ut patet ex reg. 2. 4. Modalis ex contingenti negatur per disiunctivam constantem modali ex necessario,

non variato dicto, et modali ex necessario, cuius dictum contradictorium est dicto negandae ; e. g. Contingens est omnem hominem salvari, negatur per : Aut necesse est omnem hominem salvari aut necesse est aliquem hominem non salvari.

b) pro modalibus divisis : 1. Modalis ex necessario negatur per modalem ex possibili, variata quantitate dicti et posita negatione post modum ; e. g. Aliquis homo necessario est iustus, negatur per : Omnis homo possibiliter non est iustus. 2. Similiter modalis ex possibili negatur per modalem ex necessario, variata quantitate dicti et posita negatione post modum ; e. g. Omnis homo possibiliter est philosophus, negatur per : Aliquis homo necessario non est philosophus ; vel negatur per modalem ex impossibili, variata quantitate dicti : Aliquis homo impossibiliter est philosophus. 3. Modalis ex impossibili negatur per modalem ex possibili, variata quantitate dicti, ut patet ex reg. 2. 4. Modalis ex contingenti negatur per disiunctivam constantem modali ex necessario, variata quantitate dicti, et modali ex necessario, variata quantitate dicti et posita negatione post modum; e. g. Omnis homo contingenter salvatur, negatur per: Aut aliquis homo necessario salvatur aut aliquis homo necessario non salvatur.

In conditionalibus « semper si » significat universalitatem affirmatam (Semper si x est, est y), «numquam si » universalitatem negatam (Numquam si x est, est y), « interdum si » particularitatem (Interdum si x est, est y ; interdum si x est, non est y). Propositiones autem hypotheticae copulativae ratione τοῦ « et » important universalitatem, improprie disiunctivae ratione τοῦ « vel » particularitatem. Ideo per improprie disiunctivas contradicimus copulativis, si sint oppositae qualitatis essentialis, i. e. si opponantur secundum affirmationem et negationem. Exemplum : Omne lac est album, et omne lac est dulce ; contradictoria : Aliquod lac non est album vel aliquod lac non est dulce.

50. De aequipollentia propositionum. Aequipollentes vocantur generatim propositiones, quae idem significant ; hic vero aequipollentiam modo sumimus strictiore, ita ut aequipollentia sit aequivalentia duarum propositionum, quae ope particulae negantis « non » ex oppositis in aequivalentes mutatae sunt. Regulae ad mutandas propositiones oppositas in aequipollentes hoc versiculo continentur : Prae contradic; post contra; prae-postque subalter, i. e. praepone negationem subiecto in contradictoriis, postpone in contrariis, praepone et postpone in subalternis. Exempla : Non aliquis homo est iustus, aequipollet huic : Nullus homo est iustus ; — Non aliquis homo non est iustus, huic : Omnis homo est iustus.

Subcontrariae aequipollentiam non admittunt. Nam si negatio postponitur subiecto propositionis I, non aequipollentia, sed identitas oritur.

In modalibus sequentes habentur aequivalentiae : *a)* necesse, non possibile non, impossibile non ; *b)* possibile, non impossibile, non necesse non ; *c)* contingens, neque necesse neque impossibile ; *d)* non necesse, possibile non, non impossibile non ; *e)* non possibile, necesse non, impossibile; *f)* non contingens, aut necesse aut impossibile.

51. De conversione propositionum. Conversio est inversio extremorum propositionis, retenta eiusdem propositionis veritate.

Distinguitur conversio : simplex, per accidens, per contrapositionem. Conversio est simplex, si in conversione quantitas propositionis manet eadem ; quae si variatur, conversio dicitur per accidens. Conversio per contrapositionem est, cum inversis extremis praefigitur particula negativa.

Ad conversionem rite faciendam requiritur : *a)* ut integrum S convertatur in integrum P. Ideo propositio : Petrus videt lapidem, non convertitur dicendo : Lapis videt Petrum, sed : Aliquis videns lapidem est Petrus ; quare verba impersonalia resolvenda sunt in verbum substantiale « esse » ; ita haec : Paenitet me peccati, antequam convertatur, ita resolvitur : Ego sum paenitens peccati, et convertitur : Aliquis paenitens peccati sum ego. *b)* ut servetur idem genus suppositionis.

Regulae ad rite faciendam conversionem :

Simpliciter fEcI convertitur; EvA per acci(dens), AstO per contrap(ositionem); sic fit conversio tota.

Ratio, cur conversio nonnisi secundum has regulas fieri possit, est subiecti et praedicati suppositio.

Exempla : Omnis prudens est sapiens, convertitur per accidens : Aliquis sapiens est prudens. Ratio est, quia in propositionibus affirmativis praedicatum supponit particulariter. Eadem propositio : « Omnis prudens est sapiens », etiam per contrapositionem converti potest : Omnis non sapiens est non prudens.

Propositio O non convertitur nisi per contrapositionem. Videtur posse converti etiam simpliciter : Aliquis homo non est iustus ; aliquis iustus non est homo. Attamen secunda propositio aliam omnino veritatem enuntiat. Nam in prima praedicatum « iustus », quod negatur, supponit pro homine non iusto, in secunda autem subiectum « iustus » non supponit pro homine, sed pro Deo, angelo iusto. Propositio E simpliciter convertitur et per accidens : Nullus homo est lapis ; nullus lapis est homo ; aliquis lapis non est homo. Conversa per accidens eandem enuntiat veritatem partialiter.

Ab his regulis eximuntur propositiones, quarum praedicatum est definitio, quae simpliciter convertuntur : Omnis homo est risibilis (definitio per proprium) ; omne risibile est homo. Recentes aequipollentiam et conversionem propositionum ut illationes immediatas habent seu argumentationes immediatas : Omnis homo est ani-

mal; ergo aliquod animal est homo. Attamen argumentationes immediatas dari nullas patebit ex capite sequenti. Aequipollentiam autem et conversionem argumentationes non esse iam nunc ex eo apparet, quod propositiones aequipollentes sicut etiam conversae e a n d e m omnino enuntiant veritatem, saltem partialem; argumentatio autem est oratio significans sequelam unius ex a l i o[1].

Bibliographia ad 47—51: *J. Cevolani*, A propos d'une règle sur la conversion des jugements, RNSPh 13 (1906) 111—114. *I. I. Doyle*, In Defense of the Square of Opposition, NSch 25 (1951) 367—396. *J. Geyser*, Aequipollenz der kategorischen Urteile, PhJ 19 (1906) 40—47. *F. Grégoire*, Condition, conditionné, inconditionné, RNSPh 46 (1948) 5—41. *P. Jacoby*, A Triangle of Opposites for Types of Propositions in Aristotelian Logic, NSch 24 (1950) 32—56. *C. Renner*, Zur Aequipollenz der Urteile, PhJ 21 (1908) 103 f.

Ad 47. *Aristoteles* «manifestat, quae sit a b s o l u t a oppositio affirmationis et negationis . . . Dicit ergo quod, cum cuilibet affirmationi opponatur negatio, et e converso, oppositioni huiusmodi imponatur nomen hoc, quod dicatur contradictio [ἔστω ἀντίφασις τοῦτο, κατάφασις καὶ ἀπόφασις αἱ ἀντικείμεναι: Perih. 6, 17 a 33] . . . Deinde definit contradictionem . . . Oportet autem opposita esse circa idem. Et quia enuntiatio constituitur ex subiecto et praedicato, requiritur ad contradictionem primo quidem, quod affirmatio et negatio sint eiusdem praedicati [λέγω δὲ ἀντικεῖσθαι τὴν τοῦ αὐτοῦ κατὰ τοῦ αὐτοῦ, μὴ ὁμωνύμως δέ: 17 a 34]: si enim dicatur, P l a t o c u r r i t, P l a t o n o n d i s p u t a t, non est contradictio; secundo requiritur, quod sint de eodem subiecto: si enim dicatur, S o c r a t e s c u r r i t, P l a t o n o n c u r r i t, non est contradictio. Tertio requiritur, quod identitas subiecti et praedicati non solum sit secundum nomen, sed sit simul secundum rem et nomen. Nam si non sit idem nomen, manifestum est, quod non sit una et eadem enuntiatio. Similiter autem ad hoc, quod sit enuntiatio una, requiritur identitas rei: dictum est enim supra, quod enuntiatio u n a est, quae unum de uno significat; et ideo subdit: N o n a u t e m a e q u i v o c e, idest non sufficit identitas nominis cum diversitate rei, quae facit aequivocationem» (*S. Thom.*, In Perih. I lect. 9 n. 7 8). «Dicit quod, si aliquis enuntiet de subiecto universali universaliter, idest secundum continentiam suae universalitatis, q u o n i a m e s t, idest affirmative, aut n o n e s t, idest negative, erunt contrariae enuntiationes; ut si dicatur: o m n i s h o m o e s t a l b u s, n u l l u s h o m o e s t a l b u s ['Εὰν μὲν οὖν καθόλου ἀποφαίνηται ἐπὶ τοῦ καθόλου ὅτι ὑπάρχει τι ἢ μή, ἔσονται ἐναντίαι: 17 b 3]. Huius autem ratio est, quia contraria dicuntur, quae maxime a se distant: non enim dicitur aliquid nigrum ex hoc solum, quod non est album, sed super hoc . . . addit nigrum extremam distantiam ab albo. Sic igitur id, quod affirmatur per hanc enuntiationem: o m n i s h o m o e s t a l b u s, removetur per hanc negationem: n o n o m n i s h o m o e s t a l b u s. Oportet ergo, quod negatio removeat m o d u m, quo praedicatum dicitur de subiecto, quem designat haec dictio: o m n i s. Sed super hanc remotionem addit haec enuntiatio: n u l l u s h o m o e s t a l b u s, totalem remotionem, quae est extrema distantia a primo; quod pertinet ad rationem contrarietatis. Et ideo convenienter hanc oppositionem dicit c o n t r a r i e t a t e m»

[1] Neque propositio copulativa aliam veritatem i n f e r t, sed c o n s t r u i t tantum mere formaliter (cf. n. 40).

(*S. Thom.* l. c. lect. 10 n. 18). «Particularis vero affirmativa et particularis negativa non habent proprie loquendo oppositionem, quia oppositio attenditur circa idem subiectum ; subiectum autem particularis enuntiationis est universale particulariter sumptum, non pro aliquo determinato singulari, sed indeterminate pro quocumque ; et ideo, cum de universali particulariter sumpto aliquid affirmatur vel negatur, ipse modus enuntiandi non habet, quod affirmatio et negatio sint de eodem : quod requiritur ad oppositionem affirmationis et negationis, secundum praemissa» (l. c. lect. 11 n. 2). Quomodo propositiones oppositae se habeant ad verum et falsum, Aristoteles explicat in c. 7 Perih. *S. Thom.* ib. I lect. 11 n. 6 sqq. Circa propositiones singulares oppositas de futuro in materia contingenti diserte tradit Aristoteles, nullam determinate veram aut falsam esse, nam «si omnis affirmatio vel negatio determinate est vera vel falsa, ita in singularibus et futuris sicut in aliis, consequens est, quod omnia necesse sit vel determinate e s s e v e l n o n e s s e» (Εἰ γὰρ [ἐπὶ τῶν καθ' ἕκαστα καὶ μελλόντων] πᾶσα κατάφασις καὶ ἀπόφασις ἀληθὴς ἢ ψευδής, καὶ ἅπαν ἀνάγκη ὑπάρχειν ἢ μὴ ὑπάρχειν : Perih. 9, 18 a 34. *S. Thom.* lect. 13 n. 7).

A d 48. *S. Thomas*: «Oppositio affirmationis et negationis, cui non admiscetur aliqua convenientia, est prima et maxima oppositio, et causa omnis oppositionis et distinctionis» (I Dist. 5, 1 a. 1 ad 1).

A d 49. De oppositione modalium propositionum Aristoteles diserte agit in c. 12 et 13 Perihermenias.

A d 51. *Aristoteles* in c. 2 Analyticorum priorum I quattuor regulas de conversione simplicium propositionum tradit : 1. propositionem de inesse universalem privativam simpliciter seu inversis terminis converti (ἀντιστρέφειν: 25 a 6) ; 2. universalem affirmativam converti per accidens seu ita, ut particularis evadat ; 3. particularem affirmativam converti simpliciter ; 4. particularem vero negativam non converti. Conversionem per contrapositionem omittit, «quia non conducit ad reductionem syllogismorum» (*Silv. Maurus,* Comment. in l. c.). Regulas de conversione propositionum modalium Aristoteles in eodem libro tradit c. 3 ; cf. c. 13 et 17.

Caput III

DE RATIOCINIO

§ 1. De ratiocinio et argumentatione

52. Ratiocinii notio. Ratiocinium est actus mentis, quo, ex veritatibus cognitis, mens aliam veritatem cognoscit. Ad essentiam ratiocinii non sufficit, ut unum p o s t aliud aut unum i n alio cognoscatur (ut effectus in causa), sed requiritur, ut e x cognitione unius in cognitionem alterius deveniamus. Quare intellectus, qui c o m p r e h e n s i v e intelligit (divinus, angelicus), non intelligit discurrendo, et esse r a t i o n a l e seu ratiocinari est proprium hominis.

Sicut in simplici apprehensione et in iudicio, ita in ratiocinio distinguendus est a c t u s, intellectio, et t e r m i n u s seu conceptus ab ea productus.

53. Argumentationis notio. Oralis expressio ratiocinii argumentatio dicitur. Argumentatio definitur : oratio significans sequelam unius ex alio : Petrus est animal ; ergo est corpus. Constat ex antecedente et consequente et nota illationis, quae est coniunctio antecedentis et consequentis, illationem seu sequelam denotans.

54. Leges ratiocinii et argumentationis. *a)* Ex vero antecedente semper sequitur verum consequens, ex falso autem antecedente aliquando sequitur verum consequens. Nam quia antecedens est et verum est, necessario est consequens et est necessario verum. Ex falso autem dicitur sequi verum, non per se, quasi falsum posset esse causa veri ; non enim potest neque logice causare verum (ex falso enim non potest manifestari seu probari aliqua veritas) neque ontologice (id enim, quod non est, non potest esse causa seu ratio, ut aliquid sit) ; sed per accidens, quatenus etiam data ea rerum dispositione, quae non est et quae in antecedente falso asseritur, tamen sequeretur id, quod vere est et verum est. Exemplo sit istud : Omnis lapis est vivens ; omnis homo est lapis ; ergo omnis homo est vivens. Conclusio : omnis homo est vivens, est et vera est, at non quia homo est lapis, sed alia ex causa.

b) Peiorem semper sequitur conclusio partem, i. e. si aliqua praemissa est negativa vel particularis, neque conclusio poterit affirmativa vel universalis esse. Ratio est, quia praemissae sunt causa conclusionis.

55. Divisio ratiocinii et argumentationis. *a)* Argumentatio considerata ut propositio dividitur ex parte notae illationis in rationalem (Homo est animal, ergo est vivens), conditionalem (Si sol lucet, dies est), causalem (Quia homo est rationalis, est risibilis), quatenus illatio exprimitur per particulam « ergo » aut per particulam « si » aut per particulam « quia ». Ad veritatem conditionalis sufficit consequentiam bonam esse, licet extrema (antecedens et consequens) sint falsa. Ita haec est vera : Si homo est brutum, caret ratione. Ad veritatem rationalis requiritur insuper, ut antecedens et consequens sint vera. Ad veritatem causalis praeterea necesse est, ut antecedens sit causa ontologica consequentis. Ideo vera est rationalis : Est mundus, ergo est Deus ; sed falsa est causalis : Quia est mundus, est Deus.

b) Ratione materiae argumentatio dividitur in formalem et materialem. Formalis est, quae est bona ratione formae, quae proinde etiam nullo respectu habito ad materiam valet et ideo in omni specie materiae est bona ; materialis, quae nonnisi ratione materiae est bona, i. e. in materia necessaria tantum, et quia materia est necessaria. Exemplum sit : Aliquis homo est rationalis ; ergo omnis homo est rationalis.

c) Ratione qualitatis dividitur in bonam et malam. Bona est, in qua antecedens infert consequens. Bonae argumentationis proprium est non posse antecedens esse verum et consequens falsum. Mala argumentatio est, in qua antecedens non infert consequens, licet videatur seu significetur inferre. Huius proprium est antecedens posse esse verum et consequens falsum. Argumentatio formaliter considerata dividitur in bonam et malam, non in veram et falsam, quia argumentatio non est propositio, cuius formaliter est construere veritatem, sed est conexio illativa propositionum, quae convenienter fit sive non convenienter.

d) Essentialiter, ut est modus sciendi (cf. n. 30 sq.) seu modus manifestativus veritatis, dividitur in tres species, quae sunt: syllogismus categoricus, inductio, syllogismus hypotheticus. Syllogismus categoricus manifestat veritatem consequentis seu conclusionis ope termini medii, coniungendo (aut separando) in conclusione subiectum et praedicatum ope termini medii. Procedit descendendo ab universali ad particulare ope «dicti de omni et de nullo» (cf. n. 57). Inductio manifestat veritatem conclusionis ope enumerationis particularium. Eius medium est enumeratio particularium, ope cuius in conclusione coniungit praedicatum subiecto (cf. n. 76 sq.).

Ita procedit ascendendo a particulari ad universale. Syllogismus hypotheticus, affirmata dependentia duarum propositionum inter se, ex positione aut negatione alterutrius deducit veritatem aut falsitatem alterius (cf. n. 72). Etiam syllogismus expositorius, qui de singulari ad singulare vel particulare concludit, reducendus est ad syllogismum categoricum. Terminus medius eius est singularis, qui tamen valet pro termino universali, cum necessario supponat pro tota sua extensione. Quare hic syllogismus quasi descendendo procedit coniungendo S et P mediante termino medio.

Bibliographia ad 52—55: *R. Bernard*, Proprium rationis est discurrere, Xenia thomistica I, Romae 1925, 147—157. *L'Anglade*, Réflexions sur un axiome de Logique: «Ex falso sequitur quodlibet», APh XI cah. III, Paris 1935, 191—227.

A d 52. «Sunt autem rationis tres actus: quorum primi duo sunt rationis, secundum quod est intellectus quidam [cf. text. ad 6 et 26] ... Tertius vero actus rationis est secundum id quod est proprium rationis, scil. discurrere ab uno in aliud, ut per id quod est notum deveniat in cognitionem ignoti» (*S. Thom.*, In Anal. post. I lect. 1 n. 4; cf. l. c. n. 6; S. th. I 14, 7; 58, 3; 79, 8; 85, 5; Ver. 8, 15; 15, 1; III Dist. 23, 2 a. 1 ad 4).

A d 53. Secundum *Aristotelem* syllogismus est «oratio, in qua quibusdam positis aliud quiddam diversum ab his, quae posita sunt, necessario accidit eo, quod haec posita sunt»; inde essentiam argumentationis formaliter sumptae collocat in necessaria consecutione conclusionis ex praemissis. Συλλογισμὸς δέ ἐστι λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι. λέγω δὲ ... τὸ διὰ ταῦτα συμβαίνειν τὸ μηδενὸς ἔξωθεν ὅρου προσδεῖν πρὸς τὸ γενέσθαι τὸ ἀναγκαῖον (Anal. pr. I 1, 24 b 18).

Ad 54. Ex veris praemissis non posse concludi falsum, ex falsis autem verum, non tamen ita, ut probetur cur sit, sed tantum quod sit, tradit *Aristoteles* in c. 2 II Anal. pr. : 'Εξ ἀληθῶν μὲν οὖν οὐκ ἔστι ψεῦδος συλλογίσασθαι, ἐκ ψευδῶν δ' ἔστιν ἀληθές, πλὴν οὐ διότι ἀλλ' ὅτι (53 b 7).

Ad 55. « Duplex est modus acquirendi scientiam. Unus quidem per demonstrationem, alius autem per inductionem . . . Differunt autem hi duo modi, quia demonstratio procedit ex universalibus ; inductio autem procedit ex particularibus » (Μανθάνομεν ἢ ἐπαγωγῇ ἢ ἀποδείξει. ἔστι δ' ἡ μὲν ἀπόδειξις ἐκ τῶν καθόλου, ἡ δ' ἐπαγωγὴ ἐκ τῶν κατὰ μέρος : Anal. post. I 18, 81 a 40. *S. Thom.* in l. c. lect. 30 n. 4 ; cf. lect. 1 n. 11). *Aristoteles* in c. 23 II Anal. pr. argumentationem dividit in syllogismum et inductionem : Ἅπαντα πιστεύομεν ἢ διὰ συλλογισμοῦ ἢ ἐξ ἐπαγωγῆς (68 b 13). Syllogismi hypothetici mentionem non facit (cf. ad 72).

§ 2. De syllogismo categorico

56. Syllogismi categorici notio. Syllogismus categoricus est argumentatio, in cuius antecedente comparantur duo termini cum uno eodemque tertio, ut exinde inferatur consequens quod enuntiat illos duos terminos inter se convenire vel non convenire. Explicatur definitio : Intellectus comparando duos terminos cum aliquo tertio percipit illos duos cum hoc tertio convenire, ex quo patet eos etiam convenire inter se ; vel percipit unum convenire cum tertio, alterum vero non convenire, ex quo patet eos etiam non convenire inter se, vi illius principii : Quae sunt eadem uni tertio, sunt quoque eadem inter se ; et quorum unum cum tertio convenit, alterum ab eo discrepat, ea inter se diversa sunt.

Ex definitione elucet syllogismum ex tribus coalescere terminis ita dispositis, ut tres oriantur propositiones. Tres termini constituunt materiam remotam, tres propositiones materiam proximam syllogismi. Duae priores propositiones dicuntur antecedens, tertia vero quae ex prioribus deducitur, consequens appellatur.

Syllogismus potest considerari logice et physice. Syllogismus logice consideratus, ut argumentatio, est artefactum logicum. Ita est aliquid complexi, quod tribus terminis constat, quibus tres propositiones efformantur, quarum duae priores, quae antecedens vocantur, manifestant sequelam seu consequentiam tertiae, quae dicitur consequens seu conclusio. Materia proxima syllogismi (logice considerati) sunt hae tres propositiones, materia remota sunt earum termini. Termini, qui in conclusione coniunguntur vel separantur, dicuntur extrema : subiectum (S) conclusionis vocatur extremum minus, praedicatum (P) autem extremum maius (P dicitur extremum maius, quia communiter latius patet quam S). Terminus, quocum utrumque extremum comparatur, dicitur terminus medius (M). Iudicia seu propositiones, quibus constat syllogismi antecedens, vocantur praemissae, quarum altera, quae continet extremum maius (P), ap-

pellatur m a i o r , altera vero, quae continet extremum minus (S), dicitur m i n o r . Forma syllogismi ita considerati est artificiosa terminorum dispositio secundum figuras et modos a Logicae regulis praescripta, qua manifestatur consequentia seu descensus necessarius consequentis ex antecedente.

Exemplum :

Antecedens : M P
Omnis homo est mortalis (maior) : M < P
S M
Atqui Petrus est homo (minor) : S < M

S P
Consequens : Ergo Petrus est mortalis (concl.) : S < P

Syllogismus p h y s i c e consideratus est ipsa consequentia seu simplex actus mentis concludentis consequens ex antecedente. In sola igitur conclusione seu in actu concludendi consequens ex antecedente consistit. In cognitione enim antecedentis virtualiter consequentis cognitio continetur, et mens hoc ipso quod cognoscit minorem ut minorem, i. e. tamquam subsumptam maiori, applicatur ad cognoscendum etiam consequens. Quae cognitio antecedentis est instrumentum, quo intellectus sufficienter instruitur ad consequens cognoscendum, et quo evidenter applicatur ac proinde etiam necessitatur ad hanc cognitionem eliciendam seu ad assentiendum conclusioni, ita ut, cognita minore ut minore, non possit non assentiri conclusioni. Praemissae igitur sunt c a u s a e f f i c i e n s i n s t r u m e n t a l i s n e c e s s a r i a c o n c l u s i o n i s .

Si consequentia seu ratiocinium physice consideratum comparatur cum ratiocinio logice considerato, hoc iterum dici potest materia illius.

57. Principia syllogismi categorici. Primum principium, unde dependet tota vis syllogismi categorici, est p r i n c i p i u m c o n v e n i e n t i a e et d i s c r e p a n t i a e : « Quae sunt eadem uni tertio, sunt quoque eadem inter se », et « quorum unum cum tertio convenit, alterum ab eo discrepat, ea inter se diversa sunt ». Hoc autem principium non est nisi determinatio p r i n c i p i i c o n t r a d i c t i o n i s (idem non potest simul esse et non esse), quod est supremum et universalissimum principium metaphysicum. Attamen principium convenientiae et discrepantiae applicari non potest in re syllogistica nisi mediante alio principio, quod secundum Aristotelem vocabatur a scholasticis « dictum de omni », « dictum de nullo » : Quidquid universaliter distributive affirmatur de aliquo subiecto, debet affirmari de omnibus contentis sub eo ; quidquid universaliter distributive negatur de aliquo subiecto, debet negari de omnibus contentis sub eo.

Huius assertionis I pars probatur ex eo, quod syllogismus categoricus innititur principio identitatis vel discrepantiae tamquam principio essentialiter constitutivo suo. Hoc patet ex definitione syllogismi categorici. II pars probatur ex eo, quod in re syllogistica non constat quaedam identificari cum uno tertio nisi in virtute « dicti de omni ». Non enim constat S et P identificari cum eodem M, nisi in quantum M sumitur universaliter distributive (cf. infra : Leges syllogismi).

58. Leges syllogismi. Ex ipsa syllogismi essentia hae regulae deducuntur, quas scholastici memoriae iuvandae gratia versibus includebant :

1. Terminus esto triplex : maior, mediusque minorque.
2. Latius hos quam praemissae conclusio non vult.
3. Nequaquam medium capiat conclusio oportet.
4. Aut semel aut iterum medius generaliter esto.
5. Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur.
6. Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.
7. Peiorem sequitur semper conclusio partem [1].
8. Nil sequitur geminis ex particularibus umquam.

Ad 1. Nota quartum terminum adesse posse (quaternio terminorum) aut aperte aut latenter, si eadem vox diversa significatione aut diverso suppositionis genere usurpatur. E. g. : Taurus est animal ; sed taurus est mons ; ergo mons est animal — Homo est species ; Plato est homo ; ergo Plato est species. In priore exemplo terminus aequivocus « taurus » alia significatione in maiore, alia in minore, in altero terminus « homo » diverso suppositionis genere usurpatur.

Ad 2. Secus adessent plus quam tres termini (contra regulam 1); si enim terminus latius sumitur in conclusione quam in praemissa, aliter supponit, est igitur quartus terminus.

Ad 4. Secus adsunt quattuor termini : P comparatur cum ista, S cum illa parte medii ; ista pars et illa sunt duo termini.

Exempla :

P M
Planta est vivens (i. e. vegetativum).
S M
Animal est vivens (i. e. sensitivum).
S P
Animal est planta. —



Petrus est homo (i. e. aliquis homo) ; Paulus est homo (i. e. aliquis homo) ; ergo Petrus est Paulus.

---

[1] Pars peior dicitur negativa et particularis. Sensus igitur regulae est : Si aliqua praemissa est negativa, conclusio erit negativa ; si aliqua praemissa est particularis, conclusio erit particularis.

Ad 5. Nam ex eo quod neque P neque S sub M^i extensione continentur, nihil deduci potest, quod habitudinem inter P et S attinet.

Ad 6. Si enim S et P conveniunt cum M^o, etiam inter se conveniant necesse est.

Ad 7. Si aliqua praemissa est negativa, conclusio erit negativa. Tunc enim aut S non convenit cum M^o aut P, ergo neque conveniunt inter se. Si aliqua praemissa est particularis, aut S aut P nonnisi ex parte convenit cum M^o, ergo nonnisi ex parte conveniunt inter se.

Ad 8. Nam si ambae praemissae sunt negantes, peccatur contra regulam 5; si ambae affirmantes, M erit semper particularis[1] contra regulam 4. Si una est affirmans, altera negans, unus tantum terminus in praemissis supponeret universaliter, i. e. M (secundum regulam 4), et P supponeret particulariter; at vero in conclusione, quae esset negativa (secundum regulam 7), P supponeret universaliter, quod esset contra regulam 2.

Nota. Terminus singularis, cum careat extensione, aequiparatur universali.

Bibliographia ad 56-58: *J. Cevolani*, «Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur»?, RNSPh 12 (1905) 289—305. *C. Sentroul*, Encore un mot à propos de la règle: «Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur», l. c. 472—475. *J. Cevolani*, Réponse aux objections de M. C. Sentroul, l. c. 476-478. *G. Wernick*, Das dictum de omni, «Archiv f. Geschichte d. Philos.» 21 (1908) 76—92.

Ad 56. *Aristoteles:* «Cum igitur tres termini [ὅροι] ita inter se affecti sunt, ut extremus [S: ὅρος ἔσχατος, al. τὸ ἔλαττον ἄκρον] sit in toto medio [ὅρος μέσος, τὸ μέσον] et medius in toto primo [ὅρος πρῶτος, τὸ μεῖζον ἄκρον] sit vel non sit, necesse est extremorum esse syllogismum perfectum.» Inde terminus extremus solum subicitur, primus solum praedicatur, medius autem et subicitur et praedicatur; itaque medium «et positione quoque fit medium» (Anal. pr. I 4, 25 b 32; 26 b 21). Praemissa: πρότασις, cf. supra ad 39; consequens: συμπέρασμα, Anal. pr. I 8 sq., 30 a 5; 24. Quoad definitionem syllogismi cf. text. ad 53.

Ad 57. Secundum *Aristotelem* alterum in toto altero esse idem est ac alterum omni alteri attribui seu de omni altero dici. «Dicimus autem de omni praedicari, quando nihil subiecti accipere licet, de quo alterum non dicatur; et praedicari de nullo, eodem modo accipitur.» Λέγομεν δὲ τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι, ὅταν μηδὲν ᾖ λαβεῖν τῶν τοῦ ὑποκειμένου, καθ' οὗ θάτερον οὐ λεχθήσεται· καὶ τὸ κατὰ μηδενὸς ὡσαύτως (Anal. pr. I 1, 24 b 28; cf. Cat. 3, 1 b 10—13, cit. ad 165). *S. Thomas:* «Secundum Philosophum in III Phys. [cf. ib. c. 3, 202 b 8; S. Thom. lect. 5 n. 10 (infra ad 193)], ... quaecumque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem, in his quae sunt idem re et ratione, ... non autem in his quae differunt ratione» (S. th. I 28, 3 ad 1).

Ad 58. *Aristoteles* ostendit conclusionem universalem non posse inferri, nisi omnes termini sint universales, atque in omni syllogismo vel ambas praemissas vel alteram necessario similem esse conclusioni, et id non solum quod sit affir-

---

[1] Praedicata enim propositionum affirmantium supponunt **particulariter.**

mativa aut negativa, sed etiam quod sit necessaria vel de inesse vel contingens. Φανερὸν οὖν ὅτι ἐν ἅπαντι [συλλογισμῷ] δεῖ τὸ καθόλου ὑπάρχειν, καὶ ὅτι τὸ μὲν καθόλου ἐξ ἁπάντων τῶν ὅρων καθόλου δείκνυται ... δῆλον δὲ καὶ ὅτι ἐν ἅπαντι συλλογισμῷ ἢ ἀμφοτέρας ἢ τὴν ἑτέραν πρότασιν ὁμοίαν ἀνάγκη γίνεσθαι τῷ συμπεράσματι. λέγω δ' οὐ μόνον τῷ καταφατικὴν εἶναι ἢ στερητικήν, ἀλλὰ καὶ τῷ ἀναγκαίαν ἢ ὑπάρχουσαν ἢ ἐνδεχομένην (Anal. pr. I 24, 41 b 22).

§ 3. De figuris et modis syllogismi categorici

59. Figurae syllogismi. Forma syllogismi est artificiosa materiae dispositio (cf. n. 56). Materiae remotae dispositio dicitur figura syllogismi, materiae vero proximae dispositio vocatur modus.

Figura syllogismi definitur : dispositio extremorum cum medio per modum praedicati et subiecti. Quattuor sunt figurae, quia quattuor dispositiones fieri possunt.

I. figura	I. figura indirecta	II. figura	III. figura
M — P	P — M	P — M	M — P
S — M	M — S	S — M	M — S
S — P	S — P	S — P	S — P

Nota. Figura secundo loco posita (quae a recentibus IV. figura dicitur) non est nisi I. indirecte concludens :

M S
Omnis homo est mortalis (minor).
P M
Petrus est homo (maior).
S P
Aliquod mortale est Petrus.

Si ergo in figura I mutantur tum maior et minor tum S et P, habetur figura I indirecta.

60. Modi syllogismi. Modus syllogismi definitur : dispositio propositionum secundum quantitatem et qualitatem essentialem, quae in affirmatione et negatione sita est. In qualibet figura sedecim modi contingere possunt : nam quantitas propositionum variari potest quattuor modis. Aut enim utraque praemissa est universalis aut utraque particularis aut prima universalis et secunda particularis, vel e contra prima particularis et secunda universalis. Similiter qualitas variatur quattuor modis. Sed $4 \times 4 = 16$. Ergo in qualibet figura 16 modi fieri possunt. Qui modi litteris indicantur. In prima figura habentur :

a a	e a	i a	o a
a e	e e	i e	o e
a i	e i	i i	o i
a o	e o	i o	o o[1].

[1] Significatio istarum litterarum supra indicata est n. 47.

Similiter in secunda et tertia figura. Cum autem quattuor sint figurae, numerus omnium modorum erit $16 \times 4 = 64$. Attamen ex his modis 19 tantum sunt apti ad concludendum, cum reliqui omnes contra syllogismi leges (n. 58) peccent (e. g. e e e). Modi idonei hisce versiculis a logicis exprimuntur :

(I. fig. :) Barbara, Celarent, Darii, Ferio, (I. indir. :) Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,

(II. fig. :) Cesare, Camestres, Festino, Baroco, (III. fig. :) Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

In his versibus prima vocalis uniuscuiusque vocis significat quantitatem et qualitatem propositionis maioris ; secunda quantitatem et qualitatem minoris indicat, tertia conclusionis, exceptis vocibus Baralipton, Celantes etc., quae ponuntur pro I. figura indirecta, et in quibus prima vocalis significat minorem, secunda maiorem [1].

61. Principia et leges singularum figurarum. Dictum de omni et de nullo in tota sua universalitate nonnisi in I. figura directa, in ceteris vero figuris modo aliquo determinato applicatur. Specialis haec applicatio ad II. figuram vocari potest « dictum de diverso » : Si certum attributum potest praedicari affirmative aut negative de quolibet membro alicuius speciei (generis), omne individuum (omnis species), de quo illud praedicari nequit (affirmative aut negative), non pertinet ad istam speciem (genus). Principium speciale III. figurae vocatur « dictum de parte » [2] : Duo termini, qui continent aliquam partem communem, partim conveniunt ; si autem unus continet partem, quam alter non continet, partim differunt.

Tres figurae igitur, unaquaeque secundum suum principium speciale, ita procedunt : In I. figura maior universaliter distributive P aliquod de S° suo praedicat affirmative aut negative ; minor affirmat sub hoc S° maioris contineri S minoris ; huic S° proinde etiam P maioris convenire (affirmative aut negative) enun-

---

[1] Recentes versus ita proponunt :

Barbara, Celarent, primae Darii Ferioque.
Cesare, Camestres, Festino, Baroco secundae.
Tertia grande sonans recitat : Darapti, Felapton,
Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. Quartae
Sunt Bamalip, Calemes, Dimatis, Fesapo, Fresison.

In his versibus prima vocalis vocum Bamalip, Calemes etc., quae ponuntur pro IV. figura seu I. indirecta, indicat maiorem, secunda minorem.

[2] A *J. H. Lambert* (Neues Organon I, Leipzig 1764, Hauptstück 4) vocatur « dictum de exemplo », quia haec figura plerumque adhibetur, si propositioni universali opponitur exemplum contrarium.

tiat conclusio : dictum de omni, de nullo. Ponatur primum exemplum syllogismi affirmativi in B a r b a r a , qui applicat dictum de omni :

Omne animal est substantia ;
omnis homo est animal ;
ergo omnis homo est substantia.

Secundum exemplum sit syllogismus negativus in C e l a r e n t , qui applicat dictum de nullo :

Nullum animal est arbor ;
omnis homo est animal ;
ergo nullus homo est arbor.

In II. figura maior u n i v e r s a l i t e r d i s t r i b u t i v e praedicat affirmative aut negative P aliquod de S° suo ; si P in maiore est negatum, minor de suo S° hoc P affirmat ; si autem P in maiore est affirmatum, minor hoc idem P negat de suo S° (ergo si maior est affirmativa, minor crit negativa et viceversa, ita ut u n a s e m p e r s i t p r a e m i s s a n e g a t i v a) ; conclusio proinde utriusque S^i (maioris et minoris) diversitatem enuntiat : dictum de diverso. Sit primum exemplum in Cesare, cuius maior est negativa :

Nullus peccator est beatus ;
omnis sanctus est beatus ;
ergo nullus sanctus est peccator.

Secundum exemplum sit in C a m e s t r e s , cuius minor est negativa :

Omnis homo est rationalis ;
nullus brutum est rationale ;
ergo nullum brutum est homo.

In III. figura praemissae enuntiant duo P^a convenire eidem S°, i. e. continere aliquam partem communem, ex quo proinde concluditur haec P^a p a r t i m i n t e r s e c o n v e n i r e (conclusio particularis affirmativa), aut unum non convenire huic S°, alterum convenire, i. e. unum continere partem, quam alterum non continet ; ex quo concluditur ea p a r t i m d i f f e r r e (conclusio particularis negativa ; P eius supponit universaliter, similiter ergo in maiore P conclusionis, quod est etiam P maioris, debet supponere universaliter, i. e. haec maior debet esse negativa, ac proinde m i n o r e s t a f f i r m a t i v a).

Sit primum exemplum in D a r a p t i , cuius conclusio est affirmativa :

Omnis homo est rationalis ;
omnis homo est animal ;
ergo aliquod animal est rationale.

Alterum exemplum sit in F e l a p t o n, cuius conclusio est negativa:

Nulla arbor videt;
omnis arbor est substantia;
ergo aliqua substantia non videt.

Ex his principiis specialibus colligimus etiam leges speciales uniuscuiusque figurae; pro I. figura: Sit minor affirmans, nec maior particularis; pro II.: Una negans praeeat, nec maior sit specialis; pro III.: Sit minor affirmans, conclusio particularis[1].

Harum legum ratio etiam deduci potest ex legibus generalibus. Si enim leges illae speciales non observantur, erit etiam propter indolem peculiarem singularum figurarum peccatum contra leges generales.

62. Singularum figurarum praestantia. De ordine trium figurarum ita disserit auctor «Summae totius Logicae», tract. VIII c. 4 (inter opuscula S. Thomae): «Si enim medium in una propositione subicitur et in altera praedicatur, dicitur esse p r i m a figura, et merito, quia tunc medium vere est medium, quia sapit naturam utriusque extremi, scil. subiecti et praedicati; praedicatur enim et subicitur, ut dictum est. Si vero medium in utraque propositione praedicatur, dicitur esse s e c u n d a figura, quia licet medium non sit vere medium sapiens naturam subiectionis et praedicationis, tamen quia dignius est praedicari quam subici, ideo haec figura secundum locum tenet. Si vero medium in utraque propositione subicitur, dicitur t e r t i a figura et ultima, quia in ea medium non stat in medio sicut in prima et subicitur semper, quod est indignius.» Attamen quamquam prima figura est perfectissima, etiam secunda et tertia suo loco, datis circumstantiis, optimae sunt; ita secunda, cuius conclusio semper est negativa, ubi agitur de adversario refellendo, et tertia, ubi ostendendum est dictum aliquod universale esse illegitimum propter exemplum contrarium.

63. De reductione modorum. Quattuor modi I. figurae directae dicuntur modi p e r f e c t i seu syllogismi perfecti, quia in ipsis statim clare apparet consequentia; alii i m p e r f e c t i dicuntur, quia in ipsis consequentia non ita facile videtur. Hoc autem ex eo provenit, quod in quattuor modis I. figurae directae clare apparet applicatio dicti de omni, quod simpliciter in tota universalitate sua applicatur,

---

[1] Pro I. figura indirecta, si maiorem vocamus eam, in qua inest conclusionis P, leges ita enuntiari possunt:

Maior ubi affirmat, generalis tum minor esto.
Si minor affirmat, conclusio sit specialis.
Si negat haec, maior generalis postulat esse.

in quantum in his modis M est S in maiore et P in minore. In ceteris figuris applicatio dicti de omni non ita manifeste apparet, quia modo aliquo determinato applicatur. Utile igitur est alios modos ad hos quattuor reducere, id quod fit dupliciter : 1. directe (per reductionem directam), 2. indirecte (per reductionem ad impossibile).

1. Directe reducuntur conversione propositionum et mutatione praemissarum (conversio : loco S^i ponitur P secundum regulas ad propositionum conversionem statutas[1] ; mutatio : loco maioris ponitur minor).

Quomodo fieri debeat conversio et mutatio praemissarum, in versibus memorialibus (Barbara etc.) indicatur litteris s, p, m :

S vult simpliciter verti, P vero per accid(ens) ;
M vult mutari, C per impossibile duci,

scil. S indicat propositionem a praevia vocali significatam esse convertendam simpliciter, P indicat esse convertendam per accidens, M significat praemissas mutandas esse, ita ut loco maioris ponatur minor et loco minoris maior. Consonans initialis diversorum modorum designat modum I. figurae, ad quem reducuntur ; ita Cesare reducendum est ad Celarent. Hac ratione ad modos perfectos reducuntur omnes alii modi, exceptis Baroco et Bocardo, qui nonnisi indirecte reduci possunt, quod indicat littera C (C per impossibile duci).

2. Reductio ad impossibile eo fit, quod omittitur maior aut minor et eius loco ponitur contradictoria conclusionis (in Baroco omittitur minor, in Bocardo maior, quod indicat littera *o*). Conclusio syllogismi ita confecti erit contradictoria illius praemissae, quae omissa est.

Exemplum (in Baroco) :

Omnis virtus est laudabilis ;
aliquod vitium non est laudabile ;
aliquod vitium non est virtus.

Si adversarius, veritate praemissarum concessa, negat consequentiam, loco m i n o r i s ponatur contradictoria conclusionis negatae ; qui enim negat « aliquod vitium non esse virtutem », necesse est admittat « omne vitium esse virtutem », et habetur syllogismus in Barbara :

Omnis virtus est laudabilis ;
omne vitium est virtus ;
omne vitium est laudabile.

Iam vero adversarius concessit « aliquod vitium non esse laudabile ». Unde reducitur ad absurdum.

---

[1] Excipe Baralipton, in quo i convertitur in a, quia ex ea conversa est.

Bibliographia ad 59—63 : *C. Renner*, Über die Figuren und Modi des Syllogismus, PhJ 23 (1910) 196—203.

Ad 59—63. De figuris et modis syllogismi [figura : σχῆμα, Anal. pr. I 4, 26 b 33 ; modus : τρόπος, cf. ib. I 28, 45 a 4] *Aristoteles* fuse agit in libris Analyticorum priorum ; et ipse fatetur de arte syllogizandi se nihil ab antiquis accepisse, sed per longum tempus labore proprio ac exercitio eam quaesivisse (De soph. el. 34, 184 b 1).

§ 4. De divisione syllogismi categorici

64. Quomodo divisio instituatur. Cum in syllogismo materia et forma distinguantur, divisio eius secundum duplicem rationem fieri potest. Ratione formae syllogismus secundum diversas figuras et modos dividitur, quos supra (n. 59—62) explicavimus. Eadem ratione syllogismi dividuntur in bonos et malos seu sophisticos. Quae divisio analogum in sua analogata distribuit ; nam syllogismus sophisticus revera non est syllogismus, quia caret forma syllogistica. Cum etiam defectus materiales syllogismos sophisticos reddere queant et cum defectus seu sophismata accidant non tantum in syllogismo categorico, sed in omni argumentatione, de sophismatis infra (§ 8) sermo erit. Ratione materiae syllogismi multipliciter dividuntur secundum varios respectus, quos materia eorum induit ; istas divisiones hic proponimus.

65. Syllogismus completus et enthymema. Syllogismus ratione materiae dividitur in completum et incompletum seu enthymema, prout materia integra explicite ponitur aut non ponitur. Enthymema est syllogismus, in quo altera praemissa reticetur : Est corpus ; ergo est grave.

66. Syllogismus rectus et obliquus ; affirmativus et negativus. Ratione materiae remotae seu ratione terminorum syllogismus dividitur in rectum et obliquum. Syllogismus rectus est, cuius termini omnes sunt recti ; obliquus est, qui continet terminum obliquum. Termini hic intelliguntur syllogistici S, P, M, non aliqua horum terminorum determinatio, quae non redderet syllogismum obliquum. Exemplum sit : Christus est Deus ; Maria est mater Christi ; ergo Maria est mater Dei. M est « Christus », qui in minore ponitur in casu obliquo ; similiter P « Dei » in conclusione est casus obliquus. Iuvat syllogismos obliquos in rectos convertere ad eorum bonitatem probandam : Mater Christi est mater Dei ; sed Maria est mater Christi ; ergo Maria est mater Dei.

Ratione materiae proximae, i. e. ratione propositionum, syllogismi dividuntur in affirmativos et negativos, quatenus conclusio est affirmativa aut negativa.

67. Syllogismus simplex et compositus. Ratione materiae proximae, quatenus nomine materiae proximae intelliguntur ipsi syllogismi seu argumentationes, ex quibus conflari potest syllogismus aliquis compositus, distinguuntur syllogismi simplices, ex pluribus aliis syllogismis seu argumentationibus non compositi, et syllogismi compositi sive implicite sive explicite. Syllogismi compositi sunt:

Epichirema est syllogismus, cuius una vel utraque praemissa est propositio causalis: Omnis homo est mortalis, quia habet essentiam compositam; atqui Petrus est homo; ergo Petrus est mortalis.

Polysyllogismus est colligatio plurium syllogismorum, ita ut conclusio unius sit praemissa subsequentis: Spiritus caret materia; atqui anima humana est spiritus. Ergo caret materia; atqui, quod caret materia, est incorruptibile. Ergo anima humana est incorruptibilis.

Sorites est syllogismus compositus continens plures terminos medios, quorum alter alterum extensione sua complectitur. Implicite in se continet plures syllogismos, etsi conclusio non deducitur nisi post ultimam praemissam. Sorites est duplex: Aristotelicus et Goclenius[1]. Aristotelicus in prima praemissa M^{um} minus extensum de S^{o} praedicat, in secunda de hoc M^{o} alium M^{um} magis extensum etc., in ultima praemissa P praedicat de M^{o} maxime extenso. Goclenius inverso modo procedit: in prima praemissa P praedicat de M^{o} maxime extenso, in secunda hunc M^{um} de alio M^{o} minus extenso etc., in ultima praemissa M^{um} extensione minimun de S^{o} praedicat.

Sorites Aristotelicus:

S M
Petrus est homo;
M M_1
homo est animal;
M_1 P
animal sentit;

S P
ergo Petrus sentit.

Sorites Goclenius:

M_1 P
Animal sentit;
M M_1
homo est animal;
S M
Petrus est homo;

S P
ergo Petrus sentit.

68. Syllogismus absolutus et modalis. Ratione qualitatis materiae seu ratione qualitatis accidentalis propositionum, ex quibus conflantur syllogismi, distinguuntur syllogismi modales et non modales. Syllogismus modalis est, cuius una vel utraque praemissa est modalis. In tali syllogismo summa cum praecisione significatio praemissarum determinanda est et videndum, an et quomodo minor sit subsumpta maiori, ut exinde vera inferatur conclusio.

[1] Ita vocatur a *Rud. Goclenio*, Marburgensi doctore, qui primus in libro Isagoge in Organum Aristotelis, Francofurti 1598, illum proposuit.

Exempla: *a)* Omnis homo contingenter salvatur; atqui Petrus est homo; ergo Petrus contingenter salvatur. *b)* Contingens est omnem hominem salvari; atqui Petrus est homo; ergo possibile est Petrum salvari. *c)* Necesse est omne animal esse substantiam; atqui necesse est omnem hominem esse animal; ergo necesse est omnem hominem esse substantiam. *d)* Impossibile est ullum iustum damnari; atqui possibile est omnem hominem esse iustum; ergo possibile est nullum hominem damnari.

69. Syllogismus apodicticus, probabilis, erroneus. Ratione materiae, i. e. ratione materiae propositionum, distinguuntur syllogismi apodictici seu demonstrativi et probabiles et erronei, quatenus constant ex propositionibus necessariis aut contingentibus aut impossibilibus.

A d **64** sqq. *Aristoteles* distinguere solet: 1. syllogismum demonstrativum (φιλοσόφημα — συλλογισμὸς ἀποδεικτικός), qui procedit ex principiis universalibus et certis, ideoque scientiam proprie dictam efficit; 2. syllogismum dialecticum seu inquisitorium (ἐπιχείρημα — συλλογισμὸς διαλεκτικός), qui ex propositionibus probabilibus procedit et ad inquirendam veritatem ordinatur; 3. syllogismum contentiosum seu sophisticum (σόφισμα — συλλογισμὸς ἐριστικός), qui conclusionem infert ex praemissis quae illam non re ipsa, sed specie tenus continent; 4. syllogismum rhetoricum seu enthymema (ἐνθύμημα — συλλογισμὸς ῥητορικός), qui procedit ex verisimilibus et exemplis et ab oratoribus adhiberi solet, quo audientibus conclusionem persuadeant. In c. 11 VIII Topicorum habet: Ἔστι δὲ φιλοσόφημα μὲν συλλογισμὸς ἀποδεικτικός, ἐπιχείρημα δὲ συλλογισμὸς διαλεκτικός, σόφισμα δὲ συλλογισμὸς ἐριστικός, ἀπόρημα δὲ συλλογισμὸς διαλεκτικὸς ἀντιφάσεως (162 a 15). Cf. Anal. post. I 6: Εἰ οὖν ἐστὶν ἡ ἀποδεικτικὴ ἐπιστήμη ἐξ ἀναγκαίων ἀρχῶν . . . φανερὸν ὅτι ἐκ τοιούτων τινῶν ἂν εἴη ὁ ἀποδεικτικὸς συλλογισμός (74 b 5 10). Topic. I 1: Διαλεκτικὸς δὲ συλλογισμὸς ὁ ἐξ ἐνδόξων συλλογιζόμενος (100 a 29; cf. Anal. pr. I 30, 46 a 9) . . . Ἐριστικὸς δ' ἐστὶ συλλογισμὸς ὁ ἐκ φαινομένων ἐνδόξων, μὴ ὄντων δέ, καὶ ὁ ἐξ ἐνδόξων ἢ φαινομένων ἐνδόξων φαινόμενος (100 b 23). Anal. pr. II 27: Ἐνθύμημα μὲν οὖν ἐστὶ συλλογισμὸς ἐξ εἰκότων ἢ σημείων (70 a 10; cf. Rhet. I 1: Ἔστι δ' ἀπόδειξις ῥητορικὴ ἐνθύμημα, ... τὸ δ' ἐνθύμημα συλλογισμός τις: 1355 a 6). Ex istis testimoniis apparet divisionem syllogismorum et terminologiam, qua utitur Aristoteles, differre a modo dividendi et dicendi, quem recentiores adhibent et quem supra in textu secuti sumus. Divisiones, quas Aristoteles proponit, conveniunt cum iis, quae n. 69 positae sunt; alias vero divisiones, quas accidentales plerumque esse manifestum est, posteriores philosophi statuerunt, Aristoteles vero eas aut omittit aut breviter tangit exceptis syllogismis modalibus, quos in I Anal. pr. c. 9—22 tanta ubertate pertractat, ut pleniorem expositionem vix invenias. Enthymema et epichirema apud Aristotelem alio sensu dicuntur ac apud recentiores. Voce «sorites» (σωρείτης) ipse Aristoteles non utitur, argumentandi autem rationem, quae isto nomine venit, indicat Anal. pr. I 23 (41 a 18) et 25 (42 b 1). Doctrina de syllogismis modalibus etiam in opusc. [48] Summa tot. Log. Arist., quod inter opuscula S. Thomae recensetur, fuse exponitur: Tract. 8 De syll. simpliciter, c. 13—15.

§ 5. De syllogismo expositorio

70. Syllogismi expositorii definitio. Syllogismus expositorius ille est, cuius M est terminus singularis. Dicitur « expositorius », quia coniunctionem P^i cum S^o exponit mediante M^o singulari, sensibus manifesto: Iudas Iscariotes tradidit Iesum; sed Iudas Iscariotes fuit apostolus; ergo apostolus tradidit Iesum. Socrates est philosophus; sed hic homo est Socrates; ergo hic homo est philosophus.

Sicut in syllogismo stricte dicto M universaliter distributive adhibendus est, ita in syllogismo expositorio M debet esse perfecte, i. e. incommunicabiliter singularis [1]. Et haec est ratio, cur syllogismus deductivus reguletur principio identitatis et discrepantiae mediante dicto « de omni » et « de nullo », syllogismus vero expositorius immediate reguletur principio identitatis et discrepantiae.

71. Syllogismi expositorii figurae et modi. Syllogismi expositorii confici possunt in omnibus figuris, sed connaturalissime fiunt in tertia figura, in qua M bis subicitur; proprium enim est individui subici. At in secunda figura praeter modos communes negative concludentes syllogismus expositorius habet quattuor alios affirmativos, quorum primus ex utraque praemissa universali, alter ex utraque particulari, tertius ex maiore universali et minore particulari, quartus ex maiore particulari et minore universali rectam infert conclusionem. Hi modi, qui tamquam modi syllogismi stricte dicti peccant contra regulam quartam, pro syllogismo expositorio valent, quia in syllogismo expositorio M, utpote terminus singularis, semper universaliter supponit: Magister meus est hic homo; atqui pater meus est hic homo; ergo pater meus est magister meus (modus: a a a). Aliquis homo est Petrus; atqui aliquis philosophus est Petrus; ergo aliquis philosophus est homo (modus: i i i). Contra in tertia figura syllogismus expositorius non potest habere nisi duos modos, alterum qui utramque praemissam affirmativam, alterum qui alterutram negativam habet, quia in syllogismo expositorio secundum tertiam figuram constructo utraque maior est necessario singularis, i. e. universalis (cf. n. 58, nota).

Nota. Syllogismi, qui conficerentur ex utraque praemissa convertibili, ita ut utriusque S et P aeque late paterent secundum extensionem, se haberent similiter sicut syllogismi expositorii: immediate

---

[1] Essentia divina non est incommunicabiliter singularis; ideo non valet syllogismus: Essentia divina est Pater; essentia divina est Filius; ergo Pater est Filius. Syllogismus iste habet quattuor terminos, quia aliter supponit essentia divina in prima, aliter in secunda praemissa; in prima supponit pro essentia divina subsistente in Pater, in secunda pro eadem essentia subsistente in Filio. Pater et Filius non sunt idem uni eidemque tertio.

regularentur principio identitatis atque admitterent praeter modos communes alios modos legitimos. Exemplum sit : Omne animal risibile est animal rationale ; atqui omnis homo est animal rationale ; ergo omnis homo est animal risibile. Sed hoc per accidens est, non in rigore praemissarum, quia praemissae ex se non enuntiant se esse propositiones convertibiles. Si autem addatur P° signum, quo enuntietur propositionis convertibilitas : Omne animal risibile est omne animal rationale etc., propositiones fiunt compositae, ac proinde etiam ipsa argumentatio composita est [1].

§ 6. De syllogismo hypothetico

72. Syllogismi hypothetici notio. Syllogismus hypotheticus est, in quo maior est propositio hypothetica, cuius una pars indicat conclusionem, altera rationem eius logicam, unde dependet ; minor vero ponit hanc rationem [2]. Ceteri syllogismi omnes sunt categorici, licet contineant propositiones hypotheticas, quia procedunt secundum formam communem syllogismi. E. g.: Si A est, est B ; si B est, est C ; ergo si A est, est C. Est processus communis syllogismi : A = B, B = C, C = A.

Maior syllogismi hypothetici continet conclusionem hypothetice iam deductam, quae ope minoris absolute deducitur. Ideo syllogismus hypotheticus supponit syllogismum categoricum, quem virtualiter et implicite continet.

73. Syllogismi hypothetici divisio. Cum propositio hypothetica quadruplex sit : conditionalis, disiunctiva, coniunctiva, copulativa, et cum ex propositione copulativa nihil inferri possit, syllogismus hypotheticus est triplex : conditionalis, disiunctivus, coniunctivus.

Syllogismus conditionalis est, cuius maior est propositio conditionalis ; minor proinde est affirmatio conditionis aut negatio conditionati. Conclusio est aut affirmatio conditionati in virtute affirmatae conditionis (in minore) aut negatio conditionis in virtute negati conditionati (in minore). Quia veritas et falsitas propositionis conditionalis non consistit nisi in relatione inter conditionem et conditionatum, syllogismus conditionalis habet duas figuras: I. concludit a veritate conditionis ad veritatem conditionati, II. a falsitate conditionati ad falsitatem conditionis : Si Petrus currit, Petrus movetur ; atqui Petrus currit ; ergo Petrus movetur ; vel : atqui Petrus non movetur ; ergo non currit. Posita enim conditione, conditionatum ponatur

---

[1] Cf. *J. E. Th. Wildschrey*, Die Grundlagen einer vollständigen Syllogistik, Halle 1904. Auctor quantificando praedicatum octoginta reperit modos. De hac quantificatione praedicati cf. n. 40, 1 nota.

[2] Haec ratio est aut affirmatio conditionis aut negatio conditionati (in syllogismo conditionali) aut affirmatio vel negatio unius vel plurium membrorum disiunctionis (in syllogismo disiunctivo et coniunctivo).

necesse est, at non viceversa posito conditionato ponenda est conditio; sublato conditionato, conditio tolli debet, at non viceversa sublata conditione tollendum est conditionatum. Falso igitur concluderetur: atqui Petrus non currit; ergo non movetur. Licet enim Petrus non currat, potest tamen moveri.

Secundum diversitatem qualitatis (essentialis) praemissarum in utraque figura oriuntur quattuor modi:

I. figura: *a)* Si A est, est B; est A; ergo est B.
b) Si A est, non est B; est A; ergo non est B.
c) Si A non est, est B; A non est; ergo est B.
d) Si A non est, non est B; A non est; ergo non est B.
II. figura: *a)* Si A est, est B; non est B; ergo non est A.
b) Si A est, non est B; est B; ergo non est A.
c) Si A non est, est B; non est B; ergo est A.
d) Si A non est, non est B; est B; ergo est A.

Syllogismus conditionalis eo resolvitur in categoricum, quod explicatur syllogismus categoricus in hypothetico virtualiter et implicite contentus. Si utrumque membrum propositionis conditionalis habet idem subiectum, reductio facili modo fit syllogismo categorico, cuius maior est propositio universalis, quae habet pro S° P conditionis, pro P° P conditionati; minor manet eadem: Si Petrus currit, Petrus movetur; atqui Petrus currit; ergo movetur. Omne quod currit, movetur; atqui Petrus currit; ergo movetur. Si vero utrumque membrum propositionis conditionalis non habet idem subiectum, reductio ita simplici modo fieri non potest: Si mundus exsistit, Deus exsistit; atqui mundus exsistit; ergo Deus exsistit. Syllogismus categoricus latens in hac argumentatione ita explicari potest: Causa mundi exsistentis exsistit; atqui Deus est causa mundi exsistentis; ergo Deus exsistit.

Syllogismus disiunctivus est, cuius maior est propositio proprie disiunctiva, minor vero affirmatio vel negatio unius aut plurium membrorum disiunctionis; conclusio est negatio vel affirmatio ceterorum. Quia in propositione disiunctiva omnia membra non possunt esse neque simul vera neque falsa, duae sunt figurae syllogismi disiunctivi; in utraque figura sunt quattuor modi secundum variationem qualitatis (essentialis) praemissarum:

I. figura: *a)* Aut A est, aut B est; A non est; ergo B est.
b) Aut A est, aut B non est; A non est; ergo B non est.
c) Aut A non est, aut B est; A est; ergo B est.
d) Aut A non est, aut B non est; A est; ergo non est B.
II. figura: *a)* Aut A est, aut B est; A est; ergo non est B.
b) Aut A est, aut non est B; A est; ergo est B.
c) Aut A non est, aut B est; A non est; ergo non est B.
d) Aut A non est, aut non est B; A non est; ergo est B.

Exemplum : Angulus est aut rectus aut acutus aut obtusus ; atqui est neque rectus neque acutus ; ergo est obtusus (I. fig.). Atqui est obtusus ; ergo est neque rectus neque acutus (II. fig.). Si maior syllogismi disiunctivi est propositio improprie disiunctiva, syllogismi nonnisi in I. figura fieri possunt.

Syllogismus disiunctivus reduci potest ad conditionalem aut immediate ad categoricum. Ita primus modus primae figurae reducitur : 1. ad syllogismum conditionalem : Si A non est, est B ; A non est ; ergo B est ; 2. ad categoricum : Omne quod non est A, est B ; atqui x non est A ; ergo x est B : Si angulus est neque rectus neque acutus, est obtusus ; atqui angulus est neque rectus neque acutus ; ergo est obtusus. Angulus qui est neque rectus neque acutus, est obtusus ; atqui hic angulus est neque rectus neque acutus ; ergo est obtusus.

Syllogismus coniunctivus est, cuius maior negat duo P^a eidem S^o simul convenire posse, minor est unius membri affirmatio, conclusio negatio alterius. In maiore non potest utrumque membrum verum esse, potest tamen utrumque esse falsum. Ideo conclusio a falsitate unius ad veritatem alterius non valet. Quare syllogismus coniunctivus unam tantum habet figuram cum duobus modis, qui distinguuntur secundum affirmationem et negationem membrorum maioris : A non potest simul esse B et C ; atqui A est B ; ergo non est C. A non potest simul esse B et C ; atqui A est C ; ergo non est B. Homo non potest servire Deo et mammonae ; atqui servit Deo ; ergo non servit mammonae ; atqui servit mammonae ; ergo non servit Deo.

74. Dilemma[1]. Dilemma (trilemma etc.) est argumentatio, in qua ex positione uniuscuiusque membri disiunctionis completae idem semper deducitur. Dilemma est syllogismus hypotheticus compositus.

S est aut P aut P_1 aut P_2.
Si S est P, valet C.
Si S est P_1, valet C.
Si S est P_2, valet C.

Ergo C valet, sive S est P sive P_1 sive P_2.

Exemplum sit illud *Tertulliani*[2] contra decretum Traiani :

Aut nocentes sunt Christiani aut innocentes.
Si nocentes, cur inquiri prohibes ? (Decretum est iniustum.)
Si innocentes, cur delatis poenam irrogas ? (Decretum est iniustum.)
(Ergo sive sunt nocentes sive innocentes, decretum est iniustum.)

---

[1] A *S. Hieronymo* (Ep. ad Ocean.) vocatur « syllogismus cornutus ».
[2] Apologeticus.

Ut dilemma sit rectum, requiritur : 1. ut disiunctio sit completa, 2. ut consequens, quod ex singulis membris deducitur, sequatur legitime et exclusive, ita ut dilemma retorqueri non possit. Exemplum dilemmatis, quod peccat contra has regulas :

Aut bene aut male rem publicam administrabis.
Si male, displicebis Deo ;
si bene, displicebis hominibus. Ergo etc.

Retorquetur : Si male, placebo hominibus ;
si bene, placebo Deo. Ergo etc.

A d 72. *Aristoteles* syllogismi hypothetici mentionem non facit ; nomine syllogismi hypothetici significat syllogismum categoricum, qui procedit ex aliqua suppositione, de qua certo non constat (cf. *M. Thiel*, Die Bedeutungen des Wortes hypothesis bei Aristoteles, Fulda 1919).

§ 7. De inductione

75. Inductionis notio. Inductio dupliciter sumitur : *a)* pro abstractione qua universale a singularibus abstrahitur, *b)* pro argumentatione inductiva. Inductio quae est argumentatio inductiva, definitur : argumentatio, qua ex veritatibus singularibus seu particularibus ad veritatem universalem in eis contentam concluditur. Inductio igitur motum rationis exprimit a particularibus ad universale, cum syllogismus stricte dictus seu deductivus ab universali ad particulare descendat.

Inductio :

M P
Plantae, bruta, homines movent seipsa.
M S
Plantae, bruta, homines sunt omne vivens corporeum.
S P
Omne vivens corporeum movet seipsum.

$$\begin{array}{c} M < P \\ M = S \\ \hline S < P \end{array}$$

Deductio :

M P

Omne vivens corporeum movet seipsum.

S M

Plantae, bruta, homines sunt viventia corporea.

S P

Plantae, bruta, homines movent seipsa.

$$\begin{array}{c} M < P \\ S < M \\ \hline S < P \end{array}$$

76. Inductionis medium et principium speciale. Inductio eo essentialiter distinguitur a syllogismo quod, mediante enumeratione particularium in antecedente, coniungit P S^o in consequente, cum syllogismus, mediante termino medio, coniungat in conclusione sua P S^o. Medium inductionis proinde est divisio seu enumeratio particularium. Eius principium speciale vocari potest « dictum de omnibus singulis », « negatum de omnibus singulis », et ita enuntiatur : Quidquid affirmatur vel negatur de omnibus singulis inferioribus alicuius universalis, de ipso universali affirmandum vel negandum est.

77. Inductionis divisio. Inductio alia est completa, alia incompleta. Prima habetur, cum de subiecto universali concludimus id, quod singillatim de omnibus eius inferioribus affirmandum vel negandum esse cognovimus (exemplum inductionis completae vide supra n. 75). Secunda vero habetur, cum de subiecto aliquo universali concludimus id, quod singillatim de quibusdam eius inferioribus affirmandum vel negandum esse cognovimus. Inductio incompleta subdividitur in sufficientem et insufficientem.

Inductio incompleta sufficiens est inductio, in qua non fit enumeratio omnium singularium sub aliqua specie vel specierum sub aliquo genere contentarum, supponendum tamen est praedicatum, quod convenire quibusdam patet, convenire omnibus. Et hoc tunc supponendum est, cum constat praedicatum aliquod, in quibusdam individuis observatum, esse proprietatem seu dimanare ex ipsa rei natura ; nam natura specifica eadem est in omnibus individuis eiusdem speciei, et natura generica eadem est in omnibus speciebus eiusdem generis. Praedicatum autem ex ipsa rei natura dimanare ex eo deducitur, quod sub diversis circumstantiis constanter adest. Effectus enim constans postulat causam constantem, quae non potest esse fortuita quaedam

et accidentalis circumstantia, sed debet esse ipsa rei natura. Innititur ergo inductio incompleta sufficiens principio causalitatis seu rationis sufficientis: Quidquid fit, causam habet proportionatam; nihil est sine ratione sufficiente.

Inductio igitur incompleta, sed sufficiens, opitulante principio causalitatis, ad veram certitudinem deducere potest, cum inductio incompleta insufficiens ex ipsa natura sua non possit gignere nisi probabilitatem.

Inductio incompleta sufficiens p h y s i c a dicitur propterea, quod in scientiis physicis experimentalibus adhibetur ad inducendas leges naturae ex factis singularibus. Physici enim observationibus suis eo devenire nituntur, ut cognoscant, num phaenomenon aliquod observatum ex ipsa rei natura progrediatur. Qua in re notandum est: *a)* posse quandoque contingere, ut ex observatione unius individui satis clare constet praedicatum aliquod dimanare ex rei natura; tunc haec observatio in uno individuo satis esset ad inductionem sufficientem. Ita quaedam mineralia, dum franguntur, figuras geometricas cristallinas tam regulares ostendunt, quae fortuito adesse in fractura minime posse statim cognoscuntur; *b)* fere semper tamen non ita facile esse discernere, utrum aliquod praedicatum observatum dimanet ex rei natura an ex aliqua peculiari et fortuita circumstantia. Ad hoc requiritur diligentissima et variata observatio in diversis individuis sub diversis circumstantiis[1]. Quae observatio saepe nondum ad certitudinem, sed ad coniecturam tantum deducit seu h y p o t h e s i n. Hypothesis, si ope experimenti seu aliarum observationum verificatur, in certitudinem transit, et sic statuitur lex naturae explicans facta singularia. Ut hunc processum exemplo declaremus: cum quis videt plurima corpora deorsum cadere, eo deducitur, ut supponat omnia corpora esse gravia, et ea quae deorsum non cadunt, sed sursum adscendunt, aliqua accidentali causa impediri, ne cadant, et sursum impelli. Quae hypothesis experimento corporum in vacuo cadentium plene verificatur, ita ut inductione sufficiente statuta sit lex: omnia corpora esse gravia.

78. Inductionis ultimum fundamentum. Inductio est argumentatio e s s e n t i a l i t e r diversa a syllogismo categorico, continet tamen hunc syllogismum virtualiter. Quare principium convenientiae: coniunctio aut divisio subiecti et praedicati mediante termino medio, est fundamentum cuiuscumque argumentationis.

Inductio completa hunc continet syllogismum ab aequivalente ad aequivalens: Subiectum, quod aequivalet partibus enumeratis, est

---

[1] Observationes maximopere multiplicatae tum temporaliter tum localiter s t a t i s t i c a m constituunt. Ope statisticae praesertim meteorologia leges, quae aëris temperamentum regunt, detegere nititur.

subiectum, quod habet praedicatum conveniens partibus enumeratis. Atqui S (in exemplo n. 75 : omne vivens corporeum) est subiectum, quod aequivalet partibus enumeratis. Ergo.

Inductionem incompletam continere syllogismum procedentem ex principio causalitatis et rationis sufficientis iam patet ex dictis. Qui syllogismus ita enuntiari potest : Praedicatum, quod invenitur convenire subiecto alicui in multis casibus sub diversis circumstantiis, est praedicatum, quod huic subiecto universaliter convenit. Atqui P est praedicatum, quod invenitur convenire subiecto S in multis casibus sub diversis circumstantiis. Ergo P est praedicatum, quod convenit huic subiecto S universaliter. Maior huius syllogismi probatur ex principio causalitatis et rationis sufficientis, sicut n. 77 indicatum est. Hic processus syllogisticus continetur etiam in inductione incompleta insufficiente, i. e. ad certitudinem gignendam, sufficiente tamen ad probabilitatem. Tunc repetitis experimentis nexus inter S et P non certitudinaliter quidem, probabiliter tamen manifestatur. Inductio autem, quae ne probabilitatem quidem gignere potest, legitima non est.

79. Analogia, exemplum. Analogia est processus probabilis a pluribus particularibus ad aliud particulare eiusdem generis. Similiter exemplum ab uno particulari ad aliud eiusdem generis concludit. Analogia et exemplum continent in se inductionem et deductionem. Inducitur ope inductionis incompletae insufficientis (saltem per se non sufficientis ad certitudinem) principium universale, quod postea ad alium casum particularem applicatur per deductionem. Ita ex eo, quod hic maximus peccator et iste et ille veniam a Deo impetravit, inducitur principium universale : maximos etiam peccatores a Deo veniam impetrare. Hoc principium iterum applicatur alteri casui particulari : ergo etiam tu, etsi maximis criminibus maculatus, veniam impetrabis.

Bibliographia ad 75—79 : *J. D. Folghera*, La vraie nature de l'Induction scientifique, RSPhTh 3 (1909) 759—761. *Id.*, Un débat sur l'induction, RTh 8 (1900/01) 678—690. *Id.*, L'induction scientifique des modernes dans Aristote, RTh 9 (1901/02) 569—583. *D. Mercier*, Observations et discussion, induction complète et induction scientifique, RNSPh 7 (1900) 204—228. *Id.*, L'induction scientifique, l. c. 422—434. *T. Richard*, De la nature et du rôle de l'induction d'après les anciens, RTh 16 (1908) 301—310 ; 411—421. *M. D. Roland-Gosselin*, De l'induction chez Aristote, RSPhTh 4 (1910) 39—48. *P. Siwek*, La structure logique de l'induction, Gr 17 (1936) 224—253. *S. Vanni-Rovighi*, Concezione aristotelico-tomistica e concezione moderna dell'induzione, RFNS 26 (1934) 578—593.

Ad 75 sqq. *Aristoteles* in c. 23 II Anal. pr. disserte de inductione agit. Inductionem syllogismum dicit, in quo alterum, i. e. maius extremum de medio probatur per alterum seu minus extremum, i. e. per singularia et inferiora sub

medio contenta. Inductio enim fit ex omnibus singularibus ideoque praecipue servit ad propositiones primas et immediatas seu carentes medio probandas. Inde inductio deductioni opponitur ; haec enim maius extremum de minori extremo per medium probat, illa vero maius extremum de medio per minus extremum. Quare deductio secundum se seu natura prior est, inductio autem notior est quoad nos, quia scil. nostra cognitio per sensus incipit. Ἐπαγωγὴ μὲν οὖν ἐστὶ καὶ ὁ ἐξ ἐπαγωγῆς συλλογισμὸς τὸ διὰ τοῦ ἑτέρου θάτερον ἄκρον τῷ μέσῳ συλλογίσασθαι, . . . ἡ γὰρ ἐπαγωγὴ διὰ πάντων. ἔστι δ' ὁ τοιοῦτος συλλογισμὸς τῆς πρώτης καὶ ἀμέσου προτάσεως. . . φύσει μὲν οὖν πρότερος καὶ γνωριμώτερος ὁ διὰ τοῦ μέσου συλλογισμός, ἡμῖν δ' ἐναργέστερος ὁ διὰ τῆς ἐπαγωγῆς: 68 b 15. Ἐπαγωγὴ δὲ ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστον ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος (Top. I 12, 105 a 13; cf. Anal. post. I 18, 81 a 40 ; *S. Thom.* lect. 30 n. 4 sqq.). *Aristoteles* experientiae esse dicit scientiarum principia tradere per sufficientem singularium observationem (Anal. pr. I 30, 46 a 18). *S. Thomas :* « Et est attendendum, quod satis convenienter comparavit [Philosophus] divisionem inductioni. Utrobique enim oportet supponere, quod accepta sint omnia, quae continentur sub aliquo communi : alioquin nec inducens poterit ex singularibus acceptis concludere universale nec dividens ex remotione quarundam partium poterit concludere aliam. Patet igitur quod inducens facta inductione, quod Socrates currat et Plato et Cicero, non potest ex necessitate concludere, quod omnis homo currat, nisi detur sibi a respondente, quod nihil aliud contineatur sub homine quam ista quae inducta sunt » (In Anal. post. II lect. 4 n. 4). Si Aristoteles et S. Thomas illum secutus dicunt requiri integram singularium enumerationem, intelligunt integram virtute, non integram actu (uti Averrhoës iam explicavit Aristotelis sententiam). Quod apparet et ex usu inductionis incompletae apud utrumque et ex verbis utriusque.

§ 8. De sophismatis

80. Sophismatis notio. Sophisma secundum Aristotelem definitur : oratio, quae propter similitudinem, quam habet cum syllogismo, syllogismus videtur, cum tamen non sit. Haec similitudo cum syllogismo oritur aut ex eo, quod voces, quae diversa significant, videntur significare idem — fallaciae in dictione —, aut ex eo, quod res significatae per voces propter similitudinem, quam habent cum aliis rebus, videntur esse id quod non sunt — fallaciae in rebus et extra dictionem.

81. Fallaciae in dictione — numerantur sex : aequivocatio, amphibolia, fallacia compositionis, divisionis, accentus, figurae dictionis.

Aequivocatio est sophisma, quod oritur ex voce aequivoca aequivoce sumpta : Quidquid ridet, est homo ; pratum ridet ; ergo pratum est homo[1].

Amphibolia oritur ex oratione aequivoca : Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

Fallacia compositionis et divisionis habetur, cum fit transitus a sensu diviso ad compositum, et viceversa : Possum

[1] Exempla haec ponuntur mere formaliter, cum sophismata, quae serias difficultates constituunt, suis locis solvantur.

ambulare et non ambulare ; sed ambulare et non ambulare est impossibile ; ergo possum impossibile. Distinguenda est maior : Possum ambulare et non ambulare, in sensu diviso, hoc est : habeo potentiam ambulandi vel non ambulandi, concedo ; in sensu composito, hoc est : habeo potentiam coniungendi ambulationem cum sua negatione, nego.

Fallacia accentus provenit ex accentus in eadem voce mutatione : Lepores sunt animalia silvestria ; sed in comoediis sunt lepores ; ergo in comoediis sunt animalia silvestria.

Fallacia figurae dictionis oritur ex similitudine dictionum : Omnis substantia affecta albedine est alba ; paries est substantia affecta albedine ; ergo paries est alba.

82. Fallaciae extra dictionem — numerantur septem : fallacia accidentis, dicti, consequentis, ignoratio elenchi, petitio principii, fallacia non causae ut causae, plurium interrogationum ut unius.

Fallacia accidentis committitur, cum id, quod convenit aut non convenit accidenti, dicitur convenire aut non convenire subiecto, et viceversa. Accidens hic late sumitur pro omni eo praedicato, quod aliqua ratione diversum est vel realiter vel ratione tantum a subiecto. Exemplum : Risibile est proprietas ; homo est risibilis ; ergo est proprietas. Sophisma hac distinctione solvitur : Dist. mai. : Accidens risibilitatis est proprietas, conc. ; subiectum habens risibilitatem est proprietas, nego. Contradist. min. : Homo est subiectum habens risibilitatem, conc. ; est accidens risibilitatis, nego.

Fallacia dicti est, cum proceditur a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, et viceversa. Exemplum : Aethiops est albus dente ; ergo est albus.

Fallacia consequentis est sophisma proveniens ex eo, quod ex posito consequente (falso) infertur antecedens esse positum, sicut ex posito antecedente (recte) infertur consequens esse positum, et viceversa, ex sublato antecedente (falso) infertur consequens esse tollendum, sicut ex sublato consequente (recte) infertur antecedens esse tollendum : Si Petrus currit, Petrus movetur ; atqui Petrus movetur ; ergo currit ; atqui non currit ; ergo non movetur.

Ignoratio elenchi, i. e. redargutionis seu status quaestionis committitur, cum non probatur id quod est probandum, ut cum quis catholicos aggressus propter idololatriae crimen probat catholicos venerari sanctos.

Petitio principii est, cum idem per idem probatur, ut cum probas Icarum esse filium Daedali, quia Daedalus est pater Icari. Circulus vitiosus in demonstrando est petitio principii mediata; cf. n. 221,3.

Fallacia non causae ut causae contingit, cum assignatur aliquid pro causa alicuius rei, quod revera eius causa non est. Exemplum : Quod inebriat, non est bibendum ; vinum inebriat ; ergo vinum non est bibendum.

Fallacia plurium interrogationum ut unius, ad quas petitur una responsio. Exemplum : Homo et lapis suntne animal?

Bibliographia ad 80—82 : *M. Grabmann*, Die Sophismataliteratur des 12. und 13. Jahrhunderts mit Textausgabe eines Sophisma des Boetius von Dacien. Beiträge zur Geschichte der Phil. u. Theol. des Mittelalters XXXVI, 1, Aschendorff, Münster i. W. 1940.

A d 80. *Aristoteles* librum De sophisticis elenchis composuit. Illis temporibus sophistae, inter quos Protagoras Abderites (c. 481 — 411), Hippias Elius (c. 400 a. Chr.), Gorgias Leontinus (483 — 375), excogitandis versutiis ad alios decipiendos atque implicandos delectabantur. Elenchus videtur esse syllogismus, cum non sit. Syllogismus enim ex praemissis positis necessario diversam ab eis conclusionem infert, elenchus autem est syllogismus « cum contradictione conclusionis ». Οἱ μὲν εἰσὶ συλλογισμοί, οἱ δ' οὐκ ὄντες δοκοῦσι. . . ὁ μὲν γὰρ συλλογισμὸς ἐκ τινῶν ἐστὶ τεθέντων ὥστε λέγειν ἕτερόν τι ἐξ ἀνάγκης τῶν κειμένων διὰ τῶν κειμένων, ἔλεγχος δὲ συλλογισμὸς μετ' ἀντιφάσεως τοῦ συμπεράσματος (De soph. el. 1, 164 a 23). *S. Thomas* in opusc. [39] « De fallaciis ad quosdam nobiles artistas » sophismata exponit.

A d 81 sq. Τρόποι δ' εἰσὶ τοῦ μὲν ἐλέγχειν δύο· οἱ μὲν γάρ εἰσι παρὰ τὴν λέξιν, οἱ δ' ἔξω τῆς λέξεως. ἔστι δὲ τὰ μὲν παρὰ τὴν λέξιν ἐμποιοῦντα τὴν φαντασίαν ἓξ τὸν ἀριθμόν· ταῦτα δ' ἐστὶν ὁμωνυμία, ἀμφιβολία, σύνθεσις, διαίρεσις, προσῳδία, σχῆμα λέξεως (De soph. el. 4, 165 b 23). Τῶν δ' ἔξω τῆς λέξεως παραλογισμῶν εἴδη ἐστὶν ἑπτά, ἓν μὲν παρὰ τὸ συμβεβηκός, δεύτερον δὲ τὸ ἁπλῶς ἢ μὴ ἁπλῶς ἀλλὰ πῇ ἢ ποῦ ἢ ποτὲ ἢ πρός τι λέγεσθαι, τρίτον δὲ τὸ παρὰ τὴν τοῦ ἐλέγχου ἄγνοιαν, τέταρτον δὲ τὸ παρὰ τὸ ἑπόμενον, πέμπτον δὲ τὸ παρὰ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, ἕκτον δὲ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον τιθέναι, ἕβδομον δὲ τὸ τὰ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν (l. c., 166 b 21).

§ 9. De disputatione scholastica

83. Quid sit. Disputatio scholastica est disputatio in forma, i. e. in qua rigorose observatur forma syllogistica. Distinguitur a disputatione vulgari extra formam et a disputatione socratica, quae in interrogationibus consistit, quibus adversarius ad veritatem admittendam paulatim deducitur.

84. Munus defendentis. In disputatione scholastica defendentis est argumenta in forma syllogistica contra thesin allata ad verbum repetere, de singulis propositionibus iudicium ferendo, concedendo veras, negando falsas, distinguendo ambiguas, transmittendo eas quae ad rem non pertinet. Si syllogismus est vitiosus, negatur consequentia. Si distinctio adhibetur, haec cadit aut in M aut in S aut in P syllogismi. Si primum, distinguenda erit maior, contradistinguenda minor et neganda consequens et consequentia ; si secundum aut tertium, distincta sola maiore aut sola minore, distinguitur consequens. Interdum distinctio aliqua ulterius subdistinguitur. Quandoque defendens, antequam directe, modo exposito, argumenta solvat, poterit indirectam praemittere solutionem, negando suppositum (i. e. id quod adversarius tamquam fundamentum argumentationis suae supponit) aut retorquendo argumentum.

85. Munus arguentis. Arguentis est probare propositiones a defendente negatas. Si distinctio adhibita fuit, arguens instaurat argumentum, probando partem negatam aut ex parte concessa ulterius arguendo. Si defendens negavit propositionem disiunctivam, arguens potest postulare, ut assignetur membrum in disiunctione omissum, quo assignato ad illud repellendum argumentatur. Si negata est propositio universalis, potest petere instantiam, i. e. petere ut indicetur exceptio. Negata consequentia arguens a defendente quaerat, ut ostendat formam syllogismi non esse rectam ; quodsi revera forma vitiosa fuit, emendetur, sin aliter, arguens formae rectitudinem ostendat.

SCHEMA DISPUTATIONIS SCHOLASTICAE

Defendens : Thesis defendenda haec est : « Veritas principalius et per prius est in intellectu » ; eamque explico et probo. . .

Et sic satis videtur probata thesis.

Arguens : Contra thesim, quae sic effertur : « Veritas principalius . . . », sic instituo argumentum : Veritas principalius et per prius non est in intellectu ; ergo falsa thesis.

Defendens : Veritas principalius et per prius non est in intellectu ; ergo falsa thesis.

Nego antecedens ; faveas probare.

Arguens : Probo antecedens : Quod est per prius in intellectu, est aliquid subiectivi. Atqui veritas non est aliquid subiectivi. Ergo veritas non est per prius in intellectu.

Defendens : Quod est per prius in . . . (integrum arguentis argumentum repetit). Quod est per prius in intellectu, est aliquid subiectivi. Concedo maiorem. Atqui veritas non est aliquid subiectivi. Distinguo minorem : Veritas ontologica non est . . ., concedo minorem ; veritas logica non est . . ., nego minorem. Ergo veritas per prius non est in intellectu. Distinguo consequens : Veritas ontologica non est. . ., concedo consequens ; veritas logica non est . . ., nego consequens. Et explico distinctionem : Veritas logica est adaequatio intellectus cum re, ergo aliquid subiectivi ; veritas ontologica est adaequatio rei cum intellectu, ergo aliquid obiectivi seu extra intellectum.

Arguens : Atqui veritas logica non est aliquid subiectivi. Ergo veritas per prius non est in intellectu et falsa thesis.

Defendens: Atqui veritas logica . . ., nego minorem subsumptam ; faveas probare.

Arguens : Probo minorem subsumptam : Id quod est in obiecto, non est aliquid subiectivi. Atqui veritas logica est in obiecto. Ergo veritas logica non est aliquid subiectivi.

Defendens : Id quod est in obiecto . . . (integrum repetit argumentum). Id quod est in obiecto, non est aliquid subiectivi. Distinguo maiorem : Id quod est in obiecto formaliter, non est . . ., con-

cedo maiorem ; id quod est in obiecto fundamentaliter tantum, non est . . ., nego maiorem. Atqui veritas logica est in obiecto. Contradistinguo minorem : Veritas logica est in obiecto formaliter, nego minorem ; . . . est in obiecto fundamentaliter, concedo minorem. Ergo veritas logica non est aliquid subiectivi. Data distinctione nego consequens et consequentiam. Et explico distinctionem . . .

A r g u e n s : Atqui veritas logica est in obiecto formaliter. Ergo veritas per prius non est in intellectu et falsa thesis.

D e f e n d e n s : Atqui veritas . . ., nego minorem subsumptam ; faveas probare.

A r g u e n s : Probo minorem subsumptam : Veritas logica est in obiecto ut effectus in causa efficiente. Atqui effectus est in causa efficiente formaliter. Ergo veritas logica est in obiecto formaliter.

D e f e n d e n s : Veritas logica est . . . (integrum repetit argumentum). Veritas logica est in obiecto ut effectus in causa efficiente. Distinguo maiorem : ut in causa efficiente totali et univoca, nego maiorem ; ut in causa efficiente partiali et analoga, concedo maiorem. Atqui effectus est in causa efficiente formaliter. Contradistinguo minorem : in causa efficiente totali et univoca, concedo minorem ; in causa efficiente partiali et analoga, nego minorem. Ergo veritas logica est in obiecto formaliter. Data distinctione nego consequens et consequentiam. Et explico distinctionem . . .

A r g u e n s : (Hoc modo arguens subsumendo minorem instat, donec distinctionibus defendentis victus vel ex alia parte aggrediatur thesin vel eam concedat).

Pars II

LOGICA MATERIALIS

Caput I

LOGICA PROOEMIALIS

Quaestio I : *An sit Logica.*

Thesis 1 : *Logica simpliciter est necessaria ad quamcumque scientiam in statu perfecto, non vero ad scientiam in statu imperfecto.*

86. Status quaestionis. 1. Logicae nomine intelligitur « ars directiva ipsius actus rationis, per quam scil. homo in ipso actu rationis ordinate et faciliter et sine errore procedat » (S. *Thom.*, In Anal. post. I lect. 1). Logica potest distingui naturalis et artificiosa : naturalis est ipsa vis naturalis intellectus humani, praesertim inquantum rationalis est seu naturali vi pollet ratiocinandi ; artificiosa est ars seu habitus superadditus intellectui, vi cuius artificiose definit et dividit et argumentatur. Logica artificiosa est habitus distinctus ab habitibus ceterarum scientiarum propter distinctum obiectum formale ; obiectum enim formale Logicae est ens rationis (cf. th. III), obiectum formale ceterarum scientiarum est ens reale.

Thesis intelligatur de Logica artificiosa. Cum enim per se pateat nullam scientiam acquiri ab homine posse sine naturali virtute ratiocinandi, quaeritur tantum, sitne necessaria ars seu habitus superadditus specialis, quo disponatur et adiuvetur ratio ad scientias acquirendas et exercendas.

2. Scientia, utpote cognitio per causas certa et evidens, est habitus discurrendi seu conclusiones deducendi in aliqua materia scientifica. Habitus scientiae prima demonstratione iam generatur, sed imperfecte tantum per modum dispositionis facile mobilis seu defectibilis, quamquam per se ex natura sua est habitus difficulter mobilis seu difficulter defectibilis. Ideo distinguimus scientiam in statu perfecto, quae perfecte actuat intellectum, ita ut possit facile circa ea quae ad plenam notitiam obiecti talis scientiae pertinent per se discurrere et ab oppositis erroribus seu impugnationibus se

defendere, et scientiam in statu imperfecto (seu scientiam quoad substantiam), quae est dispositio facile mobilis. Qui scientia pollet in statu imperfecto tantum, potest quidem unam alteramve conclusionem deducere ex principiis per se notis, at in longiore processu tanta cum difficultate procedit, ut certum sit fore, ut deficiat. Qui vero scientia pollet in statu perfecto, quasi sui iuris exsistens, per se solum procedit etiam in longiore processu scientifico, demonstrando et refutando adversarios et solvendo difficultates, neque indiget adiumento magistri neque libri alicuius.

3. Necessarium in thesi sumitur pro necessario ad finem aliquem attingendum. Potest autem aliquid esse necessarium ad finem aut simpliciter seu ad esse finis, sine quo finis omnino haberi nequit, aut secundum quid seu ad bene esse finis, quod idem est atque utile.

4. Epicurus (341—270) et Petrus Gassendi (1592-1655) ne utilem quidem Logicam habebant, Donatistae (saec. V) et Lutherus (1483—1546) ut nocivam eam respuebant.

Inter scholasticos triplex est sententia circa quaestionem nostram. Prima sententia docet Logicam simpliciter necessariam esse ad acquirendas alias scientias sive in statu perfecto sive etiam imperfecto, ita de Aguirre (1630—1699) ; secunda sententia tenet sine Logica scientiam haberi posse in statu imperfecto et etiam perfecto, ita Conimbricenses (ed. 1592—1606) ; tertia sententia, valde communis, asserit sine Logica scientiam haberi posse in statu imperfecto, non vero in statu perfecto.

5. Ex dictis patet quaestionem de necessitate Logicae esse quaestionem, « an sit Logica ». Cum enim sit organum seu instrumentum sciendi, si non est necessaria neque utilis ad scientias acquirendas et exercendas, omnino nihil est seu non est.

87. Probatur thesis utraque pars. Ex experientia : Videmus eos, qui Logicam non callent, recte quidem ratiocinari in aliqua materia scientifica, difficulter tamen et cum iugi periculo errandi.

Probatur I pars : Logica simpliciter est necessaria ad quamcumque scientiam in statu perfecto. Ex natura scientiae in statu perfecto : Scientia in statu perfecto est habitus, quo quis longiore processu scientifico sine errore discurrere potest in aliqua speciali materia. Atqui ad hunc habitum requiritur Logica seu habitus discurrendi in genere, quia habitus discurrendi in aliqua speciali materia supponit habitum discurrendi in genere. Ergo Logica est necessaria simpliciter ad quamcumque scientiam in statu perfecto.

Probatur II pars : Logica non est necessaria simpliciter ad scientiam in statu imperfecto. Ex eo, quod id quod procedit ex habitu

et arte, imperfecte et difficulter fit etiam sine habitu, sicut virtuose moraliter operatur etiam qui virtutes morales nondum acquisivit, secus impossibile esset eas acquirere.

88. Corollarium. Ergo sicut virtutes morales omnes conectuntur inter se et cum fine ultimo, ita virtutes speculativae seu scientiae omnes conectuntur cum Logica.

89. Scholia. 1. Moraliter impossibile est seu maxime difficile eum, qui caret Logica, in longiore processu scientifico, cum p e r s e procedit, non deficere seu non errare, i. e. morali necessitate requiritur habitus Logicae, ne deficiat de facto ; si vero de facto non deficit, tunc acquiret simul Logicam. Non enim potest evitare defectum, nisi attentissime procedendo, reflectendo ad ipsum processum scientificum ; quo ipso acquiret habitum Logicae. Quare non potest scientia aliqua in statu perfecto inesse in mente hominis sine Logica, quae non tantum morali, sed absoluta necessitate conectitur cum quacumque scientia perfecta tamquam dispositio praerequisita et intrinseca intellectus confortatio.

2. Initio mediante Logica naturali acquiritur Logica artificiosa imperfecte primis demonstrationibus logicalibus, quae postea seipsam adiuvat ad pedetentim se perficiendam, sicut adiuvat alias scientias.

90. Obi. *Contra I p.* 1. Non est simpliciter necessarium, sed potius nocivum scientiae, quod docet sophismata. Atqui Logica docet sophismata. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Quod docet sophismata ad sophismata serio facienda, *conc. ;* ad sophismata vitanda, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui neque haec Logica non sophistica est simpliciter necessaria ad quamcumque scientiam in statu perfecto. *Probo.* Non est simpliciter necessarium ad scientiam in statu perfecto, sine quo potest acquiri scientia in statu perfecto. Atqui sine Logica potest acquiri scientia in statu perfecto. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Sine quo potest acquiri summa cum difficultate et ita ut simul hoc acquiratur, *nego ;* sine illa summa difficultate et ita ut simul hoc non acquiratur, *conc. Contradist. min. :* Summa cum difficultate et ita ut simul acquiratur Logica, *conc. ;* sine illa difficultate et ita ut simul non acquiratur Logica, *nego.*

3. Atqui sine Logica acquiritur scientia in statu perfecto, quin obtineat illa summa difficultas. *Probo.* Logica est scientia perfecta. Atqui sine Logica acquiritur ipsa Logica, quin obtineat illa summa difficultas. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Logica primitus acquisita mediante Logica naturali tantum, *nego ;* Logica postea acquisita mediante Logica artificiosa primitus acquisita, *conc. Contradist. min. :* Acquiritur ipsa Logica imperfecte, quae primitus acquiritur mediante Logica naturali, *conc. :* Logica perfecta, quae non acquiritur nisi mediante Logica imperfecta primitus acquisita, *nego.*

Contra II p. 1. Hoc est simpliciter necessarium ad scientiam quamcumque etiam imperfectam, sine quo scientia omnino haberi nequit. Atqui sine Logica scientia omnino haberi nequit. Ergo. *Resp. Conc. mai. ; dist. min. :* Sine Logica naturali, *conc. ;* sine Logica artificiosa, *nego. Dist. consq.*

2. Atqui Logica artificiosa est simpliciter necessaria ad scientiam quamcumque etiam imperfectam. *Probo.* Effectus haberi nequit sine causa. Atqui Logica

artificiosa est causa scientiae. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Sine causa principali, *conc.* ; sine causa instrumentali, *subdist.* : Sine causa instrumentali absolute necessaria, *conc.* ; non absolute necessaria, *nego. Contradist. min.* : Est causa principalis, *nego* ; instrumentalis, *subdist.* : Absolute necessaria ad quamcumque conclusionem deducendam, *nego* ; non absolute necessaria, *conc.*

3. Atqui Logica artificiosa est causa absolute necessaria ad quamcumque conclusionem deducendam. *Probo.* Ad quamcumque conclusionem deducendam cognoscenda est bonitas consequentiae. Atqui ad cognoscendam bonitatem consequentiae omnino necessaria est Logica artificiosa. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Cognoscenda est bonitas consequentiae explicite et formaliter, *nego* ; implicite et virtualiter (per Logicam naturalem), *conc. Contradist. min.*

A d 87. *Aristoteles* non solum primus Logicam excoluit, sed etiam eius necessitatem asseruit (cf. ad 4). *S. Thomas* : « Alia animalia quodam naturali instinctu ad suos actus aguntur, homo autem rationis iudicio in suis actionibus dirigitur. Et inde est quod ad actus humanos faciliter et ordinate perficiendos diversae artes deserviunt. Nihil enim aliud ars esse videtur quam certa ordinatio rationis, quomodo per determinata media ad debitum finem actus humani perveniant. Ratio autem non solum dirigere potest inferiorum partium actus, sed etiam actus sui directiva est. Hoc enim est proprium intellectivae partis, ut in seipsam reflectatur : nam intellectus intelligit seipsum et similiter ratio de suo actu ratiocinari potest. Si igitur ex hoc, quod ratio de actu manus ratiocinatur, adinventa est ars aedificatoria vel fabrilis, per quas homo faciliter et ordinate huiusmodi actus exercere potest ; eadem ratione a r s q u a e d a m n e c e s s a r i a est, quae sit d i r e c t i v a i p s i u s a c t u s r a t i o n i s, per quam scil. homo in ipso actu rationis ordinate, faciliter et sine errore procedat. Et haec ars est L o g i c a , id est rationalis scientia. Quae non solum rationalis est ex hoc quod est secundum rationem (quod est omnibus artibus commune), sed etiam ex hoc quod est circa ipsum actum rationis sicut circa propriam materiam. Et ideo videtur esse ars artium ; quia in actu rationis nos dirigit, a quo omnes artes procedunt » (In Anal. post. I lect. 1 n. 1 sqq.). *S. Augustinus* dicit de Logica : « Est ars artium, scientia scientiarum, disciplina disciplinarum. Haec docet docere, haec docet discere. In hac se ipsa ratio demonstrat atque aperit, quae sit, quae velit, quae valeat. Scit scire, sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest » (De ordine II, 13).

Quaestio II : *Quid sit Logica.*

§ 1. An Logica sit scientia

Thesis 2 : *Logica est scientia, quae simul est ars liberalis.*

91. St. qu. 1. Quid sit s c i e n t i a , cf. n. 86, 2.

2. A r s definitur : recta ratio factibilium, i. e. habitus intellectualis circa opera facienda ; dicitur recta ratio f a c t i b i l i u m , quo distinguitur ars a prudentia, quae est recta ratio a g i b i l i u m . Factibile potest sumi stricte pro opere externo, sed latius sumitur etiam pro opere interno, quatenus consideratur ipsum opus efficiendum, non bonus usus facultatis ; agibile autem opus internum seu actionem

immanentem significat sub respectu ipsius boni usus facultatis. Prudentia enim non tantum dat facultatem (habitum) ad opus bene et facile faciendum, sed inclinat etiam, ut semper, cum oportet, utamur hac facilitate.

Ad materiam artis seu ad opera arte regulanda requiritur : *a)* Ut non sint per se, ex natura sua iam omnino determinata, sicut sunt actus vegetativi, ut ciborum concoctio, sed habeant aliquam indifferentiam seu indeterminationem, artis habitu determinandam per modum inclinationis. Hoc convenit arti, prout est habitus operativus ; omnis enim habitus operativi stricte dicti est per modum inclinationis tollere indeterminationem potentiae. *b)* Ut sint opera regulanda per certa et determinata media ad finem (artefactum) attingendum. Hoc convenit arti, prout est talis habitus operativus, i. e. habitus distinctus a prudentia, quae dirigit ad finem (ultimum) secundum circumstantias contingentes per media contingentia, quae sunt regulae prudentiales. Ad agendum ad finem ultimum non possunt certae et determinatae regulae indicari, sed hoc dependet a circumstantiis contingentibus. Finis enim ultimus non est sicut artefactum, ad quod obtinendum modo aliquo determinato agendum est, sed diversis omnino agendi modis idem attingitur finis ultimus secundum diversas circumstantias et vitae status. Ita etsi omnino aliter vivit rex, aliter monachus, eundem tamen gradum beatitudinis uterque attingere potest.

Ars dividitur in mechanicam seu servilem et liberalem, quatenus opus, circa quod versatur, est externum aut internum. Ars liberalis subdividitur in pulchram et scientificam (speculativam). Ars liberalis speculativa est ars minus stricte, quia ars stricte dicta habitus practicus est (cf. n. 103).

92. Prob. th. I p. : Logica est scientia. Ex natura Logicae : Omnis cognitio certa et evidens per causas est scientia. Atqui Logica est cognitio certa et evidens per causas. Ergo Logica est scientia.

Prob. min. Logica ex essentia syllogismi deducit syllogismi regulas et ipsam essentiam syllogismi resolvit in principium convenientiae et « dictum de omni », quae sunt principia per se nota. Logica probat definitionem esse conficiendam ex genere et differentia specifica, i. e. rationem assignat, cur ita fieri debeat, etc.

Prob. II p. : Logica est ars liberalis. Ex natura Logicae : Omnis habitus ordinatus ad opera interna, ex natura sua non omnino determinata et certis regulis dirigibilia, est ars liberalis. Atqui Logica est habitus ordinatus ad opera interna, ex natura sua non omnino determinata et certis regulis dirigibilia, ut sunt definitiones, divisiones, argumentationes. Ergo Logica est ars liberalis.

93. Schol. Ad difficultatem solvendam nota : Ars dicitur esse de singularibus et contingentibus ex parte applicationis ad opus, non ex parte regularum, quae sunt certae et determinatae et in universali ; ideo ars etiam scientia esse potest seu cognitio certa et universalis per causas.

94. Obi. 1. Scientia et ars inter se opponuntur tamquam speculativum et practicum. Atqui Logica non potest esse simul ea quae inter se opponuntur. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Scientia et ars speculativa, *nego ;* scientia et ars non speculativa (ars mechanica et ars liberalis pulchra), *conc. Conc. min. ; dist. consq.*

2. Atqui omnis ars opponitur scientiae. *Probo.* Quod est de singularibus et contingentibus, opponitur scientiae. Atqui omnis ars est de singularibus et contingentibus. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod omni ex parte est de singularibus et contingentibus, *conc. ;* quod non omni ex parte est de singularibus et contingentibus, *nego. Contradist. min.:* Ex parte applicationis ad opus, *conc. ;* ex parte regularum, *nego.*

A d 91. «Differt autem *facere* et *agere:* quia, ut dicitur, "factio est actus transiens in exteriorem materiam", sicut aedificare, secare et huiusmodi ; "agere autem est actus permanens in ipso agente", sicut videre, velle et huiusmodi. Sic igitur se habet prudentia ad huiusmodi actus humanos, qui sunt usus potentiarum et habituum, sicut se habet ars ad exteriores factiones ; quia utraque est perfecta ratio respectu illorum ad quae comparatur. Perfectio autem et rectitudo rationis in speculativis dependet a principiis, ex quibus ratio syllogizat » (S. th. I-II 57, 4).

A d 92. *Aristoteles* Logicam instrumentum sciendi ideoque et scientiam habet (cf. ad 4). *S. Thomas* Logicam et scientiam et artem dicit (cf. ad 87 ; In Met. IV lect. 4 n. 573 ; S. th. II-II 51, 2 ad 3 ; In Boëth. de Trin. q. 5 a. 1 ad 2 [cit. ad 105]). « Homo rationis iudicio in suis actionibus dirigitur. Et inde est quod ad actus humanos faciliter et ordinate perficiendos diversae artes deserviunt. Nihil enim aliud ars esse videtur, quam certa ordinatio rationis, quomodo per determinata media ad debitum finem actus humani perveniant. Ratio autem non solum dirigere potest inferiorum partium actus, sed etiam actus sui directiva est. Hoc enim est proprium intellectivae partis, ut in seipsam reflectatur. Nam intellectus intelligit seipsum, et similiter ratio de suo actu ratiocinari potest. Si igitur, ex hoc quod ratio de actu manus ratiocinatur, adinventa est ars aedificatoria vel fabrilis, per quas homo faciliter et ordinate huiusmodi actus exercere potest eadem ratione ars quaedam necessaria est, quae sit directiva ipsius actus rationis per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate, faciliter et sine errore procedat. Et haec ars est logica » (In Anal. post. I lect. 1 n. 1). « Etiam in ipsis speculabilibus est aliquid per modum cuiusdam operis : puta constructio syllogismi aut orationis congruae aut opus numerandi vel mensurandi. Et ideo quicumque ad huiusmodi opera rationis habitus speculativi ordinantur, dicuntur per quandam similitudinem artes, scil. liberales ; ad differentiam illarum artium quae ordinantur ad opera per corpus exercita, quae sunt quodammodo serviles, in quantum corpus serviliter subditur animae et homo secundum animam est liber. Illae vero scientiae, quae ad nullum huiusmodi opus ordinantur, simpliciter scientiae dicuntur, non autem artes » (S. th. I-II 57, 3 ad 3).

§ 2. Quodnam sit obiectum formale Logicae

Thesis 3 : *Obiectum formale Logicae est ens rationis, quod est relatio rationis, quae in ordinatione conceptuum obiectivorum consistit.*

95. St. qu. 1. Quid sit obiectum formale, cf. n. 7.

2. Ens rationis est ens quod habet esse obiective in intellectu tantum. Ens rationis est aut sine fundamento in re, ut centaurus, chimaera, aut cum fundamento in re, ut conceptus speciei et generis. Ens rationis cum fundamento in re est duplex : *a)* carentia entitatis quae concipitur ut ens (negatio, privatio), sicut tenebrae, nihilum ; *b)* relatio rationis, ut species, genus.

3. Certum est et ab omnibus admittitur Logicam agere de relationibus rationis, ut sunt relatio generis, speciei, subiecti, praedicati, termini medii. Sed quaestio est, sintne hae relationes id quod per se primo respiciat Logica. Ita docent Thomistae ; Suárez (1548—1617) vero et Conimbricenses et alii asserunt, hoc esse aliquid reale, i. e. actus intellectus artificiosos seu artificium et rectitudinem actus, quae non sit ens rationis, sed reale, realiter indistinctum ab ipsis actibus intellectus. Cum enim Logica sit ars directiva actus rationis ad verum attingendum seu artificiosa directio actus rationis ad verum attingendum, omnes in eo conveniunt Logicam formaliter agere de eo, quo formaliter habetur artificiosa haec directio, seu de artificioso aliquo ordine mentali ad verum assequendum. Attamen hic ordo dupliciter sumi potest : 1. pro tendentia actuum et conceptuum formalium ad obiecta (pro repraesentatione), quae est aliquid reale seu relatio transcendentalis imbibita in ipsis actibus et conceptibus ad obiecta, in qua consistit veritas logica ; 2. pro ordinatione, quae est relatio rationis, inquantum conceptus obiectivi seu res intellectae ordinantur secundum genera et species, per modum subiecti et praedicati et termini medii. Secundum Suárez primus, secundum Thomistas secundus ordo est obiectum formale Logicae.

96. Prob. th. Ex indole ordinationis conceptuum obiectivorum : In eo consistit obiectum formale Logicae, quo dato naturaliter habetur artificiosa directio actus rationis ad verum attingendum. Atqui, data ordinatione conceptuum obiectivorum, naturaliter sine alio superaddito habetur artificiosa tendentia actuum et conceptuum formalium ad obiecta seu artificiosa directio actus rationis ad verum. Actus enim et conceptus formales sunt ordinati artificiose ad verum attingendum, inquantum res intellectae seu conceptus obiectivi ordinati sunt (cf. n. 56 ea quae dicta sunt de ratiocinio physice considerato). Ergo obiectum formale Logicae est ens rationis, quod est relatio rationis, quae in ordinatione conceptuum obiectivorum consistit.

97. Coroll. 1. Ergo actus rationis et conceptus sive formales sive obiectivi sunt obiectum Logicae materiale. Haec enim omnia a Logica attinguntur, sed id quod per se primo attingitur et mediante quo cetera attinguntur, sunt relationes rationis seu ordinatio conceptuum obiectivorum inter se. Logica formalis ordinat conceptus mere formaliter abstrahendo a conceptuum materia, Logica materialis vero ordinat eos materiam ipsorum respiciendo.

2. Ergo Logica formaliter de tribus mentis operationibus non agit physice, prout sunt entia realia, id quod ad Philosophiam naturalem (de anima) pertinet, sed logice, i. e. agit de ente rationis logico ad quamcumque operationem spectante. Cum Logica versetur circa tres mentis operationes ad verum attingendum, et cum ab intellectu humano verum principaliter attingatur ratiocinio, simplex apprehensio autem et iudicium ad ratiocinium ordinentur tamquam imperfectum ad perfectum, obiectum principale seu obiectum principalitatis Logicae est ratiocinium quatenus consideratur non tantum ratione formae, sed etiam ratione materiae, seu ratiocinium quo habetur conclusio vera et certa. Hoc ratiocinium est demonstratio seu syllogismus efficiens scientiam, de quo agitur in Logica demonstrativa (in Analyticis posterioribus).

3. Ergo Logica non pertinet ad Psychologiam neque ad Metaphysicam, sed est scientia specifice distincta ab omnibus aliis scientiis propter obiectum formale speciale. Plures recentes, ignorantes doctrinam thomisticam, Logicam sive ad Metaphysicam sive ad Psychologiam reducunt vel in duas partes Logicam scindunt, quarum altera est metaphysica, altera psychologica [1].

4. Ergo Criteriologia non pertinet ad Logicam. Criteriologia enim versatur formaliter circa actuum mentalium et conceptuum formalium ordinationem realem ad obiecta, i. e. circa veritatem cognitionis, quae est relatio realis transcendentalis.

98. Schol. Ens rationis habet veritatem et cognoscibilitatem, sicut habet entitatem: obiective; et ens rationis cum fundamento in re est etiam scibile, i. e. cognoscibile per causas (de eo datur scientia), quia habet causas, non reales et efficientes, sed fundamentales et formales, ex quibus cognoscibile (cf. n. 110).

99. Obi. 1. Quod non habet entitatem et veritatem, non est obiectum formale Logicae. Atqui ens rationis non habet entitatem et veritatem. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod nullo modo habet entitatem et veritatem, *conc.;* quod non habet veritatem et entitatem in rerum natura, habet tamen obiective in intellectu, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui quod habet entitatem et veritatem obiective tantum in intellectu, i. e. ens rationis, non est obiectum formale Logicae. *Probo.* Quod non est sci-

[1] Cf. *M. Honecker*, Gegenstandslogik und Denklogik, Berlin 1921.

bile seu cognoscibile per causas, non est obiectum formale Logicae. Atqui ens rationis non est scibile. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod nullo modo est scibile, *conc.;* quod non est scibile per causas reales et efficientes, est tamen per causas formales et fundamentales, *nego. Contradist. min.:* Ens rationis sine fundamento in re, *conc.;* ens rationis cum fundamento in re, *subdist.:* Non est scibile per causas reales et efficientes, *conc.;* per causas fundamentales et formales, *nego.*

3. Atqui neque ens rationis cum fundamento in re est obiectum formale Logicae. *Probo.* Obiectum formale Logicae est id circa quod versatur Logica. Atqui id circa quod versatur Logica, sunt actus rationis, qui non sunt ens rationis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Circa quod versatur formaliter, *conc.;* materialiter, *nego. Contradist. min.*

4. Atqui id circa quod versatur Logica formaliter, sunt actus rationis. *Probo.* Logica versatur formaliter circa id quod dirigit ad veritatem. Atqui id quod Logica dirigit ad veritatem, sunt actus rationis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod dirigit immediate, *conc.;* mediate, *nego. Contradist. min.*

Bibliographia ad 95—96 : *V. Remer*, Logica minor, Introductio, 6, I.

A d 96. *S. Thomas* : « Ens est duplex : ens scil. rationis et ens naturae. Ens autem rationis dicitur proprie de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, speciei et similium, quae quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur. Et huiusmodi, scil. ens rationis, est proprie subiectum Logicae. Huiusmodi autem intentiones intelligibiles entibus naturae aequiparantur, eo quod omnia entia naturae sub consideratione rationis cadunt. Et ideo subiectum Logicae ad omnia se extendit, de quibus ens naturae praedicatur. Unde concludit [Aristoteles], quod subiectum Logicae aequiparatur subiecto Philosophiae, quod est ens naturae. Philosophus igitur ex principiis ipsius procedit ad probandum ea quae sunt consideranda circa huiusmodi communia accidentia entis. Dialecticus autem procedit ad ea consideranda ex intentionibus rationis, quae sunt extranea a natura rerum » (In Met. IV lect. 4 n. 574 ; cf. In Anal. post. I lect. 20 n. 5 ; lect. 1 n. 6 ; In Eth. I lect. 1 n. 1 sq.).

§ 3. Utrum Logica sit scientia speculativa an practica

Thesis 4 : *Logica non est scientia simul speculativa et practica, sed speculativa tantum.*

100. St. qu. 1. Practicum dicitur id, cuius finis est opus regulis quibusdam efficiendum ; speculativum est, quod habet pro fine cognitionem tantum. Practicum dirigit, ut fiat ; speculativum, ut sciatur. Principia igitur, quae solummodo tendunt ad veritatem manifestandam, speculativa sunt ; si autem non tantum manifestant veritatem, sed dirigunt, ut id quod cognoscitur, fiat et efficiatur in rerum natura, practica sunt. Quare principia speculativa resolutiva (analytica) sunt, quia in ipsa cognoscibiliter resolvitur veritas (conclusionis) ; practica autem compositiva (synthetica), quia respiciunt veritatem seu entitatem cognitam ut efficiendam in rerum natura — tendunt ad synthesin faciendam eius, quod cognoscitur, cum exsistentia.

Ex his deducitur practicum (principium practicum, habitum practicum, scientiam practicam) respicere rem sub ratione singularis existentiae contingentis et dirigere formaliter sub hoc respectu ; speculativum vero (principium speculativum, habitum speculativum) respicere universale et necessarium. Speculatio enim seu scientia non est nisi de universalibus et necessariis. Quare etsi ipsa speculatio opus est, nihilominus, quod tendit ad hoc opus tantum et sistit in eo, mere speculativum est, non practicum, propter peculiarem indolem huius operis, quod est veritatis universalis et necessariae contemplatio. Nam non attenditur sub ratione operis singularis contingentis, sed sub ratione veritatis universalis necessariae.

2. Thomistae et Scotistae docent Logicam esse habitum speculativum tantum ; Albertus M. (1193—1280) et Conimbricenses et alii esse practicum ; tertia sententia est eorum, qui putant Logicam simul speculativam esse et practicam ; ita Suárez et Vázquez (1551—1604).

101. Prob. th. I p. : Logica non est scientia simul speculativa et practica. Ex oppositione inter speculativum et practicum : Nulla scientia ordinis naturalis est simul speculativa et practica. Atqui Logica est scientia ordinis naturalis. Ergo Logica non est simul speculativa et practica.

Min. patet ex obiecto formali Logicae, quod omnino pertinet ad ordinem naturalem.

Prob. mai. Quae opponuntur inter se, distinguuntur nec possunt coniungi ad constituendam unam scientiam. Atqui speculativum et practicum opponuntur inter se in ordine naturali : Practicum respicit esse, singulare, contingens ; speculativum essentiam, universale, necessarium.

In ordine autem divino haec inter se coniunguntur, cum scientia divina sit simul speculativa et practica (cf. n. 226 ; 872, 1) ; quare etiam Theologia fidei, quae est quaedam participatio scientiae divinae, est simul speculativa et practica [1].

Prob. II p. : Logica est scientia speculativa tantum. Ex obiecto formali Logicae : Quod est totum circa speculationem et sistit in ea, speculativum est tantum. Atqui Logica tota est circa speculationem et sistit in ea. Ergo Logica est speculativa tantum.

Prob. min. Quod est totum circa ordinationem conceptuum et sistit in ea, totum est circa speculationem tantum, nam ordinatio conceptuum est ipsa speculatio. Atqui Logica tota est circa ordinationem conceptuum, ut patet ex th. praec.

---

[1] Ad hoc intelligendum nota fidem supernaturalem non tantum esse speculativam, sed etiam practicam. Quodsi fides est simul speculativa et practica, id etiam Theologiae, quae ex fide derivatur, convenit.

102. Coroll. Ergo Logica est ars minus stricte seu ars speculativa, cuius artefactum speculatio est. Ars enim stricte sumpta semper est habitus practicus.

103. Schol. Intellectus secundum se semper est speculativus tantum, quia secundum se semper sistit in pura contemplatione ; sed extensione fit practicus, quatenus ad opus extenditur alterius facultatis distinctae ab ipso. Ita cum intellectus extenditur ad opus voluntatis, ut sciat secundum regulam morum recte iudicare ultimo iudicio practico circa particulares actus voluntatis, constituitur habitus practicus prudentiae ; cum extenditur ad opus phantasiae, ut sciat dirigere phantasiam ad opera artis pulchrae concipienda, constituuntur habitus practici artium liberalium pulchrarum[1]; cum extenditur ad opera potentiarum ad extra operantium, constituuntur artes mechanicae. Scientia igitur practica est aut ars, sive mechanica sive pulchra, aut prudentia. Notetur scientiam non esse practicam simpliciter, nisi quatenus, applicata ad particulare operabile, exsecutionem ipsius dirigat. Hoc ex eo patet, quod operationes sunt circa singularia. Regula igitur universalis applicanda est ad casum particularem, ut fiat proxime practica ; simpliciter vero practica non est, nisi etiam hic et nunc operationem dirigat. Ipsa igitur scientia universalis practica non est nisi remote, idque eo magis, quo magis est universalis. Propterea eiusmodi scientia universalis, quamvis sit de operabili qua tali[2], speculativa dicitur cum ordine transcendentali ad opus. Quod etiam de Ethica verificatur ; exhibet enim regulas generales tantum, quae ope conscientiae ad casum particularem applicandae sunt ; attamen Ethica hoc speciale habet, quod etiam facta applicatione ad particulare operabile, alia et alia est exsecutio secundum circumstantias contingentes ; quare exsecutio ulterius determinanda est iudiciis prudentiae diversis secundum diversas circumstantias. Eiusmodi iudicium prudentiale demum est proxime practicum ; sed actus prudentiae simpliciter talis non habetur, nisi hic et nunc actionem dirigat. Logica est tantum speculativa, quia opus, circa quod versatur, non est operabile, sed specula-

---

[1] Artes liberales pulchrae duplicem includunt habitum practicum seu duplicem artem : alteram liberalem circa conceptionem (ut habitus concipiendi opera musicalia, poemata), alteram per se mechanicam, circa exsecutionem externam, sensilem (ut habitus pulsandi organum), quae tamen etiam ipsa participative et instrumentaliter liberalis esse potest, inquantum movetur a liberali. Uterque habitus iste in intellectu residet, sed primus circa phantasiam versatur, quam naturaliter bene dispositam supponit. Inde proverbium : Poeta nascitur. Speculatio vero, quae fit circa artem aliquam pulchram, ut musica theoretica, scientia speculativa est.

[2] Scientia, quae versatur circa obiectum operabile, sed non prout est operabile, obiectum formale habet non operabile, ac proinde nullo modo practica est, sed pure speculativa.

bile tantum, quia est ipsa speculatio. Habet tamen Logica, quatenus est ars liberalis speculativa (seu ars minus stricte), similitudinem quandam cum habitibus practicis, inquantum regulas tradit ad opera (interna, speculativa) dirigenda : est metaphorice practica. Id quod valet etiam de Arithmetica et Geometria. Opus ceterarum scientiarum speculativarum est speculatio tantum ; opus scientiarum speculativarum, quae simul sunt artes, non tantum est speculatio, sed etiam artefactum speculativum (cf. n. 91, 2).

104. Obi. 1. Ratio, cur Logica dicatur esse scientia speculativa tantum, est, quia nulla est scientia simul speculativa et practica. Atqui inveniuntur scientiae, quae simul sunt speculativae et practicae. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Scientia ordinis naturalis, *conc. ;* ordinis supernaturalis, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui sunt scientiae ordinis naturalis simul speculativae et practicae. *Probo.* Ethica est simul speculativa et practica. Atqui Ethica est scientia ordinis naturalis. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Ethica ut includit prudentiam, *conc. ;* ut non includit prudentiam, *nego. Contradist. min. :* Ethica, quae aliquando includit prudentiam, *conc. ;* quae numquam includit prudentiam, *nego.* Ethica includens prudentiam est duplex habitus : alter speculativus (Ethica), alter practicus (prudentia), et Ethica non dicitur practica ratione sui, sed ratione prudentiae ei adiunctae.

3. Atqui Ethica, etiam ut non includit prudentiam, est scientia simul speculativa et practica. *Probo.* Scientia speculativa, quae versatur circa opera, est simul speculativa et practica. Atqui Ethica est scientia speculativa, quae versatur circa opera. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Quae versatur circa opera operabiliter, *conc. ;* speculabiliter, *nego. Contradist. min.*

4. Atqui Logica versatur circa opus operabiliter. *Probo.* Confectio syllogismi est opus operabiliter consideratum. Atqui Logica versatur circa confectionem syllogismi. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Est opus, quod est ipsa speculatio, *conc. ;* quod non est ipsa speculatio, *nego. Conc. min. ; dist. consq.*

Bibliographia ad 100–103 : *G. Gundlach,* Klugheit als Prinzip des Handelns, Gr 23 (1942) 238–254. *G. v. Holtum,* De scientia speculativa et practica, JPhTh 15 (1901) 13–17. *M. Labourdette,* Note sur les diversifications du savoir. Connaissance spéculative et connaissance pratique, RTh 44 (1938) 564–568. *J. de Monléon,* Note sur la division de la connaissance pratique, RPh 39 (1939) 189–198. *L. Thiry,* Speculativum-practicum, Studia Anselmiana 9, Romae 1939.

Ad 101. *S. Thomas :* « Omnis applicatio rationis rectae ad aliquid factibile pertinet ad artem. Sed ad prudentiam non pertinet nisi applicatio rationis rectae ad ea, de quibus est consilium. Et huiusmodi sunt, in quibus non sunt viae determinatae perveniendi ad finem . . . Quia igitur ratio speculativa quaedam facit, puta syllogismum, propositionem et alia huiusmodi, in quibus proceditur secundum certas et determinatas vias ; inde est quod respectu horum potest salvari ratio artis, non autem ratio prudentiae. Et ideo invenitur aliqua ars speculativa, non autem aliqua prudentia » (S. th. II-II 47, 2 ad 3 ; cf. I-II 57, 3 ad 3 [cit. ad 92] ; In Boëth. de Trin. q. 5 a. 1 ad 3).

§ 4. Logica utens sitne habitus distinctus a Logica docente

Thesis 5 : *Logica utens non est habitus distinctus a Logica docente.*

105. St. qu. Logica dicitur docens, inquantum demonstrative proponit regulas directivas intellectus in ratiocinando. Logica enim probat, quomodo sciendum sit seu quomodo in scientiis procedendum sit tum quoad formam tum quoad materiam.

Logica utens est Logica, inquantum his regulis utitur in hac vel illa materia. Omnis enim scientia in virtute Logicae facit scientificam seu artificiosam suae materiae dispositionem, et ita Logica dirigendo scientias utitur praeceptis suis et principiis [1]. Ceterae igitur scientiae omnes aliquo modo subordinantur Logicae, inquantum in virtute eius scientifice (artificiose) discurrunt, cum in virtute propria respiciant obiectum proprium inveniendo terminum medium. Logica enim omnibus scientiis praebet modum sciendi seu organum sciendi.

106. Prob. th. *Arg. I.* Ex identitate obiecti formalis utriusque : Ea non differunt in genere habituum, quorum idem est obiectum formale. Atqui Logicae docentis et utentis idem est obiectum formale. Ergo Logica docens et utens non differunt in genere habituum.

Prob. min. ex eo, quod utriusque obiectum formale est ordinatio conceptuum. Nec potest dici Logicam docentem esse ordinationem conceptuum sub respectu speculativo resolutionis in prima principia, quatenus regulae ad conceptus ordinandos demonstrantur ex primis principiis, Logicam vero utentem sub respectu practico applicationis ad opus. Nam ordinatio conceptuum necessario speculatio est. Ipsa enim applicatio ad opus determinatum, ad determinatam aliquam materiam, speculative fit seu cognoscendo resolutionem in prima principia seu sub respectu cognoscitivo veritatis universalis et necessariae.

Arg. II. Ex defectu rationis, ob quam ponendi essent habitus distincti : Habitus distinctus non est ponendus nisi cum est nova difficultas specialis vincenda. Atqui ad applicandas regulas Logicae non est nova difficultas specialis vincenda. Nam etsi hae regulae sunt universales, tamen earum applicatio ad opus nullam specialem difficultatem prae se fert, propterea quod ipsa haec applicatio non practice seu synthetice sed speculative fit : Qui scit, quomodo artificiose, scientifice procedendum sit, hoc ipso potest scientifice procedere seu applicare regulas. Ergo idem est habitus Logicae docentis et utentis. Est quidem in singulis scientiis nova difficultas specialis vincenda, at haec non est difficultas ad conceptus in genere ordinandos et ad syllo-

---

[1] Etiam in sua materia, i. e. in conficiendis demonstrationibus logicalibus, Logica utitur suis regulis.

gismos in genere conficiendos, sed ad conceptus ordinandos pro aliqua determinata materia, ut conficiantur definitiones, divisiones, ratiocinia pro aliqua determinata materia. Definitionibus et divisionibus conceptus, quibus utitur scientia in ratiocinando, redduntur clari et distincti. In ratiociniis conficiendis difficultas specialis est, ut inveniatur terminus medius pro aliqua determinata materia. Ad has difficultates vincendas ponuntur habitus speciales diversarum scientiarum specialium.

107. Schol. Ad thesis declarationem iuvat considerare differentiam, quae intercedit inter applicationem regularum logicalium et moralium. Cognitis regulis moralibus in virtute scientiae moralis nova oritur difficultas specialis ad has regulas opere exsequendas propter circumstantias contingentes et voluntatis indifferentiam et indeterminationem. Et haec est ratio, cur novus requiratur habitus, i. e. habitus prudentiae, ad iudicia moralia singulis casibus practice applicanda.

108. Coroll. Tamquam conclusio finalis totius quaestionis II deducitur Logicae definitio: Logica est scientia speculativa et ars liberalis ordinativa conceptuum ad veritatem clare et distincte cognoscendam.

109. Obi. 1. Organum sciendi seu instrumentum speculandi est habitus distinctus ab ipsa speculatione, i. e. a Logica docente, sicut a quacumque alia scientia. Atqui Logica utens est instrumentum speculandi. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Instrumentum speculandi, quod ipsum est speculativum, *nego;* quod ipsum non est speculativum, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui Logica utens non est habitus speculativus. *Probo.* Non est speculativus habitus, qui respicit exsistentiam seu confectionem operis singularis concreti, ut est confectio syllogismi. Atqui Logica utens respicit confectionem operis singularis concreti: confectionem syllogismi. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Qui respicit sub ratione operis concreti singularis, *conc.;* sub ratione veritatis universalis, *nego. Contradist. min.*

Ad 105. *S. Thomas:* «Scientiae speculativae, ut patet in principio Metaph., sunt de illis quorum cognitio quaeritur propter seipsa. Res autem, de quibus est Logica, non quaeruntur ad cognoscendum propter seipsas, sed ut adminiculum quoddam ad alias scientias. Et ideo Logica non continetur sub Philosophia speculativa quasi principalis pars, sed quasi quoddam reductum ad eam, prout ministrat speculationi sua instrumenta, scil. syllogismos et definitiones et alia huiusmodi, quibus in speculativis scientiis indigemus. Unde et secundum Boëthium in Comment. super Porphyrium non tam est scientia quam scientiae instrumentum» (In Boëth. de Trin. q. 5 a. 1 ad 2; cf. In Met. IV lect. 4 n. 576 sq.; *Aristoteles,* Top. I 18 et VIII 14 [supra ad 4]).

Quaestio III: *De obiecto formali Logicae seu de ente rationis logico.*

110. Quid sit ens rationis et quotuplex sit. Ens rationis definitur: quod habet esse o b i e c t i v e in intellectu tantum. Explicatur definitio: Aliquid potest esse in intellectu s u b i e c t i v e, sicut in

subiecto, et effective, tamquam effectus immanens intellectui, et obiective, per modum obiecti apprehensi. Intellectio et conceptus intellectione productus (conceptus formalis) sunt in intellectu subiective et effective ; ens rationis habet esse obiective in intellectu tantum, i. e. totum esse entis rationis in eo consistit, ut apprehendatur, seu ut sit intellectus obiectum. Est igitur ratio obiectiva (conceptus obiectivus, non formalis), quae obversatur menti, quae tamen extra mentem exsistere non potest : Id quod simpliciter non est ens, cum non exsistat neque exsistere possit in rerum natura, intellectus sibi proponit tamquam rationem obiectivam quam considerat, et ita facit exsistere idealiter in se tamquam obiectum suum id, cui exsistentia simpliciter repugnat.

Causam efficientem non habet ens rationis, cum non efficiatur in rerum natura ; habet tamen fundamentum, quod est eius causa formalis, sicut etiam merum possibile non habet causam efficientem, habet tamen fundamentum seu causam formalem. Fundamentum entis rationis est id, secundum quod obiective formatur ab intellectu nostro. Exinde ens rationis dividitur, divisione per accidens ratione fundamenti, in ens rationis cum fundamento et sine fundamento in re (cf. n. 95, 2). Ens rationis sine fundamento in re est arbitrarium. Essentialiter autem, quatenus consideratur ipsa ratio entis rationis, dividitur in duo genera suprema, in negationem (privationem) et relationem. Hanc divisionem esse adaequatam ostenditur ita : Ratio ipsa entis rationis formaliter consistit in oppositione ad ens reale, i. e. in eo, quod est « esse incapax exsistentiae ». Hoc autem vel est aliquid positivi vel non positivi. Si non positivum, est negatio, quae non ponit, sed tollit formam ; si positivum, solum potest esse relatio. Absoluta enim positiva omnia, sive substantia sint sive accidentia, includunt in conceptu suo essentiali capacitatem ad exsistendum, quia necessario dicunt exsistere in se (substantia) aut in alio (accidentia). Sola relatio, quia non dicit tantum conceptum « in », vi cuius est accidens reale, sed etiam conceptum « ad », vi cuius formaliter est relatio, quin tamen dicat aliquod « inesse », sed extrinsecam tantum termini attingentiam, potest concipi sine realitate, inquantum concipitur non ut in alio neque ut in se, sed ut ad aliquid aliud cum negatione exsistentiae in aliquo.

Ad intellectum divisionis advertatur : *a)* non-esse formae seu carentiam formae non esse ens rationis. Hoc enim non-esse, haec carentia invenitur in rerum natura (negative). A parte rei enim invenitur formam non esse ; sed ens rationis, quod est negatio, in eo consistit, quod illud non-esse ab intellectu ad modum entis concipiatur. Tale enim ens, quod est non-ens seu negatio, est incapax recipiendi exsistentiam in rerum natura ; in intellectu tamen recipit exsistentiam aliquam, inquantum exsistit tamquam obiectum intellectus. Ad negationem reducitur unitas, si sumitur praecise secundum formale

suum quod addit enti ; est enim unitas negatio divisionis ; ita unitas rationis, quae convenit universali metaphysico per abstractionem intellectus, est negatio divisionis per differentias sive numericas sive specificas ; ad negationem reducuntur etiam entia et figmenta contradictoria, ut circulus quadratus, centaurus (figmentum quod simul esset animal rationale et brutum), quia ea ponunt, quae se invicem destruunt.

b) Ad relationem reducenda est denominatio mere extrinseca (ut esse visum), quae tamen duo continet, aliquid reale — formam denominantem (visio, quae est realis in oculo, denominat parietem visum), et aliquid rationis — adiacentiam seu applicationem formae denominantis ad subiectum denominatum, quod est relatio rationis. Ad relationem pariter pertinet distinctio rationis, de qua infra n. 119, 2.

111. Per quam potentiam et per quos actus fiant entia rationis. 1. Neque voluntas neque sensus externi formant entia rationis, quia non formant obiectum suum, sed extra se supponunt formatum : Voluntas supponit obiectum propositum ab intellectu, sensus externus fertur in rem ad extra exsistentem. Si igitur aliquando voluntas appetit bonum chimaericum, ipsa hoc non fingit, sed intellectus.

2. Sensus interni non formant entia rationis formaliter loquendo, sed materialiter tantum. Formaliter formare ens rationis est concipere non-ens ad instar entis realis, ad quod requiritur, ut discernatur inter ens et non-ens ; hoc autem sensus non potest, quia nequit apprehendere rationem entis. Materialiter formare ens rationis est repraesentare aliquo modo id, ad cuius instar formatur ens rationis. Si hoc est aliquid sensile, sensus internus illud repraesentare potest quoad externam sensilem apparentiam; ita potest repraesentare centaurum. Ad similitudinem autem huius repraesentationis phantasticae intellectus concipit ens, quod simul esset rationale et irrationale.

3. Ad entia rationis formanda requiritur comparatio intellectus. Non dicimus requiri necessario comparationem eam, quae fit iudicando, sed eam, quae est simplex conotatio, quae iam haberi potest simplici apprehensione. Nam ens rationis est aut relatio aut negatio. Si est relatio, debet comparative apprehendi ad terminum ; si est negatio, debet positive concipi ad instar entis, quod est comparative ad aliud. Absolute enim concipi nequit negatio, cum nihil sit. Ceterum relatio rationis etiam ex eo concipitur comparative, quia concipitur ad modum realis relationis.

4. Cognitio formans ens rationis non est illa, quae reflectit super ens rationis speculando circa illud seu contemplando ens rationis, ut ens rationis est, haec enim supponit ens rationis iam formatum, sed est cognitio directa, quae cognoscit non-ens reale, vel quod rea-

liter relativum non est, ad instar entis vel relationis realis. In qua cognitione directa id quod cognoscitur, non est ens rationis, sed non-ens.

5. Cognitio, qua formatur ens rationis, non est fictio per modum enuntiationis affirmando vel negando, in quo fictio consistit, quae est deceptio seu falsitas, sed est fictio per modum formationis, qua ad modum entis apprehenditur aliquid, quod in re non est neque esse potest, quod simul tamen discernitur ab ente vero et reali. Est nihilominus modus cognoscendi imperfectus, conotative attribuere alicui id, quod in se non habet. Ex quo deducimus Deum non formare entia rationis. Perfectissimum obiectum cognoscit intellectus humanus ad instar alterius (conceptibus analogis, i. e. positivo-negativis, cf. n. 15), quia obiecto perfectissimo non est proportionatus ; similiter non-ens, quia non-ens alio modo obiectum esse nequit. Intellectus autem perfectissimus proportionatus est obiecto perfectissimo, et obiecti, quod est non-ens, non indiget, quia non procedit componendo et dividendo, sed comprehendendo (i. e. comprehensive intelligendo) ; intellectus vero humanus dividit ipsam carentiam formae a re, in qua inest, sumendo eam per se, quod non potest nisi fingendo ens, quod revera ens non est. Cognoscit tamen Deus entia rationis, quae a nobis formantur. At propter hanc cognitionem dicendus non est formare entia rationis, ut ex dictis n. 4 apparet.

112. Quid sit ens rationis logicum et quotuplex sit. Potest obiectum considerari in duplici statu : 1. secundum quod est in se, sive quantum ad essentiam sive quantum ad exsistentiam ; 2. ut est in apprehensione (non subiective, sed obiective). Hic status est secundus respectu status essendi in se, quia, sicut cognoscibilitas sequitur entitatem, ita esse cognitum est post illud esse, quod res habet in se. Ideo affectiones seu praedicata, quae conveniunt rei prout est in se, dicuntur primae intentiones; quae vero rei conveniunt prout cognitae (conceptui obiectivo, non formali) seu quae sequuntur statum cogniti, vocantur secundae intentiones. Hae intentiones secundae omnes sunt relationes rationis. Sunt enim ea, quae supponunt statum rei ut cognitae seu esse cognitum pro fundamento. Quae vero secundum hoc fundamentum conveniunt, non possunt esse nisi relativa rationis. Attamen non omnis relatio rationis est secunda intentio, quia datur etiam relatio rationis, quam mens affigit rei non considerando rem praecise secundum statum cogniti, ut cum Deus concipitur ut creator aut homo ut iudex, ut doctor etc., i. e. ut titulo iudicis, doctoris etc. insignitus. Haec enim nihil ponunt in subiecto ac proinde sunt merae relationes rationis ; ex eo enim quod quis doctor declaratur, eius scientia non augetur nec quidquam ponitur in ipso. Si tamen iudex et doctor causaliter sumuntur, realem actionem in subiecto ponunt, ex qua etiam realis resultat relatio causalitatis.

Secunda intentio fundatur in prima, et quidem proxime fundatur in statu entis ut cogniti, remote autem in rebus, prout sunt extra cognitionem. Ita intentio secunda universalitatis fundatur proxime in statu abstractionis, quae est status cognitionis primae operationis mentis [1], remote autem in ipsis rebus fundatur, prout sunt extra intellectum, quatenus realiter conveniunt secundum naturam, sive genericam sive specificam. Similiter intentio significationis affigitur voci prout cognitae (conceptui non ultimato), remote autem fundatur mediante conceptu (ultimato) in ipsis rebus significatis. Potest tamen etiam ipsa secunda intentio fundare aliam secundam, sicut intentio generis, quae tribuitur animali, iterum cognita potest fundare secundam intentionem speciei, quatenus intentio generis est quaedam species praedicabilis.

Intentio secunda ens rationis l o g i c u m dicitur, quia est obiectum formale Logicae. Logicae enim obiectum formale est relatio rationis, quae in ordinatione conceptuum obiectivorum consistit (cf. n. 95—98). Ordinatio autem haec est ipsa secunda intentio. Relatio enim rationis, quae affigitur rei ut cognitae, neque potest terminari immediate nisi ad rem c o g n i t a m seu ad conceptum obiectivum. Ita intentio universalitatis affixa naturae abstracte conceptae terminatur ad conceptus obiectivos inferiorum (singularium sive specierum), intentio significationis affixa voci (conceptui obiectivo non ultimato) terminatur ad conceptus obiectivos rerum significatarum.

Relatio rationis sicut realis dividitur secundum fundamentum suum, quod est status cognitionis, qui triplex est, quatenus res est cognita per primam aut secundam aut tertiam mentis operationem. Ideo distinguimus intentiones secundas secundum tres operationes mentis. Ad primam mentis operationem pertinent terminus et universale et dispositio conceptuum universalium secundum genera et species seu praedicamenta, quia id quod prima mentis operatione directe attingitur est universale; ad secundam mentis operationem pertinent iudicium (intentio subiecti et praedicati) et oratio, ad tertiam ratiocinium et argumentatio.

113. Divisio Logicae materialis. Logica materialis agit de secundis intentionibus per respectum ad materiam seu ordinat conceptus per respectum ad materiam. Sed materia haec est duplex: incomplexa et complexa. Ideo praemissa Logica p r o o e m i a l i ipsam Logicam materialem dividimus in duas partes: in Logicam p r a e d i c a m e n t a l e m, quae ordinat materiam incomplexam, et Logicam d e m o n s t r a t i v a m, quae complexam materiam ordinat. Logica

---

[1] Ipsum esse cognitum ad primam intentionem pertinet, quia est denominatio (extrinseca) conveniens rei, prout est in se, cf. n. 110. Status autem abstractionis denominat rem cognitam incomplete, quatenus aliquid eius, i. e. individuatio, non cognoscitur, cf. n. 119, 3.

praedicamentalis agit de universalibus et praedicamentis, quibus tota universitas rerum seu tota materia incomplexa scientiarum omnium in generalem ordinem redigitur. Hoc modo via sternitur ad ordinationem materiae complexae, quae propositionibus constat necessariis et per se, quibus conficitur demonstratio seu scientia. Propositiones enim necessariae et per se sunt eae, in quibus de S° praedicatur P essentiale et propria passio. Iam vero, quae sint praedicata essentialia et propriae passiones, ex praedicamentorum ordine discimus, quia praedicamenta sunt ipsae series praedicatorum essentialium, ex quibus etiam proprias passiones cognoscimus.

Nota. Logica materiam sive incomplexam sive complexam non ordinat nisi in generali, singulis scientiis relinquendo specialem ordinationem sui obiecti tum quoad materiam incomplexam tum quoad materiam complexam.

Bibliographia. Entia Rationis and Second Intentions, NSch 23 (1949) 395—413.

Ad 110. *Aristoteles* in V Met. c. 7 « ponit alium modum entis, secundum quod est tantum in mente . . . secundum quod "esse" et "est" significant compositionem propositionis, quam facit intellectus componens et dividens. Unde dicit, quod esse significat veritatem rei . . . Sciendum est autem, quod iste secundus modus comparatur ad primum [ens extra animam] sicut effectus ad causam. Ex hoc enim, quod aliquid in rerum natura est, sequitur veritas et falsitas in propositione, quam intellectus significat per hoc verbum "est" prout est verbalis copula. Sed quia aliquid, quod est in se non-ens, intellectus considerat ut quoddam ens, sicut negationem et huiusmodi, ideo quandoque dicitur esse de aliquo hoc secundo modo, et non primo. Dicitur enim, quod caecitas est secundo modo, ex eo quod vera est propositio, qua dicitur aliquid esse caecum ; non tamen dicitur, quod sit primo modo vera. Nam caecitas non habet aliquod esse in rebus, sed magis est privatio alicuius esse » (*S. Thom.* in l. c. lect. 9 n. 889 895 sq. ; cf. De ente et ess. c. 1 ; S. th. I 16, 3 ad 2 ; I Dist. 2, 1 a. 3). *S. Thomas :* « Id autem quod est rationis tantum, non potest esse nisi duplex. Omnis enim positio absoluta aliquid in rerum natura exsistens significat. Sic ergo supra ens, quod est prima conceptio intellectus, unum addit id quod est rationis tantum, scil. negationem ; dicitur enim unum quasi ens indivisum; sed verum et bonum positive dicuntur, unde non possunt addere nisi relationem , quae sit rationis tantum. Illa autem relatio, secundum Philosophum in V Metaph. [c. 15, 1021 a 29 ; *S. Thom.* lect. 17], dicitur esse rationis tantum, secundum quam dicitur referri id quod non dependet ad id ad quod refertur, sed e converso, cum ipsa relatio quaedam dependentia sit : sicut patet in scientia et scibili, sensu et sensibili ; scientia enim dependet a scibili, sed non e converso : unde relatio, qua scientia refertur ad scibile, est realis ; relatio vero, qua scibile refertur ad scientiam, est rationis tantum : dicitur enim scibile referri secundum Philosophum, non quia ipsum referatur, sed quia aliud refertur ad ipsum ; et ita est in omnibus aliis, quae se habent ut mensura et mensuratum vel perfectivum et perfectibile » (Ver. 21, 1 ; cf. S. th. I 13, 7 ; 28, 1 ; Pot. 7, 11 ; Malo 1, 1 ad 20). De ente rationis logico cf. text. cit. ad 96.

Caput II

LOGICA PRAEDICAMENTALIS

Quaestio I : *De universali.*

§ 1. De universali secundum se

Thesis 6 : *Insunt in mente nostra conceptus vere universales, quibus a parte rei respondet natura his conceptibus expressa. Nihilominus haec natura, ut a parte rei exsistit, non est universalis, sed singularis.*

114. St. qu. 1. Universale secundum nominis etymologiam est unum versus alia seu unum respiciens alia. Et quia unum potest respicere alia sive in significando sive in repraesentando sive in causando sive in essendo, universale dividitur in universale in significando (termini seu voces universales), universale in repraesentando (conceptus[1] universales), universale in causando (Deus), universale in essendo. Universale in essendo est unum (una natura)[2] respiciens plura ut exsistens in illis, ex quo oritur, ut etiam praedicetur de illis; quare dicitur etiam universale in praedicando. Ea quae respicit universale ut exsistens in illis et ut praedicabile de illis, dicuntur eius inferiora. Ita individua humana sunt inferiora hominis. Ad rationem ergo universalis in essendo requiruntur duo : unitas et communicabilitas. Universale in essendo est unum (una natura), quod communicatur multis, seu inest in multis tamquam identificatum cum eis et multiplicatum in illis. Universale enim est natura abstracta a differentiis inferiorum, quibus in inferioribus multiplicatur, ideo est una unitate abstractionis; invenitur tamen in his inferioribus communicata cum eis.

Distinguendum est universale (in essendo) a communi. Commune latius patet : commune est quodcumque unum quocumque modo pluribus conveniens; universale autem est commune pluribus conveniens tamquam identificatum cum eis et multiplicatum in illis. Commune igitur non determinat, utrum id, quod communicatur cum pluribus, sit idem numero necne; sed universale hoc determinat, quia numquam idem numero est in pluribus. Ita natura divina est communis tribus personis, at non se habet ad eas sicut

---

[1] conceptus formalis.
[2] una ratio obiectiva, i. e. conceptus obiectivus.

universale ad inferiora; similiter camera est locus communis plurium hominum, minime tamen est universale.

2. Nominalistae: Heraclitus (ca. 500 a. Chr.), Cratylus Heracliti discipulus, Antisthenes († 366), Epicurei, Roscellinus (ca. 1050—ca. 1124) adversarius S. Anselmi, Empiristae et Sensualistae et Positivistae recentioris aetatis: Hobbes (1588—1679), Locke (1632—1704), Hume (1711—1776), Condillac (1715—1780), Aug. Comte (1798—1857), St. Mill (1806—1873), Spencer (1820—1903), Wundt (1832—1921), solis vocibus seu nominibus universalitatem concedunt, denegant vero conceptibus, cum doceant voci universali in mente non respondere conceptum universalem, sed collectionem individuorum voce designatorum. Conceptualistae (veteres Stoici, Conceptualistae saeculi XIV et XV: Guilelmus Occam [ca. 1300—ca. 1349], Ioan Buridanus [† post 1358], Petrus de Alliaco [1350—1420], Gabriel Biel [ca. 1425—1495] tandem Kant [1724—1804] et Kantiani) admittunt quidem conceptus universales, quos tamen merum mentis figmentum esse docent, cui nihil in rerum natura respondeat.

Realistae contendunt dari a parte rei naturam voci et conceptui universali respondentem. Qui tamen iterum in diversas abeunt sententias: aliqui asserunt universale et universale exsistere a parte rei (realismus exaggeratus); alii vero, inter quos Aristoteles (384—322), Boëthius (ca. 480—525), S. Anselmus (1033—1109), S. Thomas (1225—1274), plerique scholastici, cum in universali duplex momentum distinguant: materiam seu id quod conceptu universali continetur, i. e. naturam, et formam: universalitatem, docent hanc in intellectu tantum esse, illam vero etiam in re singulari (realismus moderatus).

Ex iis, qui realismum exaggeratum profitentur, aliqui docent universale et universale exsistere extra intellectum et extra rem, alii vero extra intellectum, sed intra rem. Prima sententia est Platonis (427—347), qui posuit ideas subsistentes seu formas rerum materiam transcendentes, universales, incorruptibiles, aeternas, quas tamen materia aliquo modo participaret (μετέχει)[1].

Altera sententia attribuitur Guilelmo Campellensi (1070—1121), qui docuisset naturam non multiplicari in eiusdem speciei individuis, sed unam eandemque numero in omnibus esse, individua autem nonnisi penes accidentia differre. Neoplatonici, Hegel (1770—1831), Schelling (1775—1854) docuerunt singularia non esse nisi apparitiones phaenomenales naturae universalis.

3. Dicimus thesi nostra in mente inesse conceptus vere universales. Quo statuimus factum internum conscientiae testimonio manifestum. Dicimus in mente nostra inesse conceptus universales, quibus a

[1] Ita Platonem interpretantur Aristoteles et scholastici; alii vero ideas platonicas intelligunt ideas divinas seu exemplaria rerum in mente divina. Sed quidquid est de hac controversia, certum est Platonem posuisse rerum formas non immanentes singularibus, sed transcendentes.

parte rei respondet natura his conceptibus expressa. Quo non affirmamus omnibus conceptibus nostris aliquid a parte rei respondere. Nam concipimus etiam entia rationis, quibus a parte rei nihil respondet, et aliquando etiam erramus, ita ut conceptus noster non respondeat rebus. At plerumque non concipimus entia rationis neque erramus, cum intellectus per se non erret, sed per accidens tantum. Atque tunc conceptus nostri saepe etiam nobis obversantur tamquam evidenter obiectivam veritatem repraesentantes. Thesi nostra ad mentem realismi moderati affirmamus universale in repraesentando: conceptum formalem universalem, et universale in essendo: conceptum obiectivum universalem.

115. Prob. th. I p.: Insunt in mente nostra conceptus vere universales. Ex testimonio conscientiae: Conceptus universalis est conceptus repraesentans naturam abstracte conceptam tamquam convenientem pluribus ut identificatam cum illis et multiplicatam in ipsis. Atqui in mente nostra insunt conceptus repraesentantes naturam abstracte conceptam tamquam convenientem pluribus ut identificatam cum illis et multiplicatam in ipsis. Ergo insunt in mente nostra conceptus vere universales.

Mai. patet ex st. qu. Si universale in essendo est natura abstracta, communicata cum inferioribus, universale in repraesentando seu conceptus universalis est conceptus hanc naturam repraesentans seu repraesentans naturam abstractam tamquam convenientem pluribus, i. e. inferioribus.

Min. patet ex experientia interna seu ex testimonio conscientiae. Circa hoc factum conscientiae accuratius investigandum est in Phil. nat. (cf. n. 465, 5; 543; 552; 573, 3).

Prob. II p.: ... quibus a parte rei respondet natura ipsis expressa. Ex veracitate intellectus: Conceptus universalis (obiectivus) seu natura abstracte concepta est aliquid, quod obversatur menti tamquam aliquid a parte rei conveniens multis singularibus. Atqui quod obversatur menti tamquam aliquid a parte rei vere conveniens multis singularibus, id revera a parte rei convenit. Ergo natura abstracte concepta revera a parte rei convenit multis singularibus.

Mai. patet ex experientia interna: Natura abstracta conotat singularia, a quibus abstracta est, tamquam pertinens ad ea (cf. n. 129).

Min. manifesta est ex veracitate intellectus, qui per se infallibilis est neque errat nisi per accidens.

Prob. III p.: Natura ut a parte rei exsistit, non est universalis, sed singularis. Ex veracitate intellectus: Quod repraesentatur a mente tamquam a parte rei exsistens in singularibus ut identificatum cum eis, est a parte rei non universale, sed singulare. Atqui natura

repraesentatur a mente tamquam a parte rei exsistens in singularibus ut identificata cum eis. Ergo natura est a parte rei non universalis, sed singularis, seu natura ut a parte rei exsistit, non est universalis, sed singularis.

Mai. (quae intelligatur de eo quod est per se, cum intellectus per accidens errare possit) patet ex veracitate intellectus.

Prob. min. Natura repraesentatur a mente tamquam praedicabilis de singularibus. Atqui quod repraesentatur ut praedicabile de aliquo, repraesentatur ut exsistens in eo tamquam identificatum cum eo. Ad veritatem enim praedicationis affirmativae requiritur stricta identitas inter praedicatum et subiectum, quae verbo substantivo « est » exprimitur. Propositio enim « Petrus est homo » significat : Petrus est idipsum quod est homo (cf. n. 138 sq.).

116. Coroll. Ergo falsus est nominalismus et conceptualismus et realismus exaggeratus. Nominalismus et conceptualismus ducunt ad scepticismum. Omnis enim scientia de universalibus est ; quapropter si universale non est nisi « flatus vocis », ut teste S. Anselmo [1] asseruit Roscellinus, aut nisi conceptus subiectivus, ut docent Conceptualistae, perit omnis scientia. Dicunt Nominalistae recentes (Empiristae et Positivistae) obiecta scientiarum non esse essentias universales, sed leges. At lex supponit essentiam universalem. Nominalistae asserunt universale esse nomen collectivum seu terminum collectivum. Sed tunc non essent universalia praedicabilia de singulis individuis distributive sumptis. Quod falsum esse patet (cf. n. 13). Realismus exaggeratus est monismus aut ducit ad monismum. Si natura in rebus non multiplicatur, omnia in unum conflantur. Ceterum notetur hanc doctrinam destruere universale : si natura in singularibus non multiplicatur, communis tantum est, non universalis.

Contra Platonem iuvat advertere obiecta scientiarum et veritates scientificas seu essentias rerum et veritates, quae sunt circa essentias rerum, esse aeternas obiective et negative, non vero subiective et positive, i. e. sunt aeternae per modum obiecti intelligibilis et intellecti (a Deo), nec dependent ab aliqua exsistentia contingenti et temporali ; non vero sunt aeternae subiective et positive, quasi in aliquo subiecto extra intellectum positive exsistentiam ab aeterno accipere deberent.

117. Schol. 1. Universalitas est secunda intentio seu relatio rationis, qua natura abstracte concepta refertur ad inferiora. Haec relatio fundatur proxime super unitatem rationis seu super statum abstractionis, qua natura relinquit differentias numericas sive etiam specificas, quibus in inferioribus suis multiplicatur et diversificatur ; sola enim natura ita una unitate abstractionis apta est, quae

[1] De incarnatione Verbi, cap. 2.

referatur ad inferiora tamquam exsistens in illis, remote autem fundatur super ipsam naturam singularem concretam, quae a parte rei exsistit, quatenus abstrahibilis est seu considerari potest ab intellectu sine notis individuantibus.

2. Universale in essendo definitur : unum (natura una) in multis et de multis, i. e. natura una, quae est in multis per identitatem cum eis et praedicatur de multis. Haec definitio omnia enuntiat, quae ad universale constituendum concurrunt: 1. subiectum, cui affigitur universalitatis intentio — natura, 2. huius intentionis fundamentum proximum— una, 3. ipsam intentionem universalitatis seu relationem ad inferiora — in multis, 4. propriam universalis passionem, i. e. praedicabilitatem — de multis.

3. Triplex distinguimus universale (in essendo) : *a)* universale materiale — natura, quae denominatur universalis, *b)* universale fundamentale — fundamentum proximum relationis universalitatis, quod est unitas praecisa ab inferioribus (natura abstracta) cum aptitudine seu non-repugnantia ad essendum in illis, *c)* universale formale — forma ipsa relativa, qua natura abstracta respicit actu inferiora. Cum autem metaphysicus consideret principaliter naturas, logicus vero intentiones seu relationes rationis, ipsa natura seu subiectum abstractum a pluribus seu universale fundamentale dicitur universale metaphysicum, quia in illo directe et principaliter consideratur natura, abstractio autem seu universalitas fundamentalis (metaphysica) tamquam conditio ; est enim conditio requisita ad omnem scientiam, quia nulla scientia agit de singularibus. Universale autem formale dicitur universale logicum, quia principaliter respicit ipsam intentionem seu formam, qua aliquid denominatur universale, quae est secunda intentio et relatio rationis; hanc enim praecipue considerat logicus, praesuppositive autem naturam, tamquam id, in quo fundatur universalitas ; agit enim de secundis intentionibus, ut fundantur in primis.

118. Obi. *contra I p.* 1. Conceptus universales non respondent rebus. Atqui non insunt in mente nostra conceptus non respondentes rebus. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Non respondent positive, *nego* ; mere negative, *conc. Contradist. min.* : Conceptus non respondentes negative, *nego* ; positive, *subdist.* : Non insunt per se, *conc.* ; per accidens, *nego*. Conceptus universales non respondent rebus mere negative, i. e. repraesentant inadaequate ; cf. n. 119, 3.

2. Atqui non insunt in mente nostra hi conceptus non respondentes rebus mere negative seu conceptus vere universales. *Probo.* Vox plura significans non est conceptus vere universalis. Atqui conceptus, qui dicuntur inesse in mente nostra universales, sunt voces plura significantes. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Ipsa vox, *conc.* ; eius significatum, *subdist.* : Si est ratio una conveniens pluribus distributive, *nego* ; si non est ratio una, *conc. Contradist. min.* : Sunt ipsae voces, *nego* ; sunt significatum vocis, *subdist.* : Si est ratio una conveniens pluribus distributive, *conc.* ; si non est ratio una, *nego*.

3. Atqui significatum vocis, quae dicitur universalis, non est ratio una conveniens pluribus distributive. *Probo.* Individua in rerum natura exsistentia non sunt ratio una conveniens pluribus distributive. Atqui significatum vocis, quae dicitur universalis, sunt individua in rerum natura exsistentia. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Individua eiusdem speciei abstracte concepta, *nego;* non abstracte concepta, *conc. Contradist. min.*

Contra II p. 1. Conceptui universali non respondet a parte rei natura una unitate abstractionis. Atqui natura conceptibus universalibus expressa est una unitate abstractionis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Respondet tamen eadem natura ut communicata cum individuis et multiplicata in eis, *conc.;* non respondet eadem natura ut communicata . . ., *nego. Contradist. min.:* Quae communicatur cum individuis et multiplicatur in eis, *conc.;* quae non communicatur . . ., *nego.*

2. Atqui natura conceptu universali expressa non est communicabilis. *Probo.* Non est communicabile, quod est abstractum. Atqui natura conceptu universali expressa est abstracta. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Forma abstractionis non est communicabilis, *conc.;* id quod hac forma continetur . . ., *nego. Conc. min.; dist. consq.*

3. Atqui natura ipsa conceptu universali expressa non est communicabilis. *Probo* (ad mentem Kantii). Non est communicabile, quod est «a priori». Atqui natura conceptu universali expressa est «a priori», i. e. ex subiecto cogitante. Ergo. *Resp. Conc. mai.; dist. min.:* Status universalitatis est a priori, *conc.;* natura cui in mente accidit status universalitatis, est a priori, *nego. Dist. consq.* (cf. n. 693, 4).

Contra III p. 1. Quod est unum in multis, est universale. Atqui natura, ut a parte rei exsistit, est unum in multis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod est unum in multis formaliter, *conc.;* quod est unum in multis materialiter seu fundamentaliter, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui natura, ut a parte rei exsistit, est unum in multis formaliter seu universalis formaliter. *Probo.* Natura in intellectu est universalis formaliter. Atqui natura, ut a parte rei exsistit, est eadem natura, quae est in intellectu. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Secundum modum concipiendi, *conc.;* secundum rem conceptam, *nego. Contradist. min.*

Bibliographia ad 114—117: *F. A. Blanche,* La théorie de l'abstraction, Mélanges thomistes, Bibliothèque thomiste III, Kain 1923, 237—251.

Ad 115 sqq. *S. Thomas:* «Universale dupliciter potest accipi: uno modo pro ipsa natura, cui intellectus attribuit intentionem universalitatis, et sic universalia, ut genera et species, substantias rerum significant, et praedicantur in quid. Animal enim significat substantiam eius, de quo praedicatur, et homo similiter. Alio modo potest accipi universale, in quantum est universale et secundum quod natura praedicta subest intentioni universalitatis, id est secundum quod consideratur animal vel homo ut unum in multis. Et sic posuerunt Platonici animal et hominem in sua universalitate esse substantias. Quod Aristoteles in hoc capitulo intendit reprobare, ostendens, quod animal commune vel homo communis non est aliqua substantia in rerum natura. Sed hanc communitatem habet forma animalis vel hominis, secundum quod est in intellectu, qui unam formam accipit ut multis communem, in quantum abstrahit eam ab omnibus individuantibus . . . Sciendum autem, quod ideo dicit, quod universale est quod natum est pluribus inesse, non autem quod pluribus inest [τοῦτο, γὰρ λέγεται καθόλου ὃ πλείοσιν ὑπάρχειν πέφυκεν: Met. VII 13, 1038 b 11; cf. Perih. 7, 17 a 39]; quia quaedam universalia sunt, quae non continent sub se nisi singulare, sicut sol et luna» (In Met. VII lect. 13 n. 1570 sq. 1574; cf. In Perih. I lect. 10 n. 2 sqq.). «Patet autem diligenter intuenti rationes Platonis, quod ex hoc in ista positione erravit, quia credidit,

quod modus rei intellectae in suo esse sit sicut modus intelligendi rem ipsam. Et ideo quia invenit intellectum nostrum dupliciter abstracta intelligere, uno modo sicut universalia intelligimus abstracta a singularibus, alio modo sicut mathematica abstracta a sensibilibus, utrique abstractioni intellectus posuit respondere abstractionem in essentiis rerum, unde posuit et mathematica esse separata et species. Hoc autem non est necessarium. Nam intellectus etsi intelligat res per hoc, quod similis est eis quantum ad speciem intelligibilem, per quam fit in actu, non tamen oportet quod modo illo sit species illa in intellectu quo in re intellecta ; nam omne, quod est in aliquo, est per modum eius in quo est. Et ideo ex natura intellectus, quae est alia a natura rei intellectae, necessarium est, quod alius sit modus intelligendi quo intellectus intelligit, et alius sit modus essendi quo res exsistit. Licet enim id in re esse oporteat quod intellectus intelligit, non tamen eodem modo» (In Met. I lect. 10 n. 158 ; cf. X lect. 3 n. 1963 sqq. ; C. g. II 75 : Nec tamen). *Aristoteles :* 'Εὰν δὲ τὸ καθόλου μὴ ᾖ, τὸ μέσον οὐκ ἔσται, ὥστ' οὐδ' ἀπόδειξις. δεῖ ἄρα τι ἓν καὶ τὸ αὐτὸ ἐπὶ πλειόνων εἶναι μὴ ὁμώνυμον (Anal. post. I 11, 77 a 7). Ad quae *S. Thomas :* «Necessarium est esse unum in multis et de multis, si demonstratio debet esse, quia non erit universale, nisi sit unum de multis ; et si non sit universale, non erit medium demonstrationis ; ergo nec demonstratio. Et quod oporteat medium demonstrationis esse universale, patet per hoc quod oportet medium demonstrationis esse unum et idem de pluribus praedicatum non aequivoce, sed secundum rationem eandem » (In l. c. lect. 19 n. 8). Cf. *S. Thom.*, In De an. II lect. 12 n. 377 sqq. ; De ente et ess. c. 3 et 4 (infra ad 124 132) ; II Dist. 3, 3 a. 2 ad 1 ; S. th. I 55, 3 ad 1 ; 85, 2 ad 2 ; 85, 3 ; I-II 29, 6 ; III 2, 5 ad 2 ; Q. d. an. a. 3 ad 8 ; a. 4.

Thesis 7 : *Gradus metaphysici in eodem individuo non distinguuntur realiter neque actualiter formaliter ex natura rei. Datur tamen inter eos praecisio obiectiva ; ideo distinguuntur virtualiter.*

119. St. qu. 1. Nomine graduum metaphysicorum intelligimus praedicata essentialia superiora et inferiora, quae de aliquo praedicantur, i. e. *a)* genera superiora et inferiora (ut substantia, corpus, animatum, animal, homo, quae praedicantur de Petro), *b)* differentias, quibus superiora genera ad inferiora contrahuntur (ut compositum, vivens, sensitivum, rationale, quae de eodem Petro praedicantur ; cf. n. 159). Haec praedicata gradus dicuntur, quia, cum sit unum universalius et superius altero, in cognoscendis illis quasi ascendimus et descendimus ; dicuntur gradus metaphysici, quia constituunt compositionem metaphysicam, i. e. compositionem eam, quae physicam seu realem unitatem transcendit. Hi gradus igitur universalia sunt. In praecedenti thesi egimus de universalibus absolute, hic de universalibus tractamus, quae in eodem individuo inveniuntur, secundum habitudinem eorum ad invicem.

2. Distinctio pluralitas est ; ea enim dicantur distincta, quorum unum non est aliud. Duplex est distinctio, rationis et realis, quatenus unum non est aliud in intellectu tantum aut etiam in rerum natura. Distinctio realis est, vi cuius unum a parte rei non est aliud ; distinctio rationis est, vi cuius ea, quae a parte rei sunt idem in intellectu et ab intellectu inveniuntur distincta. Distinctio rationis

eo fit, quod eadem res diversis conceptibus obiectivis concipitur, qui ab intellectu ad invicem referuntur tamquam eiusdem rei. Quatenus hi conceptus sunt intrinsecus diversi, habetur distinctio rationis ratiocinatae seu cum fundamento in re ; quatenus extrinsecus tantum, i. e. per aliquam conotationem diversi sunt, inquantum mens eidem conceptui obiectivo affigit aliam et aliam relationem rationis (sicut cum Petrus concipitur ut subiectum et ut praedicatum, in propositione tautologica : Petrus est Petrus), habetur distinctio rationis ratiocinantis seu sine fundamento in re. Fundamentum autem distinctionis rationis ratiocinatae est, ex parte obiecti, distinctio virtualis seu eminentia rei, quae, in se unica et simplex realiter, plures tamen continet rationes seu perfectiones ; ex parte intellectus nostri est imperfectio eius, ratione cuius inadaequate concipit rem, unico conceptu non valens exhaurire eius eminentiam, sed diversis conceptibus attingens diversas perfectiones, eas inter se componendo. Distinctio virtualis definitur : intrinseca rei eminentia, qua in se eadem per simplicem continentiam perfectionum praebet intellectui fundamentum distinguendi unam ab alia. Ex definitione colligitur distinctionem virtualem revera esse id, quod innuit nomen eius : non actualem, sed virtualem distinctionem seu rei distinguibilitatem et fundamentum distinctionis actualis seu rationis ratiocinatae, quae actu est in intellectu. Res enim, in qua virtualis distinctio inesse dicitur, ea est, quae, etsi in se una et indistincta, plures tamen complectitur perfectiones, quae intellectui praebent fundamentum eam intentionaliter distinguendi. Ita anima humana simplex, virtualiter multiplex est. Una enim eademque entitas triplicem in se continet perfectionem, quatenus simul est radix vegetandi, sentiendi, ratiocinandi. Unde intellectus noster, videns hanc continentiam diversarum perfectionum, distinguit per conceptus suos actu id, quod in re virtualiter est distinctum.

3. Praecisio idem est atque separatio seu distinctio effective sumpta[1]. Est duplex : physica — cum unum ab altero realiter, intentionalis — cum unum ab altero intentionaliter seu in intellectu et ab intellectu separatur. Praecisio intentionalis est aut mere subiectiva aut obiectiva. Praecisio mere subiectiva est, quae non habet fundamentum in re. Praecisio obiectiva ea est, qua unum praedicatum attingitur, aliis simpliciter omissis. Praecisione obiectiva intellectus repraesentat quidem rem inadaequate, i. e. non totaliter quoad omnia eius praedicata, sed id, quod repraesentat, repraesentat, prout revera est, sicut etiam visus percipit colorem, prout revera est a parte rei, etsi non percipit odorem, qui cum colore in pomo inve-

---

[1] Distinctio potest sumi : *a)* effective ; *b)* formaliter : ipsa pluralitas ; *c)* relative : relatio, quae sequitur pluralitatem, quatenus distincta referuntur ad invicem ut distincta.

nitur coniunctus. Praecisio igitur obiectiva non est contraria veracitati facultatum cognoscitivarum (« Abstrahentium non est mendacium »).

4. Praecisiones obiectivas reiciunt Nominalistae et ii qui « Confundentes » dicuntur (Oviedo [† 1651], Hurtadus [1578—1651], Arriaga [1592—1667]), quorum sententia est universale fieri per praecisionem mere subiectivam. Hi proinde nullo modo, ne virtualiter quidem, gradus metaphysicos in eodem individuo distinguunt; contra, aliqui pauci, ut Iandunus († 1343) et ii qui formas substantiales in eodem subiecto multiplicant pro numero essentialium praedicatorum, eos realiter distingui volunt. Ad doctrinam veterum « Confundentium » reducitur doctrina multorum recentium, qui docent conceptum universalem oriri ex associatione et confusione perceptionum singularium (cf. n. 571, 3).

5. Secundum Scotum (ca. 1270—1308) et Scotistas triplex admittenda est distinctio : *a)* realis simpliciter inter rem et rem ; « admittit plures res atque viget independenter ab intellectu inter rem et rem, quarum una nec potentialiter, nec virtualiter, nec confuse est in alia, ita ut inter eas habeatur non-identitas, quae est diversitas » ; talis distinctio statuitur « inter Deum et hominem, inter hominem et animal, inter varias corporis partes, inter substantiam et accidentia, inter materiam et formam » ; *b)* realis secundum quid, vigens inter realitatem et realitatem, quae dicitur ex natura rei vel formalis; « admittit plures realitates atque viget independenter ab intellectu inter realitatem et realitatem, inter ea nimirum, quorum unum nec potentialiter, nec virtualiter nec confuse est aliud, ita tamen ut unitive sint res et inter unum et aliud non sit non-identitas, quae est diversitas » ; haec distinctio invenitur « inter naturam communem et individualitatem, inter animam et potentias, inter ipsas potentias, inter essentiam divinam et attributa et inter ipsa attributa » ; *c)* distinctio logica seu rationis ; « est illa qua idem formale obiectum diversis concipitur modis, illa nimirum quam homo ponit plures efformans conceptus de eadem indistincta re » ; haec intercedit « inter definitionem et definitum, inter ea quae ab extrinseco tantum distinguuntur, v. gr. inter solem calefacientem et indurativum, inter unitatem et eandem omnino unitatem ». Stabilita hac circa distinctionem doctrina Scotistae asserunt solam distinctionem formalem « multiplicitatem conceptuum obiectivorum de re una iustificare ». Probe distinguatur distinctio virtualis Thomistarum a distinctione formali Scotistarum ; Scotus enim « suam distinctionem formalem appellat realem, etsi cum temperamento, optime discernens distinctionem formalem in intellectu a distinctione formali in re quam intellectus apprehendit »[1].

---

[1] *P. Z. Van de Woestyne*, Cursus philosophicus II [2], Mechliniae 1933, 257—277. Distinctio formalis, quam non tantum in re philosophica, sed etiam theologica ubique adhibet Scotus, fundamentum aliquod est principale systematis eius.

120. Prob. th. I p. : Gradus metaphysici in eodem individuo non distinguuntur realiter. *Arg. I.* Ex eo quod natura a parte rei est singularis : Identificata cum uno eodem tertio non sunt distincta inter se realiter. Atqui gradus metaphysici singuli in eodem individuo sunt identificati cum uno eodem tertio, i. e. cum differentia numerica. Ergo gradus metaphysici singuli in eodem individuo non sunt distincti inter se realiter.

Min. patet ex th. praec. p. III : « Natura, ut a parte rei exsistit, est singularis », i. e. identificatur cum individuo seu differentia eius numerica.

Arg. II. Ex unitate formae substantialis : Si gradus metaphysici realiter in eodem individuo distinguerentur, in eodem individuo admittenda esset pluralitas formarum substantialium. Atqui hoc repugnat. Ergo gradus metaphysici in eodem individuo non distinguuntur realiter.

Prob. mai. Si animalitas realiter differret a rationalitate, etiam principium substantiale, quo constituitur animalitas, realiter differret a principio substantiali, quo constituitur rationalitas.

Min. constat ex n. 260, 6.

Prob. II p. : Gradus metaphysici non distinguuntur actualiter formaliter ex natura rei. Quae distinguuntur formaliter ex natura rei, distinguuntur realiter. Atqui gradus metaphysici non distinguuntur realiter. Ergo gradus metaphysici non distinguuntur formaliter ex natura rei.

Prob. III p. : Inter gradus metaphysicos datur praecisio obiectiva. Ex eorum habitudine inter se : Inter ea datur praecisio obiectiva, quorum unum concipi potest, altero nullo modo concepto. Atqui hoc obtinet quoad gradus metaphysicos. Ergo datur praecisio obiectiva.

Prob. min. In conceptu essentiali unius gradus non includitur conceptus essentialis alterius. Ita « rationale » non includitur in animali, secus omne animal esset rationale, unde optime concipi potest animal, non concepto « rationali ».

Prob. IV p. : . . . distinguuntur virtualiter. Ex praecisione obiectiva : Ea distinguuntur virtualiter, inter quae datur praecisio obiectiva. Atqui inter gradus metaphysicos datur praecisio obiectiva. Ergo distinguuntur virtualiter.

Mai. patet ex dependentia intellectus humani a rebus cognoscendis. Si quis e. g. distinguere vellet inter hominem et rationale, sicut inter animal et rationale, frustra laboraret.

121. Schol. In sententia « Confundentium » conceptus speciei est cognitio unum vel plura individua confuse repraesentans, quin tamen

differentia individualis omittatur. Sed patet hoc modo universale efformari minime posse; retenta enim differentia numerica, etsi obscure et remisse, id quod concipitur est haec natura individualis, quae de pluribus praedicari nequit (cf. n. 573, 3). Praecisio haec esset mere subiectiva sine fundamento in re, quia ratio universalis, ut ratio hominis, non est ratio, in qua confundi possent differentiae numericae, nam differentiae numericae hominum non sunt aliquae humanitates; ideo paritas cum abstractione entis per confusionem neganda est (cf. n. 174—177).

122. Obi. *Contra I p.* 1. Perfectiones, quae in eodem principio coniungi non possunt, distinguuntur realiter. Atqui gradus metaphysici (ut sensitivum et rationale) sunt perfectiones, quae in eodem principio coniungi non possunt. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quae in eodem principio tum proximo tum remoto coniungi non possunt, *conc.;* quae non possunt coniungi in eodem principio proximo, possunt tamen in eodem principio remoto, *nego. Contradist. min.:* Non possunt coniungi in eodem principio proximo, *conc.;* in eodem principio remoto, *nego.*

2. Atqui hae perfectiones neque in eodem principio remoto coniungi possunt. *Probo.* Principium remotum harum perfectionum est forma substantialis. Atqui hae perfectiones non possunt coniungi in eadem forma substantiali. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Forma substantialis virtualiter multiplex, *conc.;* non virtualiter multiplex, *nego. Contradist. min.*

Contra II p. 1. Ea distinguuntur actualiter formaliter ex natura rei, quorum unum non est de conceptu alterius ex propria natura. Atqui graduum metaphysicorum unus non est de conceptu alterius ex propria natura. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Et haec distinctio dicitur esse actu a parte rei, *conc.;* non dicitur esse actu a parte rei, *nego. Contradist. min.:* Et haec distinctio est actu a parte rei, *nego;* non est actu a parte rei, *conc.*

2. Atqui distinctio graduum metaphysicorum est actu a parte rei. *Probo.* A parte rei actu est pluralitas graduum. Atqui pluralitas graduum, quae est actu a parte rei, est distinctio actu a parte rei. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Tamquam pluralitas actualis, *nego;* tamquam pluralitas virtualis, *conc. Contradist. min.*

Contra III (et IV) p. 1. Inter ea non datur praecisio obiectiva, quorum alterum continet alterum. Atqui graduum metaphysicorum alter continet alterum. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quorum alterum continet alterum a parte rei in eodem individuo, *nego;* in mente, *subdist.:* Quorum alterum continet alterum actu, *conc.;* potentia, *nego. Contradist. min.:* Alter continet alterum a parte rei in eodem individuo, *conc.;* in mente, *subdist.:* Continet actu, *nego;* potentia, *conc.*

2. Atqui etiam in mente gradus continet alios gradus actu. *Probo.* Gradus, qui est a parte rei, idem est in mente. Atqui gradus a parte rei continet alios actu. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Idem, sed praecisus ab aliis gradibus, *conc.;* non praecisus, *nego. Conc. min.; dist. consq.*

3. Atqui etiam gradus praecisus ab aliis gradibus hos continet actu. *Probo.* Gradus continens alios confuse, eos actu continet. Atqui gradus praecisus ab aliis, hos confuse continet. Ergo. *Resp. Conc. mai.; dist. min.:* Praecisus praecisione formali, *conc.;* praecisus praecisione obiectiva, *nego. Dist. consq.*

Bibliographia ad 119, 5: *R. Allers*, On Intellectual Operations, NSch 26 (1951) 1—36. *J. Kraus*, Die Lehre von der realen spezifischen Einheit in der älteren Slotistenschule, DThFrib 14 (1936) 353—378. *A. Maurer*, St. Thomas and the Analogy of Genus, NSch 29 (1955) 127—144.

A d 120. *Aristoteles* in VII Met. c. 12 agens de unitate definitionis « ostendit, quod multitudo differentiarum non impedit unitatem definitionis. . . Dicit ergo, quod, si sic se habent differentiae acceptae in definitione, "sicut dictum est", scil. quod semper sumantur per se differentiae et non per accidens, palam est quod ultima differentia erit tota substantia rei et tota definitio. Includit enim in se omnes praecedentes particulas. Quod enim in differentia includatur genus, ostensum est ex hoc quod genus non est sine differentiis. Sed quod ultima includat omnes praecedentes, palam est ex hoc, quod nisi hoc dicatur, sequitur quod oporteat "in terminis" id est definitionibus multoties eadem dicere. Et hoc erit superfluum et nugatorium » (Φανερὸν ὅτι ἡ τελευταία διαφορὰ ἡ οὐσία τοῦ πράγματος ἔσται καὶ ὁ ὁρισμός, εἴπερ μὴ δεῖ πολλάκις ταὐτὰ λέγειν ἐν τοῖς ὅροις: 1038 a 19. *S. Thom.* in l. c. lect. 12 n. 1555 sq.). De praecisione obiectiva *S. Thomas* aperte loquitur : « Non oportet secundum diversas rationes vel intentiones logicas, quae consequuntur modum intelligendi, diversitatem in rebus naturalibus accipere : qui ratio unum et idem secundum diversos modos apprehendere potest. Quia igitur . . . anima intellectiva virtute continet id quod sensitiva habet, et adhuc amplius ; potest seorsum ratio considerare quod pertinet ad virtutem sensitivae, quasi quoddam imperfectum et materiale. Et quia hoc invenit commune homini et aliis animalibus, ex hoc rationem generis format. Id vero in quo anima intellectiva sensitivam excedit, accipit quasi formale et completivum, et ex eo format differentiam hominis » (S. th. I 76, 3 ad 4). Item : « Quod est commune multis, non est aliquid praeter multa nisi sola ratione : sicut animal non est aliud praeter Socratem et Platonem et alia animalia nisi intellectu qui apprehendit formam animalis exspoliatam ab omnibus individuantibus et specificantibus ; homo enim est quod vere est animal ; alias sequeretur quod in Socrate et Platone essent plura animalia, scil. ipsum animal commune, et homo communis, et ipse Plato . . . Id quod commune est vel universale sine additione esse non potest, sed sine additione consideratur : non enim animal potest esse absque rationali vel irrationali differentia, quamvis absque his differentiis cogitetur. Licet etiam cogitetur universale absque additione, non tamen absque receptibilitate additionis : nam si animali nulla differentia addi posset, genus non esset ; et similiter est de omnibus aliis nominibus » (C. g. I 26 ; cf. Ver. 3, 8 ad 2).

Thesis 8 : *Naturae secundum se convenit unitas formalis negativa tantum, i. e. negatio divisionis per principia formalia ; ideo secundum se est negative communis tantum, natura autem prout est in singularibus et prout est in intellectu habet unitatem positivam : in singularibus unitatem singularitatis, in intellectu autem universalitatis.*

123. St. qu. 1. Unitas seu unum est ens indivisum. Dicit igitur aliquid positivi, entitatem, et aliquid negativi, negationem divisionis seu indivisionem. Haec est illud formale, quod unitas addit entitati. Quare ex diverso modo negandi divisionem diversus etiam modus unitatis resultat. Exinde distinguimus unitatem numericam, quae est indivisio seu carentia divisionis ex parte principiorum materialium, et unitatem formalem, quae est carentia divisionis ex parte principiorum formalium, quae constituunt quidditatem. Ipsa unitas formalis potest esse generica tantum aut specifica. Attamen ut resultet non solum diversus modus unitatis, sed diversa unitas

absolute, oportet ut non solum habeatur diversus modus negandi divisionem, sed etiam diversa entitas positiva.

Ita in uno eodemque homine possumus distinguere diversas unitates negative seu diversos modos negandi divisionem : unitatem numericam et formalem, quae tamen non sunt nisi una unitas positive et absolute.

Unitas conveniens pluribus dicitur communitas ; quatenus unitas est positiva aut negativa, etiam communitas positiva et negativa dicitur.

2. Natura potest considerari in triplici statu : *a)* secundum se ; tunc non considerantur nisi praedicata essentialia seu ea quae ad definitionem pertinent, ceteris neque inclnsis neque exclusis ; quare status iste dicitur etiam status indifferentiae, quia in eo natura indifferenter se habet ad praedicata accidentalia ; *b)* prout est in singularibus, secundum esse quod natura habet a parte rei in singularibus ; *c)* prout est in intellectu, secundum statum abstractionis, quem obtinet ex praecisione intellectus.

3. Docet Scotus, innixus distinctioni actuali formali ex natura rei inter naturam et haecceitatem, unitatem formalem positivam convenire naturae secundum se, quae proinde communicata cum singularibus positive communis esset. Hanc unitatem formalem minorem tamen dicit unitate numerica, quia non est ita indivisa sicut ista [1], et a parte rei coniunctam cum unitate numerica. Quare non obstante unitate et communitate formali positiva naturam (seu unitatem formalem) nihilominus multiplicari in individuis docet.

124. Prob. th. I p. : Naturae secundum se convenit unitas formalis negativa tantum. Ex eo quod natura secundum se non tollit divisionem ex parte principiorum materialium : Unitas positiva est absoluta, non secundum quid tantum. Atqui unitas formalis, quae convenit naturae secundum se, non est absoluta. Ergo naturae secundum se convenit unitas formalis negativa tantum.

Prob. min. Illa unitas non est absoluta, quae non omni ex parte tollit divisionem seu multiplicationem. Atqui unitas formalis, quae convenit naturae secundum se, non omni ex parte tollit divisionem seu multiplicationem. Nam tollit tantummodo divisionem ex parte principiorum formalium, non vero ex parte principiorum materialium. Hanc enim neque includit neque excludit ; nam si excluderet, non posset numerice multiplicari ; si includeret, numquam posset esse una.

Prob. II p. : Natura secundum se est negative communis tantum. Ex unitate negativa : Communitas positiva est absoluta, non secundum quid tantum. Atqui communitas formalis, quae convenit naturae

---

[1] Nam dividitur et multiplicatur in individuis.

secundum se, non est absoluta. Ergo natura secundum se est negative communis tantum.

Prob. min. sicut supra.

Prob. III p.: Natura prout est in singularibus et prout est in intellectu habet unitatem positivam: in singularibus unitatem singularitatis, in intellectu universalitatis. Ex indivisibilitate: Illa natura habet unitatem positivam, quae habet unitatem absolutam, ita ut nequeat ulterius dividi. Atqui natura, tum in singularibus tum in intellectu, habet unitatem absolutam, ita ut nequeat ulterius dividi. Ergo natura, tum in singularibus tum in intellectu, habet unitatem positivam.

Prob. min. Natura in singularibus non potest ulterius dividi, quia est ultimo divisa per principia materialia; natura autem prout est in intellectu non potest ulterius dividi, quia respuit divisionem per principia materialia.

125. Schol. 1. Unitas formalis negativa, quae convenit naturae secundum se, etiam ad singularia descendit tamquam communitas formalis negativa. Etiam a parte rei in singularibus convenit naturae unitas et communitas formalis negativa seu secundum quid: Natura una eademque est in omnibus secundum quid sive generice sive specifice. Haec communitas negativa a parte rei convenientia dicitur seu similitudo (fundamentalis) et est fundamentum relationis (realis) convenientiae seu similitudinis.

2. Utriusque thesis ultimae doctrinam summatim ita proponere possumus: Sicut dici potest naturam formaliter manere in singularibus communem negative, non absolute et in actu, et sicut manet una formaliter negative, non positive, sic datur distinctio formalis negative, non positive, i. e. ex vi conceptus proprii unum non est idem cum alio seu est distinctum ab illo, sicut ex principiis speciei est unum seu non distinctum. Ita est in omnibus individuis humanis una eademque humanitas omnibus communis negative, distincta formaliter negative a differentia numerica. Similiter in omnibus animalibus est una eademque animalitas omnibus communis negative, distincta formaliter negative a differentiis specificis, a rationalitate et a diversis differentiis animalium brutorum.

126. Obi. *Contra I (et II) p.* 1. Hoc est unum positive, quod revera respuit divisionem. Atqui natura secundum se revera respuit divisionem. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod respuit divisionem simpliciter et absolute, *conc.;* quod respuit divisionem secundum quid tantum seu ex parte principiorum formalium, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui natura secundum se respuit divisionem simpliciter. *Probo.* Quod est idem in omnibus, respuit divisionem simpliciter. Atqui natura secundum se est eadem in omnibus. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod est idem in omnibus positive seu commune positive, *conc.;* quod est commune negative tantum, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui natura secundum se est communis positive. *Probo.* Natura est

communis positive, quae est distincta a differentia numerica. Atqui natura secundum se est distincta a differentia numerica. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quae est distincta actu seu distinctione formali positiva, *conc.;* virtualiter seu distinctione formali negativa, *nego. Contradist. min.*

Contra III p. a) Natura prout est in singularibus, non habet unitatem positivam. Non habet unitatem positivam, quod potest ulterius dividi. Atqui natura prout est in singularibus, potest ulterius dividi. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod potest dividi logice seu communicari cum pluribus inferioribus, et multiplicari in eis, *conc.;* quod potest dividi physice, *nego. Contradist. min.*

b) Natura prout est in intellectu, non habet unitatem positivam. 1. Quod respicit inferiora tamquam communicabile cum eis, non habet unitatem positivam. Atqui natura prout est in intellectu, respicit inferiora tamquam communicabilis cum eis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Tamquam communicabile ratione ipsius formae universalitatis, *conc.;* tamquam communicabile ratione materiae tantum, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui natura prout est in intellectu, respicit inferiora tamquam communicabilis cum eis ratione ipsius formae universalitatis. *Probo.* Natura, quae non fit communicabilis nisi propter abstractionem, respicit inferiora tamquam communicabilis cum eis ratione formae universalitatis. Atqui natura prout est in intellectu non fit communicabilis nisi propter abstractionem. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quatenus abstractio est conditio communicabilitatis, *nego;* quatenus esset id quod communicatur, *conc. Contradist. min.:* Id est: status abstractionis et universalitatis est conditio communicabilitatis, *conc.;* est id quod communicatur, *nego.*

Bibliographia. *J. Petrin,* Univocité et analogie dans les lois de la logique, Ag 26 (1949) 233–249.

Ad 124. *S. Thomas* in De ente et ess. c. 4[1] quaerens, quomodo in substantiis compositis essentia se habeat ad rationem generis, speciei, differentiae, haec statuit: « Ratio generis vel speciei [convenit] essentiae secundum quod significatur per modum totius ut nomine hominis vel animalis, prout implicite et indistincte continet totum hoc, quod in individuo est. Natura autem vel essentia sic accepta potest dupliciter considerari: uno modo, secundum rationem propriam, et haec est absoluta consideratio ipsius. Et hoc modo nihil est verum de ea nisi quod convenit sibi secundum quod huiusmodi. Unde quidquid aliorum sibi attribuitur falsa est attributio: v. g. homini in eo quod est homo convenit rationale et animal et alia, quae in definitione eius cadunt. Album vero vel nigrum vel quidquid huiusmodi, quod non est de ratione humanitatis, non convenit homini in eo quod est homo. Unde si quaeratur utrum ista natura sic considerata possit dici una vel plures, neutrum concedendum est, quia utrumque est extra intellectum humanitatis, et utrumque potest sibi accidere. Si enim pluralitas esset de intellectu eius, numquam posset esse una, cum tamen una sit secundum quod est in Socrate. Similiter, si unitas esset de intellectu eius, tunc esset una et eadem natura Socratis et Platonis, nec posset in pluribus plurificari. Alio modo consideratur secundum esse quod habet in hoc vel in illo, et sic de ipsa aliquid praedicatur per accidens ratione eius, in quo est, sicut dicitur quod homo est albus, quia Socrates est albus, quamvis hoc non conveniat homini in eo quod est homo. Haec autem natura duplex habet esse: unum in singularibus, aliud in anima; et secundum utrumque consequuntur dictam naturam accidentia. Et in singularibus multiplex habet esse secundum singularium diversitatem et tamen ipsi naturae secundum propriam suam considerationem scil. absolutam nullum

[1] Citatur sec. ed. *L. Baur,* Monasterii 1933.

istorum esse debetur. Falsum enim est dicere quod natura hominis inquantum huiusmodi habeat esse in hoc singulari . . . Patet ergo quod natura hominis absolute considerata abstrahit a quolibet esse, ita tamen quod non fiat praecisio alicuius eorum. Et haec natura sic considerata est quae praedicatur de individuis omnibus. Non tamen potest dici quod ratio universalis conveniat naturae sic acceptae, quia de ratione universalis est unitas et communitas. Naturae autem humanae neutrum horum convenit secundum suam absolutam considerationem. Si enim communitas esset de intellectu hominis, tunc in quocumque inveniretur humanitas inveniretur communitas. Et hoc falsum est, quia in Socrate non invenitur communitas aliqua, sed quidquid est in eo individuatum est. Similiter etiam non potest dici quod ratio generis vel speciei accidat naturae humanae secundum esse quod habet in individuis ; quia non invenitur in individuis natura humana secundum unitatem, ut sit unum quid omnibus conveniens, quod ratio universalis exigit. Relinquitur ergo quod ratio speciei accidat naturae humanae secundum illud esse quod habet in intellectu. Ipsa enim natura humana habet esse in intellectu abstractum ab omnibus individuantibus, et ideo habet rationem uniformem ad omnia individua, quae sunt extra animam, prout aequaliter est similitudo omnium et inducens in cognitionem omnium inquantum sunt homines. Et ex hoc quod talem relationem habet ad omnia individua, intellectus adinvenit rationem speciei et attribuit sibi. Unde dicit Commentator in I De anima, quod intellectus est qui agit universalitatem in rebus ; hoc etiam dicit Avicenna in sua Metaphysica [V c. 2]. Et quamvis haec natura intellecta habeat rationem universalis secundum quod comparatur ad res extra animam, quia est una similitudo omnium, tamen secundum quod habet esse in hoc intellectu vel in illo, est species quaedam intellecta particularis. » (Alia ex eodem cap. v. infra ad 135)

Thesis 9 : *Aptitudo seu non-repugnantia ad essendum in multis, quae est fundamentum proximum intentionis universalitatis, non invenitur in natura secundum se neque in natura ut contracta in individuis, sed in natura abstracta tantum et praecisa per intellectum.*

127. St. qu. 1. Fundamentum proximum intentionis universalitatis est unitas referibilis ad multa seu communicabilitas. Hanc intelligimus nomine aptitudinis ad essendum in multis: capacitatem naturae, ut multiplicetur in multis et sit in illis per identitatem et consequenter praedicetur de illis, quatenus universale et particulare, superius et inferius significant idem totum, universale quasi indeterminatum et abstractum, particulare vero ut determinatum et concretum. Et quia indeterminatum potest fieri determinatum, dicitur habere aptitudinem, ut sit in illo et praedicetur de illo.

Haec aptitudo potest considerari formaliter et positive, inquantum respicit inferiora, vel fundamentaliter pro capacitate seu non-repugnantia ad respiciendum inferiora. Si sumitur formaliter, est ipsa universalitas in actu seu relatio universalitatis.

2. Doctrinam Scoti, quam thesi praec. exhibuimus, aliqui Scotistae, ut Mastrius († 1673), ita explicant, ut dicant naturae secundum se convenire non-repugnantiam seu capacitatem essendi in pluribus (communicabilitatem) ; quam capacitatem ad singularia descendere dicunt, ita tamen ut haecceitatibus superadditis sit quasi impedita et ligata.

128. Prob. th. Ex eo quod soli naturae abstractae convenit unitas positiva communicabilitatis : Aptitudo ad essendum in multis est unitas referibilis ad multa et communicabilis cum illis. Atqui haec unitas non invenitur neque in natura secundum se neque in natura ut contracta in individuis, sed in natura abstracta tantum. Ergo in natura abstracta tantum invenitur aptitudo ad essendum in multis.

Prob. min. Haec unitas est unitas positiva communicabilitatis ; universale enim unum est positive et commune pluribus. Atqui haec unitas positiva communicabilitatis non invenitur neque in natura secundum se, quae non est una nisi negative, neque in natura ut contracta in individuis, quae una est unitate singularitatis, quae respuit communicabilitatem, ut patet ex definitione individui (cf. n. 153) ; invenitur autem in natura abstracta : natura enim abstracta est una positive propter abstractionem, qua relinquit differentias inferiorum ; at propter eandem abstractionem etiam communicabilis est cum inferioribus, a quibus est assumpta.

129. Schol. Quia universale metaphysicum est natura ab inferioribus abstracta, ideo haec inferiora quasi transcendentaliter respicit tamquam terminum a quo relictum et tamquam ea, ad quae pertinet ; pertinet enim ad ea, a quibus assumpta est ; atque in hac transcendentali relatione consistit ipsa aptitudo ad essendum in multis, quae convenit universali metaphysico. Quare tum universale metaphysicum tum logicum respiciunt seu conotant inferiora, sed metaphysicum tamquam terminum a quo relictum, logicum tamquam terminum ad quem comparatur.

130. Obi. *a)* Natura secundum se est apta, quae sit in multis. 1. Natura, quae non est singularis, est apta quae sit in multis. Atqui natura secundum se non est singularis. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Quae non est singularis positive (i. e. quae abstrahit a singularitate), *conc. ;* quae non est singularis mere negative (i. e. non excludit neque includit singularitatem), *nego. Contradist. min.*

2. Atqui natura secundum se, positive non est singularis. *Probo.* Natura distincta a singularitate, positive non est singularis. Atqui natura secundum se est distincta a singularitate. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Distincta actualiter, *conc. ;* virtualiter, *nego. Contradist. min.*

b) Aptitudo seu non-repugnantia ad essendum in multis non invenitur in natura abstracta. 1. In natura abstracta non invenitur communicabilitas. Atqui communicabilitas est aptitudo ad essendum in multis. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Communicabilitas ratione formae abstractionis, *conc. ;* ratione materiae, *nego. Contradist. min.* (cf. n. 135).

2. Atqui natura abstracta nullo modo est communicabilis cum inferioribus. *Probo.* Nullo modo est communicabile cum inferioribus, quod non identificatur cum inferioribus. Atqui natura abstracta non identificatur cum inferioribus. Ergo. *Resp. Conc. mai. ; dist. min. :* Natura abstracta abstractione formali, *conc. ;* abstractione totali, *nego. Dist. consq.* (cf. n. 138).

3. Atqui neque natura abstracta abstractione totali identificatur cum inferioribus. *Probo.* Natura sine differentia non identificatur cum inferioribus. Atqui natura abstracta (etiam ea quae est abstracta abstractione totali) est

natura sine differentia. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Natura quae non explicat differentiam, eam tamen continet implicite et potentialiter, *nego* ; natura quae ne implicite et potentialiter quidem continet differentiam, *conc. Contradist. min.* (cf. l. c.).

Ad 128. Cf. text. cit. ad 124.

§ 2. De causa universalis

Thesis 10 : *Universale metaphysicum fit per actum absolutum abstrahentem naturam ab inferioribus tam abstractione negativa quam positiva ; ex qua abstractione conveniunt naturae, etiam antequam sit universale logicum, unitas praecisionis et aptitudo ad essendum in multis, quae sunt fundamentum proximum relationis universalitatis. Universale autem logicum fit per actum comparativum, non per modum compositionis seu inclusionis actualis in inferioribus, sed per modum inclusionis aptitudinalis seu simplicis apprehensionis, qua cognoscitur natura cum ordine et respectu ad inferiora.*

131. St. qu. 1. Actus cognitionis est aut absolutus aut comparativus. Actus absolutus seu abstractio (late sumpta) non comparat neque ordinat unum ad aliud, sed rem ipsam cognoscit secundum se absolute, i. e. absolutam seu abstractam a quacumque relatione ad aliud. Actus comparativus seu comparatio est cognitio ordinans unum ad aliud seu cognoscens unum cum ordine ad aliud.

Actus absolutus seu abstractio duplex est : negativa et positiva. Negativa est, cum unum absolvitur ab ordine ad aliud pure negative, quatenus accipitur, omni alio ad quod poterat ordinari omisso ; positiva est, cum unum absolvitur seu abstrahitur ab alio positive seu privative, quatenus intellectus accipit unum separando ab alio cum cognitione utriusque termini.

Si haec applicantur universali seu naturae abstractae ab inferioribus, de qua agimus, abstractio negativa est, quae assumit unam naturam, omissis conditionibus individuantibus et circa illas negative se habendo ; abstractio positiva est illa, quae separat naturam a conditionibus individuantibus non pure omittendo et relinquendo individua seu differentias individuales, sed cognoscendo id quod relinquit et id quod assumit et consequenter cognoscendo distinctionem inter unum et aliud.

Actus comparativus intellectus potest sumi dupliciter : *a)* ut pertinet ad secundam et tertiam operationem intellectus, *b)* ut pertinet ad primam, per quam unum non attribuitur alteri neque deducitur ex alio, sed tamen cognoscitur unum ut ordinatum ad aliud et non in se absolute, sicut relatio cognoscitur simplici apprehensione, cum concipitur vel definitur. Cognitione secundae operationis attribuitur aliquid subiecto tamquam praedicatum, et ita hoc actu comparativo

potest praedicari natura de inferioribus et potest etiam ipsa universalitas praedicari de natura, quam denominat tamquam forma (natura est universalis). At vero per comparationem primae operationis non attenditur attributio praedicati ad subiectum, sed cognoscitur natura ut respiciens terminum, ad quem ordinatur.

Ex dictis patet comparationem dici per ordinem ad terminum ad quem, abstractionem vero per ordinem ad terminum a quo.

2. Inter auctores aliqui absolute docent fieri universale per actum abstractionis; ita Durandus (ca. 1270—1334), Toletus (1532—1596). Secundum Scotum solo actu abstractionis non potest effici nisi universale metaphysicum, ad universale vero formale habendum requiritur insuper actus comparativus. Similiter Suárez et alii, distinguendo inter universale metaphysicum et logicum, docent illud fieri per solum actum abstractionis, ad hoc vero efficiendum requiri comparationem.

132. Prob. th. I p.: Universale metaphysicum fit per actum absolutum abstrahentem naturam ab inferioribus tam abstractione negativa quam positiva. Ex notione universalis metaphysici: Universale metaphysicum est natura ab inferioribus abstracta. Atqui natura ab inferioribus abstracta fit per actum absolutum abstrahentem naturam ab inferioribus tam abstractione negativa quam positiva; quod ex omnibus iis, quae disputata sunt circa universalia et praecisiones obiectivas, iam patet. Ergo universale metaphysicum fit per actum absolutum abstrahentem naturam ab inferioribus tam abstractione negativa quam positiva.

Prob. II p.: Ex hac abstractione conveniunt naturae, etiam antequam sit universale logicum, unitas praecisionis et aptitudo ad essendum in multis, quae sunt fundamentum proximum relationis universalitatis. Ex statu abstractionis: Per abstractionem ab inferioribus natura relinquit differentias inferiorum seu multitudinem eorum retinendo convenientiam cum eis (cf. n. 129). Atqui naturae, quae relinquit differentias inferiorum seu multitudinem eorum retinendo convenientiam cum eis, conveniunt unitas praecisionis et aptitudo ad essendum in multis, quae sunt fundamentum proximum relationis universalitatis. Ergo per abstractionem ab inferioribus naturae conveniunt unitas praecisionis et aptitudo ad essendum in multis, quae sunt fundamentum proximum relationis universalitatis.

Prob. III p.: Universale logicum fit 1. per actum comparativum, 2. non per modum compositionis seu inclusionis actualis in inferioribus, sed 3. per modum inclusionis aptitudinalis seu simplicis apprehensionis, qua cognoscitur natura cum ordine et respectu ad inferiora. Quoad 1. Ex natura universalis logici: Universale logicum est relatio rationis (naturae ad inferiora). Atqui relatio rationis fit per

actum comparativum intellectus. Ergo universale logicum fit per actum comparativum intellectus.

Mai. patet ex definitione universalis logici.

Prob. min. Relatio rationis est ordinatio, quam intellectus affigit subiecto (i. e. naturae) relate ad terminum (i. e. ad inferiora). Ordinatio autem, quam intellectus affigit subiecto relate ad terminum, fit per actum comparativum intellectus, quo intellectus comparat subiectum cum termino.

Prob. III p. quoad 2. *Arg. I.* Ex natura relationis, quae convenit universali per ordinem ad inferiora : Comparatio, quae fit per modum compositionis seu inclusionis actualis in inferioribus, solum efficit relationem praedicati ad subiectum. Atqui relatio praedicati ad subiectum omnino diversa est a relatione universalis ad inferiora. Ergo relatio universalis ad inferiora non fit per modum compositionis.

Mai. patet ex Logica formali, *min.* ex terminis.

Arg. II. Ex eo quod iudicium iam supponit relationem universalis ad inferiora : Illa comparatio non fit per modum compositionis seu iudicii, i. e. inclusionis actualis in inferioribus, quae ad compositionem seu iudicium faciendum supponitur. Atqui relatio universalis ad inferiora ad compositionem seu iudicium faciendum iam supponitur. Ergo non fit per modum compositionis seu iudicii.

Prob. min. Iudicium seu praedicatio supponit praedicabilitatem (sicut actus potentiam), praedicabilitas autem (utpote passio universalitatis) supponit universalitatem seu relationem ad inferiora (cf. n. 26).

Prob. III p. quoad 3. Per exclusionem : Comparatio omnis non fit nisi aut per modum simplicis apprehensionis seu inclusionis aptitudinalis aut per modum compositionis. Atqui haec comparatio, qua fit universale logicum, non fit per modum compositionis seu inclusionis actualis. Ergo fit per modum simplicis apprehensionis.

Maioris disiunctio patet ex st. qu., *min.* ex probatione partium antecedentium.

133. Schol. 1. Quomodo intellectus possit facere intentiones universalitatis et praedicabilitatis. Universale metaphysicum seu natura abstracta conotat inferiora tamquam terminum a quo relictum (cf. n. 129). Intellectus, advertendo ad id quod conotative continetur in natura abstracta, facit universale logicum [1]. Nam hac ipsa advertentia concipit naturam, comparando eam cum inferioribus tamquam pertinentem ad ea ut identificatam cum illis (unum in multis). Intentionem autem universalitatis statim

[1] Hoc advertere est aliqua reflexio (improprie dicta), et ideo universale logicum etiam reflexum dicitur

sequitur praedicabilitatis intentio. Ex eo enim, quod intellectus intelligit naturam tamquam in multis, devenit statim ad intelligendam eam tamquam praedicabilem de multis, quo proxime aptus constituitur ad praedicationem ipsam exercendam seu ad faciendas intentiones subiecti et praedicati.

2. Ad faciendum universale logicum non requiritur, ut universalitatis intentio in actu signato cognoscatur ut « quod » et attribuatur naturae, quam denominat ; haec enim speculatio logica est circa universalitatem, quae proinde iam supponitur constituta (cf. n. 111, 4), sed sufficit, ut natura cognoscatur tamquam pertinens ad inferiora, quo ipso universalitatis intentio cognoscitur in actu exercito. Idem notetur de secundis intentionibus omnibus : ad eas constituendas non requiri, ut cognoscantur reflexe ut « quod » et attribuantur subiecto, quod denominant, sed sufficere, ut unus terminus apprehendatur per ordinem ad alium. Ita ad constituendas intentiones subiecti et praedicati satis est terminos mente ad invicem referre per modum subiecti et praedicati.

3. Abstractio negativa insuper distingui potest intellectus agentis et intellectus possibilis. Abstractio negativa intellectus possibilis est actus cognitionis, quo concipitur seu cognoscitur natura sine conditionibus individuantibus ; abstractio intellectus agentis non est cognitio, sed processus praevius cognitioni, quo producitur species impressa, quae est principium cognitionis (cf. n. 571). Haec species impressa, abstractione intellectus agentis producta, iam repraesentat universale metaphysicum, quamquam hoc nondum est cognitum ab intellectu possibili.

134. Obi. *Contra I p.* 1. Quod respicit inferiora, non fit per actum absolutum. Atqui universale metaphysicum respicit inferiora. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Quod respicit inferiora tamquam terminum a quo relictum, *nego ;* tamquam terminum ad quem comparatur, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui universale metaphysicum respicit inferiora tamquam terminum ad quem comparatur. *Probo.* Quod denominatur ab aliqua relatione, actualiter ea afficitur ac proinde respicit terminum eius tamquam terminum ad quem comparatur. Atqui universale metaphysicum denominatur a relatione ad inferiora (dicitur enim « universale », i. e. versus alia seu inferiora). Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Quod denominatur a relatione reali, *conc. ;* a relatione rationis, *subdist. :* Semper actualiter hac relatione afficitur, *nego ;* aliquando, *conc. Contradist. min. :* Denominatur tamquam a relatione reali, *nego ;* tamquam a relatione rationis, *conc.* (cf. n. 111, 3).

3. Atqui universale, quod denominatur a relatione rationis ad inferiora, actualiter hac relatione afficitur. *Probo.* Cui convenit aptitudo ad essendum in inferioribus, relatione ad inferiora actualiter afficitur. Atqui universali metaphysico convenit aptitudo ad essendum in inferioribus. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Cui convenit haec aptitudo formaliter et positive, *conc. ;* cui convenit fundamentaliter tantum, *nego. Contradist. min.*

4. Atqui universali metaphysico convenit haec aptitudo formaliter et positive. *Probo.* Ei convenit haec aptitudo formaliter et positive, quod est unum in multis. Atqui universale metaphysicum est unum in multis. Ergo. *Resp.*

Dist. mai. : Quod est unum in multis formaliter et positive (unum quod actu respicit multa), *conc.* ; unum in multis fundamentaliter tantum (unum quod potest respicere multa), *nego. Contradist. min.*

Contra II p. 1. Aut naturae convenit unitas, et tunc ei non convenit aptitudo ad essendum in multis — aut convenit aptitudo ad essendum in multis, et tunc non convenit unitas. Ergo. *Resp. Dist. anteced.* : Si haec unitas non esset unitas communicabilitatis, *conc.* ; si est unitas communicabilitatis, *nego. Dist. consq.*

2. Atqui natura abstracta nullo modo est una. *Probo.* Nullo modo est unum, quod est desumptum a multis. Atqui natura abstracta est desumpta a multis. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quod est desumptum a multis relinquendo differentias, *nego* ; non relinquendo differentias, *conc. Contradist. min.*

3. Atqui natura, quae dicitur abstracta, non relinquit differentias inferiorum. *Probo.* Non relinquit differentias inferiorum, quod oritur ex associatione similium. Atqui natura, quae dicitur abstracta, oritur ex associatione similium. Ergo. *Resp. Conc. mai.* ; *dist. min.* : Natura abstracta per praecisionem obiectivam, *nego* ; per praecisionem formalem, *conc. Dist. consq.*

4. Atqui non datur abstractio per praecisionem obiectivam. *Probo.* Si abstractio iam supponit abstractionem seu naturam abstractam, cognitam ab intellectu, non datur abstractio. Atqui abstractio iam supponit abstractionem etc. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Si abstractio positiva iam supponit abstractionem, *nego* ; abstractio negativa, quae fit mediante intellectu agente, *conc. Contradist. min.*

Contra III p. 1. Unum in multis non fit simplici apprehensione, qua cognoscitur natura cum ordine ad inferiora. Atqui universale est unum in multis. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Unum in multis non multiplicatum in eis, *conc.* ; multiplicatum, *nego. Contradist. min.* (cf. n. 114, 1).

2. Atqui universale non est unum in multis multiplicatum in eis. *Probo.* Unum in multis multiplicatum in eis est absurdum. Atqui universale non est absurdum. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Unum et multa sub eodem respectu, *conc.* ; sub diverso respectu, i. e. unum in intellectu, multa a parte rei, *nego. Conc. min.* ; *dist. consq.*

3. Atqui universale, quod est unum in multis, i. e. unum in intellectu, multa a parte rei, non fit simplici apprehensione etc. *Probo.* Non fit simplici apprehensione, quod fit actu comparativo. Atqui universale, quod est unum in multis, i. e. unum in intellectu, multa a parte rei, fit actu comparativo. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quod fit actu comparativo, quo unum attribuitur alteri, *conc.* ; quod fit actu comparativo, quo unum apprehenditur cum ordine ad alterum, *nego. Contradist. min.*

4. Atqui simplex apprehensio non apprehendit naturam cum ordine ad inferiora. *Probo.* Actus, qui relinquit inferiora, non apprehendit naturam cum ordine ad inferiora. Atqui simplex apprehensio relinquit inferiora. Ergo. *Resp. Conc. mai.* ; *dist. min.* : Simplex apprehensio directa, *conc.* ; reflexa, qua intellectus advertit ad id, quod conotative continetur in conceptu directo, *nego. Dist. consq.*

A d 132. *S. Thomas* : « Sensus corporaliter et materialiter recipit similitudinem rei quae sentitur. Intellectus autem recipit similitudinem eius, quod intelligitur, incorporaliter et immaterialiter. Individuatio autem naturae communis in rebus corporalibus et materialibus est ex materia corporali sub determinatis dimensionibus contenta; universale autem est per abstractionem ab huiusmodi materia et materialibus conditionibus individuantibus. Manifestum est igitur quod similitudo rei recepta in sensu repraesentat rem, secundum quod est singularis; recepta autem in intellectu repraesentat rem secundum rationem universalis naturae, et inde est quod sensus cognoscit singularia, intellectus vero univer-

salia, et horum sunt scientiae. Circa secundum vero considerandum est quod universale potest accipi dupliciter. Uno modo potest dici universale ipsa natura communis, prout subiacet intentioni universalitatis. Alio modo secundum se. Sicut et album potest accipi dupliciter : vel id, cui accidit esse album, vel ipsummet, secundum quod subest albedini. Ista autem natura, cui advenit intentio universalitatis, puta natura hominis, duplex habet esse : unum quidem materiale, secundum quod est in materia naturali, aliud autem immateriale, secundum quod est in intellectu. Secundum igitur quod habet esse in materia naturali, non potest ei advenire intentio universalitatis, quia per materiam individuatur. Advenit igitur ei universalitatis intentio, secundum quod abstrahitur a materia individuali » (In De an. II lect. 12 n. 377 sq. ; cf. S. th. I 79, 3 ; Op. Sum. tot. Log., tract. 1 c. 1 et 2 ; De ente et ess. c. 4 [supra ad 124]). Ad III p. : « Aliquando respectus significatus per ea quae dicuntur ad aliquid, est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis unum alteri : et tunc est relatio rationis tantum ; sicut cum comparat ratio hominem animali, ut speciem ad genus » (S. th. I 28, 1). « Quandoque enim attribuitur ei sic considerato [sc. universali, "secundum sententiam Aristotelis, secundum esse quod habet in intellectu"] aliquid, quod pertinet ad solam operationem intellectus, ut si dicatur, quod homo est praedicabile de multis, sive universale, sive species. Huiusmodi enim intentiones format intellectus attribuens eas naturae intellectae, secundum quod comparat ipsam ad res, quae sunt extra animam » (In Perih. I lect. 10 n. 9).

§ 3. De praedicatione universalis

135. Sitne natura, cum actu praedicatur de singularibus, adhuc universalis. Respondetur : ita ; nam natura abstracte concepta, quae est apta ad essendum in multis (universale metaphysicum), immo cuius aptitudo ad essendum in multis positive consideratur [1] (universale logicum), praedicatur seu dicitur identificari cum subiecto. Proprium est enim naturae universali esse praedicabilem de multis (cf. n. 114—117). At universale non praedicatur seu non dicitur esse in singularibus ratione formae universalitatis, sed ratione materiae seu naturae, quae in intellectu est circumvestita forma universalitatis. Haec forma non praedicatur, est tamen conditio praedicabilitatis.

136. Quid sit praedicatio formaliter et fundamentaliter sumpta. Praedicatio late idem est quod enuntiatio ; stricte est enuntiatio illa, qua attribuitur subiecto praedicatum universale. Haec vocatur praedicatio logica. Formalis ratio praedicationis est coniunctio extremorum, subiecti et praedicati. Haec si logice consideratur, relatio rationis est, qua subiectum et praedicatum inter se referuntur tamquam convenientia aut disconvenientia.

Fundamentum huius relationis est identitas seu convenientia subiecti et praedicati, si praedicatio est affirmativa ; disconvenientia, si est negativa.

---

[1] non ut « quod », non in actu signato, sed in actu exercito (cf. n. 133, 2).

137. Quotuplex sit praedicatio. Praedicatio est aut identica aut formalis. Praedicatio identica ea est, in qua idem praedicatur de seipso vel synonymum de synonymo: Homo est homo; gladius est ensis. In hac praedicatione tautologica subiectum et praedicatum sunt idem materialiter et formaliter. Praedicatio est formalis, cum subiectum et praedicatum non sunt idem formaliter. In sola praedicatione formali habetur proprie iudicium et enuntiatio, qua aliquid enuntiatur seu iudicatur, cum S determinatur per P (cf. n. 26). Praedicatio formalis est aut directa aut indirecta; directa est ea, in qua ut subiectum ponitur id, quod revera subiectum est, in qua proinde superius praedicatur de inferiore, definitio de definito, accidens de subiecto; quodsi iste ordo naturalis invertitur, dicitur praedicatio indirecta (cf. n. 39). Praedicatio directa est aut essentialis aut accidentalis, quatenus praedicatum convenit aut non convenit subiecto ratione ipsius essentiae subiecti.

138. Quomodo habeatur identitas materialis in praedicatione formali, cum praedicatur universale de inferioribus suis. Duplex est abstractio: abstractio universalis a particulari, quae a Caietano (1469—1534) dicitur totalis, et abstractio formae a materia, quae a Caietano dicitur formalis. Abstractio universalis a particulari ea est, qua universale superius, praedicabile de inferioribus, abstrahit ab eis seu a differentiis eorum; ita « homo » abstrahit a differentiis numericis, et « animal » a differentiis specificis. Abstractum hac abstractione se habet ad inferiora, a quibus abstractum est, tamquam totum includens ea implicite potentialiter: abstrahit non explicando differentias inferiorum, continendo tamen eas implicite potentialiter. Quare superius seu abstractum et inferius significant idem totum, hoc determinate, illud indeterminate, ac proinde stricta habetur identitas materialis in praedicatione formali, cum praedicatur universale de inferioribus suis. Abstractio formae a materia est abstractio partis a toto: abstractio formae a toto composito ex subiecto et forma. Est aut abstractio formae metaphysicae a supposito, ut humanitatis ab homine; aut accidentis a subiecto affecto hoc accidente, ut albedinis ab albo, virtutis a virtuoso (cf. n. 230, 2). Data hac abstractione, patet formam abstractam non esse praedicabilem de toto, neque totum de forma. Nam pars non est idem quod totum. Excipiuntur praedicationes de Deo et de transcendentalibus: Idem est Deus et Deitas; Deitas in se continet quamcumque entitatem, quare Deus nihil addit Deitati. Et Deus est sapientia eodem modo quo est sapiens, nam attributa Dei non constituunt totum accidentale. Idem est etiam ens et entitas, unum et unitas etc.; nam ens nihil addit entitati, quia entitas quamcumque entitatem actu in se includit. Hoc valet de omnibus transcendentalibus. Etiam de quantitate potest praedicari « quantum »: quantitas

est quanta. Nam quantitas, etiam separata a subiecto, habet partes, est totum quasi suppositum habens partes ; habens autem partes dicitur extensum et quantum. Sed quamquam forma non est praedicabilis de toto, potest tamen forma abstracta praedicari de formis abstractis subordinatis. Hoc simpliciter valet de formis accidentalibus : albedo est color, est qualitas etc. Sed valet etiam de formis substantialibus metaphysicis, si non sumuntur reduplicative : humanitas est animalitas ; at humanitas qua talis non est animalitas.

139. Quomodo praedicetur totum accidentale de sibi subordinatis. Non praedicatur tamquam totum compositum ex subiecto et accidente. Praedicatio : homo est albus, non significat : homo est homo et albedo ; ita S et P omnino non essent unum idemque. Id quod praedicatur, est forma accidentalis tantum ; praedicatur autem non tamquam a subiecto abstracta, sed conotando hoc subiectum : homo est subiectum albedine affectum. Forma accidentalis, quae hoc modo praedicatur conotando subiectum, potest praedicari de aliquo, vel quia habet identitatem cum illo ex parte formae, vel quia habet identitatem ex parte subiecti conotati. Si identificatio fit ratione formae, praedicatio est essentialis, ut si dicas : album est coloratum. Si vero identificatio fit ratione subiecti conotati, praedicatio est accidentalis et denominativa. Ita si dicitur : homo est albus, τὸ albus identificatur cum homine ratione subiecti, quod conotat ; importat enim habens albedinem, habens autem albedinem identificatur cum homine.

Bibliographia ad 138 : *M. Thiel*, De abstractione, Studia Anselmiana 7—8, Romae 1938, 99—119.

Ad 135 sqq. *S. Thomas :* « Quia naturae humanae secundum suam absolutam considerationem convenit quod praedicetur de Socrate, et ratio speciei non convenit sibi secundum suam absolutam considerationem, sed est de accidentibus, quae consequuntur eam secundum esse, quod habet in intellectu, ideo nomen speciei non praedicatur de Socrate, ut dicatur : "Socrates est species", quod de necessitate accideret, si ratio speciei conveniret homini secundum esse, quod habet in Socrate vel secundum suam absolutam considerationem scil. inquantum est homo. Quidquid enim convenit homini inquantum est homo praedicatur de Socrate. Et tamen praedicari convenit generi per se, cum in eius definitione ponatur. Praedicatio enim est quoddam, quod completur per actionem intellectus componentis et dividentis, habens fundamentum in re ipsam unitatem eorum, quorum unum de altero dicitur. Unde ratio praedicabilitatis potest claudi in ratione huius intentionis, quae est genus, quae similiter per actum intellectus completur. Nihilominus tamen id, cui intellectus praedicabilitatis intentionem attribuit componens unum cum altero, non est ipsa intentio generis, sed potius id, cui intellectus intentionem generis attribuit, sicut quod significatur hoc nomine "animal" » (De ente et ess. c. 4 ; cf. supra ad 124). « Duplex (est) abstractio per intellectum : una quidem secundum quod universale abstrahitur a particulari, ut animal ab homine ; alia vero secundum quod forma abstrahitur a materia, sicut forma circuli abstrahitur per intellectum ab omni materia sensibili. Inter has autem abstractiones haec est dif-

ferentia, quod in abstractione, quae fit secundum universale et particulare, non remanet in intellectu id a quo fit abstractio. Remota enim ab homine differentia rationali, non remanet in intellectu homo, sed solum animal. In abstractione vero quae attenditur secundum formam a materia, utrumque manet in intellectu. Abstrahendo enim formam circuli ab aere, remanet seorsum in intellectu nostro et intellectus circuli et intellectus aeris » (S. th. I 40, 3 c).

Quaestio II : *De praedicabilibus* [1].

§ 1. De divisione universalis in quinque praedicabilia

140. Quodnam sit divisum huius divisionis. Divisum huius divisionis est universale formaliter sumptum, i. e. ratione ipsius intentionis universalitatis et praedicabilitatis. Nam quinque praedicabilia : genus, species, differentia, proprium, accidens, sunt quinque modi, quibus natura aliqua respicere potest inferiora tamquam in eis exsistens : formalis ratio universalis, — et praedicabilis de ipsis : propria passio universalis. Praedicabile igitur est ipsum universale formaliter sumptum, quod « praedicabile » denominatur a propria universalis passione, quae est praedicabilitas. Quare quinque praedicabilia sunt quinque universalia seu quinque modi universalitatis, quibus unum (una natura) esse potest in multis seu convenire eis et consequenter de ipsis praedicari.

Universale materialiter sumptum, i. e. natura cui affigitur universalitatis intentio, dividitur in decem praedicamenta. De qua divisione sequenti quaestione agendum est.

141. Tum universale logicum tum metaphysicum dividitur in quinque praedicabilia. Non enim dividitur relatio, nisi dividatur fundamentum, immo relatio per fundamenta dividitur. Iam vero universale metaphysicum est fundamentum intentionis universalitatis.

142. Divisio universalis in quinque praedicabilia est adaequata. Praedicabilia sunt modi universalitatis seu praedicationis, i. e. modi, quibus superius aliquod inferiora sua respicere et de eis praedicari potest. Ergo tot sunt praedicabilia, quot sunt modi praedicationis ; iam vero tot sunt modi praedicationis, quot sunt modi conexionis extremorum, subiecti et praedicati ; praedicatio enim formaliter in extremorum coniunctione seu conexione consistit (cf. n. 136). Atqui modi conexionis extremorum sunt tantummodo hi quinque enumerati. Nam omnis conexio extremorum vel est essentialis (explicans aut totam essentiam aut partem) vel accidentalis (eaque vel intrinseca seu necessaria vel

[1] Veteres haec tradebant per modum commentarii in Εἰσαγωγήν Porphyrii.

extrinseca seu contingens). Praedicatum enim quodlibet aut significat essentiam (praedicatum essentiale) aut aliquid adveniens essentiae (praedicatum accidentale). Si praedicatum significat essentiam, vel significat totam essentiam — species, vel partem essentiae sive materialem (potentialem) — genus, sive formalem (actualem) — differentia. Si praedicatum significat aliquid adveniens essentiae, hoc est aut necessario adveniens — proprium, aut contingenter — accidens (i. e. accidens contingens seu accidens stricte et simpliciter dictum).

Nota. Individuum non est « praedicabile », quia non est « universale » ; de individuo tamen agimus hac quaestione § 4 tamquam de subiecto infimo praedicabilium omnium, quod subicitur omni praedicato superiori.

143. Divisio universalis in quinque universalia seu praedicabilia est univoca. Nam quinque praedicabilia, quantumcumque accidentaliter praedicantur, ut proprium et accidens, vere et univoce praedicantur de multis. Aliud enim est praedicationem esse secundum quid quantum ad entitatem, quam praedicat ; aliud esse secundum quid quantum ad universalitatem, secundum quam praedicatur.

144. Divisio universalis in quinque praedicabilia est per modum generis in species. Nam unaquaeque ex his quinque intentionibus ab altera differt specie, non numero tantum, ac proinde universale se habet ad eas sicut genus ad species suas.

Bibliographia ad 140—144 : *J. J. Toohey*, What are the Predicables?, NSch 10 (1936) 255—265.

Ad 140. *Porphyrius* in celeberrimo opere « Introductio in praedicamenta » Aristotelis (Εἰσαγωγὴ εἰς τὰς κατηγορίας) diserte de praedicabilibus agit, quorum notitiam necessariam dicit arti logicae ; inde opus suum his verbis exorditur : Ὄντος ἀναγκαίου, Χρυσαόριε [Chrysaorius, Porphyrii in re mathematica discipulus, a magistro introductionem hanc per litteras petiit], καὶ εἰς τὴν τῶν παρὰ Ἀριστοτέλει κατηγοριῶν διδασκαλίαν τοῦ γνῶναι τί γένος καὶ τί διαφορά τί τε εἶδος καὶ τί ἴδιον καὶ τί συμβεβηκός . . . (*Arist.*, Op. IV [Scholia], 1 a 1). *S. Thomas* : « Omne quod de pluribus univoce praedicatur, vel est genus, vel species, vel differentia, vel accidens aut proprium » (C. g. I 32).

§ 2. De genere

145. Genus definitur ab Aristotele : id quod praedicatur de pluribus specie differentibus in eo quod quid. « Id quod praedicatur de pluribus » est ratio communis omni praedicabili. Quare hic non definitur universale sumptum pro materiali seu substrato, sed pro ipsa ratione universalis, quia illud praedicatum commune, scil. naturam praedicari de pluribus, non est naturae, sed universalitatis. Genus dicitur prae-

dicari « in quid », quia enuntiat quidditatem ; dicitur praedicari « de pluribus specie differentibus », quia enuntiat partem quidditatis materialem (potentialem) contrahibilem in diversis speciebus per differentias specificas. Ita genus « animal » praedicatur de pluribus specie differentibus, i. e. de animalibus rationalibus et brutis, enuntians quidditatem (incompletam).

Haec definitio generis non est essentialis, sed descriptiva. Essentia enim generis consistit in ratione universalitatis, quae tali modo respicit inferiora, ut sint specie distincta, et per modum quid. Definitio autem haec traditur per praedicabilitatem, quae est passio universalis. Ergo explicat naturam generis per proprietatem, ac proinde est descriptiva. Potest tamen reduci ad essentialem dicendo : Genus est universale respiciens (vel aptum ut respiciat, si fundamentaliter tradatur) plura specie distincta in quid. Ita traditur definitio per praedicatum superius seu genericum, quod est « universale », et per differentiam intrinsecam, scil. tali modo respicere, i. e. in quid, et talem terminum habere, scil. plura specie distincta.

146. Quid sit definitum generis. Definitum generis non est constitutum ex subiecto et intentione generis seu natura affecta intentione generis, sed est sola forma seu intentio generis non absolute et abstracte, sed conotative ad subiectum, ad naturam intentione generis affectam. Patet ex dictis de definitionibus concretorum accidentalium (cf. n. 35).

147. Quomodo genus sit totum potentiale et pars potentialis. Genus est totum potentiale et pars sicut quodlibet universale, quatenus significat totum, sed indeterminate (cf. n. 127, 1; 138). Attamen speciali modo genus respectu quidditatis specificae dicitur totum potentiale, inquantum significat totam speciem, sed indeterminate, et pars potentialis, quia se habet in hoc toto tamquam materiale et contrahibile per aliam partem quidditativam, scil. per differentiam.

Ex quo declaratur etiam, cur genus dicatur desumi ab eo quod est materiale, et differentia ab eo quod est formale. Genus non desumitur a materia physica ; haec enim est pura potentia et omnino indeterminata, genus autem iam aliquo modo determinatum est, licet non ultima determinatione ; sed dicitur genus desumi ab eo quod est materiale, i. e. ab eo quod est potentialius in re, id quod verificatur etiam in pure spiritualibus iis, in quibus distinguitur virtualiter gradus superior et inferior, i. e. in omnibus creaturis. Differentia autem desumitur ab eo quod est formale, i. e. ab eo quod est actualius.

148. Quae sint naturae capaces generis. Quidquid habet rationem totius compositi metaphysica compositione, est capax habendi differen-

tiam et genus[1]. Quod autem non habet rationem totius, sed est pars tantum, sive physica essentialis (ut materia, forma) sive physica integralis (ut caput, brachia) sive logica (ut differentia), non habet per se rationem generis, sed reductive tantum. Ex hoc tamen non est inferendum abstracta (abstractione formali) substantiarum non esse genera et species, quia, licet significentur per modum partis, sunt tamen formae metaphysicae totales, quae habent compositionem ex genere et differentia, ut humanitas est composita ex animalitate et rationalitate.

A d 145. *Aristoteles:* Γένος δ' ἐστὶ τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον (Top. I 5, 102 a 31 ; cf. Porphyr., Isag. c. 2, 1 a 38).

A d 147 sqq. *S. Thomas:* « Quamvis autem genus significet totam essentiam speciei, non tamen oportet ut diversarum specierum, quarum est idem genus, sit una essentia, quia unitas generis ex ipsa indeterminatione vel indifferentia procedit, non autem ita, quod illud quod significatur per genus sit una n a t u r a numero in diversis speciebus, cui superveniat r e s alia, quae sit differentia determinans ipsum, sicut forma determinat materiam, quae est una numero, sed quia genus s i g n i f i c a t aliquam formam non tamen determinate hanc vel illam, quam determinate differentia exprimit, quae non est alia quam illa, quae indeterminate significabatur per genus. Et ideo dicit Commentator in XI Metaph. quod materia prima dicitur una per remotionem omnium formarum, sed genus dicitur unum per communitatem formae signatae. Unde patet quod per additionem differentiae, remota illa indeterminatione, quae erat causa unitatis generis, remanent species per essentiam diversae. Et quia, ut dictum est, natura speciei est indeterminata respectu individui, sicut natura generis respectu speciei, inde est quod sicut id quod est genus, prout praedicatur de specie, implicat in sua significatione quamvis indistincte totum quod determinate est in specie. Ita etiam id quod est species secundum quod praedicatur de individuo, oportet quod significet totum id quod essentialiter est in individuo licet indistincte. Et hoc modo essentia speciei significatur nomine hominis : unde homo de Socrate praedicatur » (De ente et ess. c. 3 ; cf. c. 6 ; cf. S. th. I 85, 3 ad 2).

§ 3. De specie

149. Diversa acceptio speciei. Correlativum generis est species, de qua genus praedicatur, ipsa autem ulterius de individuis praedicabilis est ; et ideo includit duplicem respectum : alterum (materialem) s u b i c i b i l i t a t i s ad genus, alterum (formalem) superioritatis et consequenter etiam p r a e d i c a b i l i t a t i s ad individua.

150. Definitio speciei. Species ut p r a e d i c a b i l i s definitur definitione d e s c r i p t i v a (per passionem propriam universalis, i. e. per praedicabilitatem) a Porphyrio (ca. 232—304) tradita : « quae de pluribus differentibus numero in eo quod quid praedicatur ». Definitio

[1] Hoc est omne id, quod potest poni in praedicamento sive reali sive rationis (cf. n. 173).

autem essentialis erit : unum respiciens plura inferiora et conveniens eis ut quid complete, i. e. tamquam quidditas eorum completa. Dicimus ergo, quod constitutivum intrinsecum et essentiale speciei, ut est secundum praedicabile condivisum ab aliis praedicabilibus, est universalitas talis, quae dicit respectum et praedicabilitatem ad plura inferiora solo numero differentia. Cuius rei ratio est, quia species in tantum est unum de quinque praedicabilibus, inquantum participat rationem universalis ; siquidem ista quinque praedicabilia sunt species quaedam universalis ; ergo constitutivum eius debet esse intra latitudinem et rationem universalis, ergo non per subicibilitatem (quae per accidens tantum invenitur in universali qua tali) neque per praedicabilitatem praecise (quae non est essentia, sed tantum propria passio universalis), sed per superioritatem seu universalitatem simpliciter (qua universale formale constituitur ut tale) debet constitui. Dicitur « ut quid complete » ad distinguendam speciem a genere, quod dicit « quid incomplete », et a differentia, quae dicit « quale quid ». Species ut subicibilis definitur a Porphyrio : « quae sub assignato genere collocatur, et de qua genus praedicatur in quid ». Subicibilitas non dimanat ab universalitate speciei praecisa accepta, multo minus praedicabilitas a subicibilitate, sed prior et essentialior intentio in secundo praedicabili est universalitas limitata et coarctata, et ex ipsa — quatenus sic limitata et modificata — oritur, tamquam propria passio eius, subicibilitas immediata ad genus.

151. Potest esse species revera subicibilis tantum, non praedicabilis de multis, sed de uno tantum individuo. Nam conceptu nostro praescindimus differentiam numericam a quidditate, sive haec est aliquid positivi, ut obtinet in substantiis corporeis, quae in eadem specie multiplicari possunt, sive aliquid mere negativi (incommunicabilitas metaphysica cum inferioribus), ut obtinet secundum doctrinam thomisticam in angelis (cf. n. 152). Quare etiam quidditas angelica, quam conceptu positivo-negativo concipimus ad instar substantiae corporeae, nobis obversatur quasi praedicabilis de multis, i. e. tamquam species. Quam tamen praedicabilitatem seu communicabilitatem cum inferioribus negandam esse, ope ratiocinii postea cognoscimus. Ideo nobis est species de facto subicibilis tantum, non praedicabilis de multis, i. e. sine excercitio universalitatis (cf. n. 388, 6).

Non potest tamen esse genus, cuius una tantum species esset possibilis. Nam genus est potentialitas ad multa ut contraria et formaliter opposita. Si igitur diceretur una tantum species possibilis, haec potentialitas generis et consequenter ipsum genus destrueretur.

Ad 149. *Aristoteles :* Ἐκ γὰρ τοῦ γένους καὶ τῶν διαφορῶν τὰ εἴδη (Met. X 7, 1057 b 7).

Ad 150. *Porphyrius :* Εἶδός ἐστι τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ ἀριθμῷ ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον (Isag. c. [illegible] a 1) Quae definitio, ut ipse Porphyrius

docet, speciem specialissimam describit; dum altera: Εἶδός ἐστι τὸ ταττόμενον ὑπὸ τὸ γένος καὶ οὗ τὸ γένος ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορεῖται (l. c. 1 b 44), etiam speciei, quae simul genus est, convenit.

A d 151. Cf. text. cit. ad 115 et S. th. I 13, 9.

§ 4. De individuo

152. Triplex individui consideratio. Individuum potest considerari *a)* primo intentionaliter pro ente reali, *b)* secundo intentionaliter seu logice pro ente rationis. Individuum primo intentionaliter seu quantum ad entitatem realem iterum dupliciter spectari potest: α) physice, β) metaphysice. Individuum physice consideratum est unitas numerica, quae est unitas physica simpliciter et absolute seu ens unum simpliciter et absolute, cum unitas formalis (generica et specifica) non sit nisi unitas seu convenientia secundum quid a parte rei; a parte intellectus autem est unitas absoluta praecisionis. Individuum metaphysice consideratum seu individuatio, sumendo individuationem quasi pro ultimo gradu metaphysico, est differentia numerica. Haec in substantiis corporeis consistit in aliquo positivo superaddito quidditati, quod est relatio seu ordo transcendentalis (quasi modus naturae) unius individui ad aliud eiusdem speciei secundum prius et posterius, in substantiis creatis spiritualibus (in angelis) est aliquid mere negativi, i. e. incommunicabilitas metaphysica quidditatis cum inferioribus. Haec enim quidditas seipsa individua est, non mediante aliquo superaddito. Quare repugnat, quominus differentiis individualibus superadditis diversificetur et multiplicetur, i. e. repugnat, quominus cum inferioribus communicetur.

Individuum secundo intentionaliter consideratum constat duplici relatione rationis. Prima est subicibilitatis ad praedicata superiora, sive ad praedicatum immediatum, quod est species atoma, sive ad praedicata mediata, quae sunt genera, ut constat in individuis genericis, ut hoc animal, hoc corpus etc. Haec enim individua ex parte subicibilitatis accipiuntur. Secunda relatio rationis est praedicabilitatis, qua individuum praedicatur, non de aliquo inferiore, sed de seipso.

153. Definitiones individui. Individuum primo intentionaliter physice sumptum definitur a Porphyrio definitione descriptiva per congeriem accidentium: «Individua ex eo dicuntur, quod ex proprietatibus consistit unumquodque eorum, quarum collectio numquam in alio eadem erit.» Quae sint hae proprietates seu notae individuantes, indicatur hoc versiculo:

Forma, figura, locus, tempus, stirps, patria, nomen;
Haec ea sunt septem, quae non habet unus et alter.

Hae notae non constituunt essentiam individuam, sed sunt ea quibus nobis innotescit — imperfecte, quia individuum et individuationem seu differentiam numericam quidditative non attingimus. S. Thomas individuum eodem modo sumptum definit definitione essentiali (S. th. I 29, 4): «Individuum est, quod est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum.» Secundum Met. X lect. 10 individuum definitur: id «quod non dividitur ulterius nec formali nec materiali differentia». Ita definitione essentiali definitur individuum communiter sumptum, non vero definitur determinatum aliquod individuum, quod essentialiter attingere non possumus. De individuo secundo intentionaliter sumpto Porphyrius duas tradit definitiones, alteram ex parte praedicabilitatis: «Individuum est illud quod de uno solo praedicatur», alteram ex parte subicibilitatis: «Individuum continetur sub specie, species autem sub genere.»

154. Quid sit individuum vagum. Individuum vagum (ut aliquis homo, individuus homo) significat naturam cum individuatione in communi accepta. Individuatio autem in communi seu differentia numerica in communi non est ratio universalis univoca, sed analoga. Non enim habet extra se differentias, quarum additione contraheretur ad hanc vel illam individuationem. Quare etiam ipsum individuum vagum (constitutum ex natura et differentia numerica tamquam totum et ens completum) uniuscuiusque generis seu praedicamenti (ut individuum substantiae) simpliciter est analogum, secundum quid, i. e. ratione naturae est univocum. Quodsi individuum vagum, ut aliquis homo, sumatur tamquam aliquid complexi, non unum, sed duos conceptus significat, quorum alter (in exemplo conceptus hominis) est univocus, alter (conceptus individuationis in communi) est analogus.

Individuatio autem in communi secundo intentionaliter sumpta, pro relatione rationis subicibilitatis ad speciem infimam et praedicabilitatis de uno tantum, simpliciter est univoca. Est enim species aliqua relationis rationis, subicibilitas infima, quae eodem modo singulis individuationibus, i. e. singulis his relationibus convenit.

Ad 153. *Porphyrius:* Ἄτομα δὲ λέγεται τὰ τοιαῦτα [ὡς Σωκράτης] ὅτι ἐξ ἰδιοτήτων συνέστηκεν ἕκαστον, ὧν τὸ ἄθροισμα οὐκ ἂν ἐπ' ἄλλου τινός ποτε τὸ αὐτὸ γένοιτο τῶν κατὰ μέρος (Isag. c. 2, 2 b 48). Idem: Τὸ δὲ ἄτομον ἐφ' ἑνὸς μόνου τῶν κατὰ μέρος [λέγεται], et: Περιέχεται οὖν τὸ μὲν ἄτομον ὑπὸ τοῦ εἴδους, τὸ δὲ εἶδος ὑπὸ τοῦ γένους (l. c. 2 b 45; 3 a 5).

Ad 154. *S. Thomas:* «Individuum vagum, ut "aliquis homo", significat naturam communem cum determinato modo exsistendi qui competit singularibus, ut scil. sit per se subsistens distinctum ab aliis. Sed in nomine singularis designati, significatur determinatum distinguens: sicut in nomine Socratis haec caro et hoc os. Hoc tamen interest, quod "aliquis homo" significat naturam, vel individuum ex parte naturae, cum modo exsistendi qui competit singularibus» (S. th. I 30, 4; cf. I Dist. 25, 1 a. 3 ad 1).

§ 5. De differentia

155. Diversa differentiae acceptio. Differentia sumitur *a)* pro forma seu gradu faciente differre; ita « rationale » est gradus seu forma faciens differre hominem a bruto; *b)* pro effectu formali huius formae, pro constituto per formam facientem differre, i. e. pro « esse distinctum » seu pro pluralitate; *c)* pro relatione differentiae. Haec autem duplex est: altera ad terminos, a quibus forma facit differre; altera formae ipsius ad subiectum, quod facit differre. Res declaratur exemplo: « Rationale » communicatum cum animali constituit hominis « esse distinctum » a bruto et consequenter fundat relationem (realem) differentiae hominis a brutis, insuper dicit relationem (rationis) ad hominem tamquam conveniens ei et praedicabile de ipso.

Nota. Non est idem, in rigore terminologiae, « differre » et « esse diversum », « diversitas » et « differentia ». Ea enim dicuntur diversa, quae non per aliud superadditum, sed seipsis differunt, sicut ea quae sunt primo diversa. Ea autem dicuntur differre, quae per aliquid superadditum differunt ab alio et ita non se totis differunt, sed conveniunt in aliquo et differunt in alio. Ideo omnis differentia supponit aliquam convenientiam, et quae nullam convenientiam habent, sunt primo diversa. Et dicuntur esse primo diversa genera generalissima seu praedicamenta et ipsae differentiae, quae proprie non differunt, sed sunt rationes differendi et seipsis differunt sine aliquo superiore univoco, in quo convenirent.

156. Differentiae divisio. Differentia (secundum quamcumque ex his acceptionibus sumatur) dividitur in essentialem seu differentiam propriissimam, et accidentalem. Accidentalis subdividitur in accidentalem inseparabilem seu differentiam propriam, et accidentalem separabilem seu communem. Nam omnis forma faciens differre vel est essentialis, i. e. stricte ad quidditatem pertinens, sicut « rationale », vel accidentalis, i. e. extra quidditatem. Si essentialis, est maxime propria; si accidentalis, illud accidens est vel separabile vel inseparabile. Si inseparabile, est proprium et facit differre proprie; si separabile, est commune etiam aliis et facit differre communiter. Accidens autem inseparabile hic intelligitur non tantum illud, quod est inseparabile, quia radicatur in ipsa quidditate et ab ea dimanat atque cum ea necessario conectitur absolute, sicut risibilitas conectitur cum quidditate humana, sed de quocumque accidente inseparabili, etsi non necessario conectitur cum quidditate, dummodo immobiliter insit, sicut sunt cicatrix vulneris, simitas nasi, masculinum et femininum, immo ipsa individuatio substantiae corporeae [1].

[1] Individuatio substantiae corporeae est extra quidditatem, i. e. extra naturam specificam, neque ex quidditate dimanat, sed est aliquid superadditum

Differentia propriissima, si sumitur pro relatione formae ad subiectum, quod facit differre, est differentia, quae est tertium praedicabile.

157. Divisio differentiae in propriissimam, propriam, communem est analoga. Divisio enim illa differentiae fit secundum magis et minus; nam differentia propriissima magis est differentia quam propria, et haec magis quam communis. Ideo ratio differentiae diverso modo singulis convenit.

158. Definitio differentiae. Differentia, prout est tertium praedicabile, definitur definitione descriptiva per proprium: Differentia est id, quod de pluribus in quale quid praedicatur.[1] Haec definitio convertitur in essentialem dicendo: Differentia est universale, quod respicit inferiora sua tamquam conveniens illis in quale quid. Differentia dicitur praedicari «in quid», quia significat partem quidditatis; dicitur praedicari «in quale quid», quia significat partem quidditatis determinantem et qualificantem alteram partem, i. e. gradum genericum.

Tres concurrunt respectus ad logicam differentiam constituendam: respectus ad genus, quod contrahit differentia et super quod aliquid addit; ad speciem, quam constituit contrahendo genus et segregando speciem a reliquis; ad inferiora, de quibus praedicatur in quale quid, quae sunt ipsa inferiora speciei; nam de his tantum praedicatur in quale.

Differentia non habet rationem universalis logici formaliter per respectum ad speciem, sed ad inferiora, licet concomitanter habeat ordinem ad speciem tamquam ad universale, cum quo convertitur. Nam formalitas universalitatis sumitur per ordinem ad suum correlativum, correlativum autem universalis formaliter sunt inferiora.

Differentia non respicit pro inferioribus tertii praedicabilis hanc et illam differentiam (v. g. rationale, hoc et illud rationale), sed inferiora contenta sub specie, quam constituit, v. g. rationale respicit pro inferioribus Petrum et Paulum. Nam praedicabilitas tertii praedicabilis est in quale quid; ergo solum illa sunt constituenda ut eius inferiora, respectu quorum differentia se habet ut aliquid superius et in quale et praedicari potest in quale. At respectu huius et illius differentiae non se habet in quale, sed respectu individuorum speciei tantum.

Differentiae superiores et genericae non includuntur in inferiori-

---

ei, quod tamen non est extra substantiam, sed imbibitur in ea; nam individua substantialiter differunt. Ideo est accidens praedicabile, non praedicamentale (cf. n. 163).

[1] *Porphyrius* definitionem ita ponit: «quod de pluribus et differentibus specie in quale quid praedicatur». Sed ita subalterna tantum differentia definitur, nisi velimus interpretari definitionem ita: quod de pluribus praedicatur in quale quid, etiamsi talia plura sint specie differentia

bus — e. g. « sensibile » non includitur in « rationali » — neque de illis praedicantur formaliter seu essentialiter. Ideo si dicitur : « Rationale est sensibile », sensibile praedicatur de rationali materialiter seu accidentaliter tantum. Possum perfecte concipere rationale non concepto sensibili (et etiam non concepto animali) ; rationale enim dicit tantum modum intelligendi deveniendo ex uno in aliud.

A d 155 sq. *S. Thomas :* « Assignat [Aristoteles] duos modos [quibus dicitur "differens"], quorum primus est, quod aliquid propric dicitur differens secundum quod aliqua duo quae sunt "aliquid idem entia", i. e. in aliquo uno convenientia, sunt diversa : sive conveniant in aliquo uno secundum numerum, sicut Socrates sedens a Socrate non sedente : sive conveniant in aliquo uno specie, sicut Socrates et Plato in homine : sive in aliquo uno genere, sicut homo et asinus in animali : sive in aliquo uno secundum proportionem, sicut quantitas et qualitas in ente [Διάφορα λέγεται ὅσ' ἕτερά ἐστι τὸ αὐτό τι ὄντα, μὴ μόνον ἀριθμῷ, ἀλλ' ἢ εἴδει ἢ γένει ἢ ἀναλογίᾳ : Met. V 9, 1018 a 12]. Ex quo patet, quod differens omne est diversum, sed non convertitur. Nam illa diversa, quae in nullo conveniunt, non possunt proprie dici differentia, quia non differunt aliquo alio, sed seipsis. Differens autem dicitur, quod aliquo alio differt. Secundus modus est prout differens communiter sumitur pro diverso ; et sic differentia dicuntur etiam illa quae habent diversum genus et in nullo communicant. Deinde docet quibus conveniat esse differens secundum primum modum, qui est proprius. Cum enim oporteat ea, quae proprie dicuntur differentia, in uno aliquo convenire ; ea vero, quae conveniunt in specie, non distinguuntur nisi per accidentales differentias, ut Socrates albus vel iustus, Plato niger vel musicus ; quae vero conveniunt in genere et sunt diversa secundum speciem, differunt differentiis substantialibus : illa propriissime dicuntur differentia, quae sunt eadem genere et diversa secundum speciem » (In Met. V lect. 12 n. 916 sq. ; cf. X lect. 4 n. 2017 sqq. ; S. th. I 3, 8 ad 3 ; 90, 1 ad 3 ; C. g. I 17 : In hoc autem ; Pot. 7, 3 ad 2). *Porphyrius* in c. 3 Isagoges de differentia agit.

A d 158. *Aristoteles :* Ἡ μὲν διαφορὰ ποιότητα τοῦ γένους ἀεὶ σημαίνει (Top. IV 6, 128 a 26). *Porphyrius :* Ὁρίζονται δὲ αὐτὴν καὶ οὕτως, διαφορά ἐστι τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ ποῖόν τι ἐστὶ κατηγορούμενον (Isag. 3, 3 b 32).

§ 6. De ordinatione generum et specierum

159. Arbor Porphyrii. Genus dividitur in supremum, infimum, subalternum ; eodem modo species et differentia. Species infima (quae sola est species in sensu stricto, et de qua unice valet definitio n. 150) dicitur etiam species specialissima, et differentia infima, differentia specifica. Generum, specierum, differentiarum coordinationem ob oculos ponit « Arbor Porphyrii » (infra p. 143).

Substantia est genus supremum, quod differentiis « compositi » et « simplicis » dividitur ; differentia « compositi » constituitur corpus, quod per « vivens » et « non vivens » dividitur ; additione differentiae « viventis » ad corpus constituitur animatum etc., ut satis ex schemate patet.



Arbor Porphyrii.

160. Ulterior arboris Porphyrianae evolutio. Differentia « simplicis » constituitur spiritus (substantia spiritualis), sub quo tamquam sub genere diversae angelorum species essent evolvendae. Corpus non vivens est minerale, sub quo mineralium genera et species essent ponenda; animatum insensibile est planta, sub qua continentur diversarum plantarum genera et species ; animal irrationale est brutum, sub quo brutorum genera et species sunt ordinanda, quae omnia in schemate omittuntur.

Nota contra Darwinistas et Monistas discrimen, quod intercedit inter speciem et varietatem (Rasse, race). Diversae species essentialiter, varietates vero, quae intra eandem speciem oboriuntur, nonnisi accidentaliter inter se differunt.

Evolutionismus ille, qui rerum distinctionem specificam tollit (darwinismus), arborem Porphyrii destruit. Porphyrii arbor radicitus succiditur a Monistis mechanicis, qui docent omnia ex atomis eiusdem speciei conflari diversasque res inter se non distingui nisi secundum

aliam et aliam atomorum dispositionem. A fortiori arbor Porphyrii ab illis Monistis (Pantheistis) destruitur, qui ne numericam (individualem) quidem rerum distinctionem agnoscunt (cf. Phil. nat. th. I II).

§ 7. De proprio

161. Diversae proprii acceptiones. Porphyrius quattuor proprii acceptiones posuit : 1. dicitur proprium, quod convenit soli speciei, sed non omni eius individuo, ut esse grammaticum vel medicum homini ; 2. quod econtra convenit omni individuo, sed non soli speciei, sicut homini convenit esse bipedem ; 3. quod convenit soli speciei et omni individuo, sed non semper, ut homini competit loquela uti, sed non semper ; 4. quod est maxime proprium, quod soli speciei et omni individuo et semper convenit, ut hominem esse risibilem. Et hoc est maxime proprium, quia plene convertitur cum suo subiecto.

Ita omnis ratio proprii aliquo modo per ordinem ad speciem (et genus) explicatur (sequitur enim proprium non tantum speciem infimam, sed etiam rationem genericam, ut gravitas est proprium corporis). Et perfecta ratio proprii ex perfecta convenientia et adaequatione cum ipsa specie seu natura et contentis sub specie desumitur. Tunc autem dicitur ad convertentiam, cum comitatur ipsam naturam, ubicumque sit, et extra ipsam non invenitur ; nam hoc ipso, quod in aliis invenitur, non est perfecte proprium eius, sed etiam aliis commune. Ad hoc autem, ut aliquod accidens perpetuo comitetur aliquod subiectum et extra illud non sit, oportet ut in tali subiecto habeat suam radicem et ex eo dimanet. Accidens proprium aliquando communicari potest etiam cum altero, sed imperfecte. Quare proprium non dicitur nisi relate ad subiectum, in quo perfecte inest, utpote suo proprio principio coniunctum, non relate ad illud, in quo inest imperfecte et quasi participative. Exemplo sit qualitas chimica, quae est in elemento sicut in proprio subiecto, in mixto autem participative (cf. n. 405—408).

Enumeratio haec est adaequata. Nam ex tribus conditionibus, quae requiruntur ad proprium, scil. « omni », « soli », « semper », vel conveniunt omnes vel deest aliqua. Si conveniunt omnes, est proprium simpliciter et quarto modo ; si deest aliqua, vel deest prima, scil. ut non conveniat omni, et sic est proprium primo modo, vel deest secunda, scil. ut non conveniat soli, et sic est proprium secundo modo, vel deest tertia, et sic est proprium tertio modo. Si vero desint omnes, nullo modo est proprium.

Divisum huius divisionis non est proprium quartum praedicabile, sed ratio proprii communiter dicti, quae consistit in relatione convenientiae ad unum cum exclusione aliorum sive omnium sive etiam

non omnium (proprium secundo modo). Proprium, quod est quartum praedicabile, est proprium simpliciter et quarto modo.

Divisio, qua proprium communiter dictum in istos quattuor modos proprii dividitur, est analoga.

162. Definitur proprium simpliciter a Porphyrio : « quod convenit omni, soli et semper », et ab Aristotele : « quod non indicat essentiam rei, soli autem inest et conversim praedicatur ». In utraque definitione explicatur potius substratum quarti praedicabilis : natura cui affigitur intentio quarti praedicabilis (universale materialiter sumptum), i. e. proprietas seu propria passio, quam intentio ipsa quarti praedicabilis logici. Si vero in definitione Porphyrii « convenit » sumitur pro « praedicatur » seu « praedicari potest » et τὸ « omni » sumitur distributive pro inferioribus, haec definitio redditur secundo intentionalis, et ita proprium, sumptum pro quarto praedicabili logico, definiri potest : Proprium est quod praedicatur de pluribus in quale, accidentaliter et necessario.

Nota : a) proprium simpliciter debere resultare ex essentia reduplicative sumpta, ut est talis essentia. Gravitas e. g. non resultat ex homine, ut homo est, sed ut est corpus ; est igitur proprium corporis, non vero hominis. *b)* distingui proprium physicum, quod realiter differt a re, cuius est proprium, et proprium metaphysicum, quod non realiter differt. Risibilitas radicalis, seu exigentia habendi risibilitatem identificata cum ipsa natura humana, est proprium metaphysicum. Hoc ne divinitus quidem separari potest a natura, cuius est proprium. *c)* distingui essentiam physicam et essentiam metaphysicam. Essentia physica est essentia, prout in rerum natura invenitur sine praecisione ulla. Ad eam proinde pertinent etiam propria metaphysica omnia. Essentia metaphysica est essentia praecise sumpta (quidditas), quae praescindit non tantum a differentia numerica, sed etiam a propriis omnibus metaphysicis neque enuntiat nisi ea quae in definitione metaphysica ponuntur. Essentia metaphysica est id quo primo constituitur res. Ex essentia metaphysica tamquam ex radice dimanant omnia propria.

A d 161 sq. *Porphyrius :* Τὸ δὲ ἴδιον διαιροῦσι τετραχῶς· καὶ γάρ ὁ μόνῳ τινὶ εἴδει συμβέβηκεν, εἰ καὶ μὴ παντί, . . . καὶ ὁ παντὶ συμβέβηκε τῷ εἴδει, εἰ καὶ μὴ μόνῳ, . . . καὶ ὁ μόνῳ καὶ παντὶ καὶ ποτέ, . . . τέταρτον δέ, ἐφ' οὗ συνδεδράμηκε τὸ μόνῳ καὶ παντὶ καὶ ἀεί, ὡς τῷ ἀνθρώπῳ τὸ γελαστικόν (Isag. c. 4, 4 a 14). *Aristoteles :* Ἴδιον δ' ἐστὶν ὁ μὴ δηλοῖ μὲν τὸ τί ἦν εἶναι, μόνῳ δ' ὑπάρχει καὶ ἀντικατηγορεῖται τοῦ πράγματος (Top. I 5, 102 a 18).

§ 8. De accidente

163. Diversae accidentis acceptiones. Accidens sumitur : 1. pro accidente praedicamentali ; ita opponitur substantiae et significat id, cui competit non per se esse, sed inhaerere ; 2. pro accidente

praedicabili; ita opponitur quidditati seu essentiae metaphysicae et significat, quidquid convenit rei, seu praedicatur de re, ita ut sit extra essentiam eius metaphysicam. Accidens praedicabile est duplex: *a)* accidens proprium, quod ita est extra quidditatem, ut sit tamen necessario cum quidditate conexum, quia causatur ex ipsis principiis quidditatis, sicut gravitas causatur ex ipsis principiis corporeitatis, ita ut sine gravitate (saltem radicali) corporis essentia non salvetur; *b)* accidens non proprium seu accidens contingens, quod non est necessario cum quidditate conexum. Et hoc constituit quintum praedicabile, de quo hic agimus.

164. Definitur accidens sumptum pro quinto praedicabili a Porphyrio: quod adest et abest sine subiecti corruptione. Definitio haec convenit substrato seu primae intentioni huius quinti praedicabilis; nomine autem substrati quinti praedicabilis intelligimus non tantum primam intentionem realem, sed quodcumque praedicatum accidentale, etiamsi est ens rationis ut esse visum, esse iudicem etc. Accommodatur haec definitio secundae intentioni accidentis, si in ea exprimitur ipsa praedicatio: Accidens est, quod praedicatur de multis ut praedicatum, quod adest et abest praeter subiecti corruptionem.

In hac definitione « corruptio subiecti » intelligenda est non de physica corruptione individui, sed de resolutione ipsius rationis specificae, ita ut sensus definitionis sit: quod adest vel abest, salva specie. Ipsum enim accidens stricte sumptum pro quinto praedicabili duplex est: Alterum est separabile a subiecto, i. e. ab individuo, ut sedere, ambulare; alterum est inseparabile, ut masculinum et femininum[1] et ipsa individuatio. Haec sunt inseparabilia ab individuo, sunt tamen separabilia a quidditate seu a ratione specifica; salvatur enim natura humana in viro et in femina, in hoc et in illo individuo; sed non salvatur sine risibilitate (saltem radicali).

Ad 163 sq. *Porphyrius:* Συμβεβηκὸς δέ ἐστιν ὃ γίνεται καὶ ἀπογίνεται χωρὶς τῆς τοῦ ὑποκειμένου φθορᾶς (Isag. c. 5, 4 a 24). *Aristoteles:* Συμβεβηκὸς δέ ἐστιν ὃ μηδὲν μέν τούτων ἐστί, μήτε ὅρος μήτε ἴδιον μήτε γένος, ὑπάρχει δὲ τῷ πράγματι, καὶ ὃ ἐνδέχεται ὑπάρχειν ὁτῳοῦν ἑνὶ καὶ τῷ αὐτῷ καὶ μὴ ὑπάρχειν (Top. I 5, 102 b 4; cf. Met. V 30, 1025 a 14). *S. Thomas:* « Tria sunt genera accidentium: quaedam causantur ex principiis speciei et dicuntur propria, sicut risibile homini; quaedam vero causantur ex principiis individui, et hoc dicitur, quia vel habent causam permanentem in subiecto, et haec sunt accidentia inseparabilia, sicut masculinum et femininum et alia huiusmodi; quaedam vero habent causam non permanentem in subiecto, et haec sunt accidentia separabilia, ut sedere et ambulare. Est autem commune omni accidenti, quod non sit de essentia rei, et ita non cadit in definitione rei; unde de re

[1] Cf. *M. Thiel*, Verhältnis der beiden Geschlechter zur menschl. Wesenheit und zueinander in allgemein philosophischer Betrachtung, DThFrib 12 (1934) 3–36.

intelligimus quod quid est absque hoc quod intelligamus aliquid accidentium eius. Sed species non potest intelligi sine accidentibus, quae consequuntur principium speciei; potest tamen intelligi sine accidentibus individui etiam inseparabilibus; sine separabilibus vero esse potest non solum species, sed et individuum» (Q. d. an. a. 12 ad 7; cf. Spir. creat. a. 11).

Quaestio III: *De praedicamentis.*

Articulus I

DE ANTEPRAEDICAMENTIS

§ 1. De antepraedicamentis in genere

165. Quid sint antepraedicamenta. Antepraedicamenta sunt praeambula et praerequisita ad praedicamenta ordinanda. Quattuor numerantur antepraedicamenta: Primum antepraedicamentum est divisio univocorum, aequivocorum, denominativorum. Secundum antepraedicamentum est distinctio complexorum et incomplexorum. Tertium antepraedicamentum est distinctio eorum, quae sunt in subiecto seu inhaerent tamquam accidentia, et eorum, quae dicuntur de subiecto, i. e. superiorum seu universaliorum, quae de inferioribus tamquam de subiectis praedicantur. Secundum istam distinctionem quattuor proponit Aristoteles combinationes possibiles: quaedam dicuntur de subiecto, sed non sunt in subiecto (substantiae universales, quae praedicantur de inferioribus, sed non inhaerent); alia sunt in subiecto, sed non dicuntur de subiecto (accidentia singularia, quae inhaerent, ut haec albedo, sed non praedicantur, quia non sunt superiora; cf. n. 136); alia nec dicuntur de subiecto nec sunt in subiecto (substantiae singulares, hic homo); alia dicuntur de subiecto et sunt in subiecto (accidentia universalia, ut album). Quartum antepraedicamentum est distinctio eorum, quae ad rectam lineam praedicamentorum pertinent, et eorum, quae ad lateralem, quod per duas regulas antepraedicamentales explicat Aristoteles. Prima regula est: Cum aliquid praedicatur de aliquo subiecto, quaecumque dicuntur de praedicato, dicuntur de subiecto (nomine praedicati intelligitur superius seu universalius, nomine subiecti inferius). Secunda regula est: Generum non subalternatorum (i. e. quorum unum sub altero non ponitur) non sunt eaedem differentiae essentiales (aliquando tamen nomine tenus eaedem sunt, ut cum substantia et qualitas dividuntur in materialem et immaterialem).

166. Antepraedicamentorum ratio. Ratio primi antepraedicamenti est, quia ens dicitur de decem praedicamentis non univoce, sed aequivoce seu analogice, in ipsis autem praedicamentis superiora dicuntur univoce de inferioribus, unum vero praedicamentum dicitur denominative de alio seu denominatur ab eo (sicut substantia denominatur qualis, quanta etc. a praedicamento qualitatis, quantitatis etc.). Ideo ante ordinationem praedicamentorum distinguenda et definienda sunt aequivoca (analoga), univoca, denominativa.

Denominativa sunt, quae solo casu differentia ab aliquo nominis appellationem habent. Tres sunt denominativorum conditiones: prima, ut denominativum derivetur a forma denominante, non essentialiter, ut homo ab humanitate, sed accidentaliter, ut fortis a fortitudine, iustus a iustitia; altera, ut denominativum et forma denominans differant casu seu terminatione; tertia, ut denominativum et illud a quo derivatur, significent eandem rem seu formam, non tamen eodem modo, sed illud in concreto, hoc autem in abstracto[1]. De aequivocis (analogis) et univocis sequenti paragrapho dicendum erit.

Ratio secundi antepraedicamenti est, quia in praedicamentis non ponuntur complexa seu aggregata ex pluribus rebus, sicut « homo albus » est aggregatum ex homine (substantia) et albedine (qualitate), sed incomplexa tantum, quorum unumquodque unam tantum essentiam constituit. Ratio tertii antepraedicamenti est, quia unum praedicamentum est substantia, cetera vero sunt accidentia, et quia in unoquoque praedicamento res ordinandae sunt secundum praedicationem et subiectionem, incipiendo ab universalioribus et descendendo usque ad singularia. Ratio quarti antepraedicamenti est, quia in ordinandis praedicamentis oportet disponere tam genera et species, quae constituunt lineam rectam praedicamenti, quam horum differentias divisivas et constitutivas, quae constituunt lineam lateralem; cf. arborem Porphyrii (n. 159 sq.), quae exhibet ordinationem praedicamenti substantiae.

Ad 165 sq. *Aristoteles* de primo antepraedicamento agit in c. 1 Categ.; cf. text. cit. ad 20. Ib. c. 2 agit de secundo et tertio antepraedicamento; cf. text. ad 20, et: Τῶν ὄντων τὰ μὲν καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται, ἐν ὑποκειμένῳ δὲ οὐδενί ἐστιν, οἷον ἄνθρωπος ... τὰ δὲ ἐν ὑποκειμένῳ μέν ἐστι, καθ' ὑποκειμένου δὲ οὐδενὸς λέγεται, οἷον ἡ τὶς γραμματική ... τὰ δὲ καθ' ὑποκειμένου τε λέγεται καὶ ἐν ὑποκειμένῳ ἐστίν, οἷον ἡ ἐπιστήμη ... τὰ δὲ οὔτ' ἐν ὑποκειμένῳ ἐστὶν οὔτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται, οἷον ὁ τὶς ἄνθρωπος (1 a 20). Prima regula antepraedicamentalis: Ὅταν ἕτερον καθ' ἑτέρου κατηγορῆται ὡς καθ' ὑποκειμένου, ὅσα κατὰ τοῦ κατηγορουμένου λέγεται, πάντα καὶ κατὰ τοῦ ὑποκειμένου ῥηθήσεται (Cat. 3, 1 b 10); altera: ib. 1 b 16.

[1] Distinguitur denominatio **intrinseca et extrinseca**: **illa aliquid in subiecto** ponit, haec vero nihil ponit, ut cum paries denominatur « visus » vel « dexter ».

§ 2. De univocis et aequivocis seu analogis in specie

167. Divisio. Terminus universalis stricte seu univocus est, qui significat rationem simpliciter unam convenientem multis distributive (unum in multis). Si ratio significata non est una simpliciter, terminus dicitur aequivocus. Aequivocus est aequivocus simpliciter, si ratio significata nullo modo est una, sed solummodo nomen, i. e. terminus oralis est unus, quia tunc in ipsis obiectis nulla reperitur ratio, cur eodem termino designentur; aequivocus simpliciter etiam aequivocus a casu dicitur. Exemplum sit «gallus»: homo in Gallia natus, et «gallus» avis. Contra si ratio significata, simpliciter diversa, aliquomodo tamen est una seu una secundum quid, etiam terminus aequivocus est secundum quid tantum seu aequivocus a consilio, quia tunc in ipsis obiectis reperitur ratio, cur uno eodemque termino designentur. Haec ratio est unitas secundum quid seu convenientia secundum quid. Terminus aequivocus secundum quid dicitur analogus.

Terminus analogus est analogus secundum analogiam intrinsecam, si ratio significata est una secundum quid intrinsecus. Terminus analogus secundum analogiam intrinsecam dicitur analogus analogia proportionalitatis propriae. Nam rationem significatam esse unam secundum quid intrinsecus contingere nequit, nisi quatenus est una proportionaliter, i. e. secundum aequalitatem duarum proportionum inter se, ita tamen ut proprie in unoquoque analogato, i. e. in unoquoque de quibus praedicatur terminus analogus, salvetur. Ratio enim ista debet esse essentialiter, i. e. secundum notas quidditativas alia et alia simpliciter — secus haberetur univocatio (terminus esset univocus), et tamen debet esse una eademque intrinsecus essentialiter secundum quid — secus haberetur pura aequivocatio; sed hoc non potest obtineri, nisi quatenus unaquaeque ratio, ita essentialiter diversa, mediantibus suis notis proportionem exprimat eandem. Nam uniuscuiusque rationis notae, absolute consideratae, simpliciter diversae sunt, ut dictum est; unicum igitur medium ad convenientiam aliquam intrinsecam obtinendam est has notas diversas aequaliter ad invicem se habere. Exemplum sit «principium», quod analogice dicitur de puncto respectu lineae et de causa respectu effectus: punctum et linea, causa et effectus sunt notae omnino diversae; at sicut a puncto procedit linea, ita a causa procedit effectus. Quae habitudo seu proportio eadem «principii» nomine designatur. Nec potest dici intrinsecam analogiam obtineri posse, quatenus secundum unam notam essentialem haberetur convenientia, secundum alteram vero disconvenientia; ita enim pura aequivocatio obtineretur — sicut videri potest in termino «gallus», qui aequivoce dicitur de animali et de homine, quae utique con-

veniunt in nota essentiali animalitatis — nisi salvetur convenientia proportionalis secundum notam disconvenientem.

Terminus analogus est analogus secundum analogiam extrinsecam, si ratio significata est una secundum quid extrinsecus, i. e. conotando aliquod extrinsecum, aut propter accidentalem aliquam similitudinem seu convenientiam, quo habetur analogia proportionalitatis impropriae, quae est idem quod tropus seu metaphora, aut propter nexum aliquem causalem, quo habetur analogia attributionis. In utroque casu ratio significata per terminum analogum in uno tantum analogato formaliter salvatur, quod propterea principale analogatum vocatur, a quo cetera (analogata minus principalia) extrinsecus denominantur. Sed in analogia proportionalitatis impropriae propter similitudinem illam accidentalem habetur accidentalis proportionalitas, quae termino analogo exprimitur, in analogia autem attributionis analogata minus principalia principale analogatum causaliter respiciunt tamquam terminum secundum diversas habitudines causales. Exemplum primi sit « Christus », quatenus analogice dicitur « leo » propter similitudinem accidentalem cum leone ratione fortitudinis. Ratio leonis formaliter in bestia tantum invenitur, a qua Christus extrinsecus denominatur analogice, denominatione significante accidentalem proportionalitatem : fortitudo, quae accidit Christo, similis est fortitudini leonis ; sicut se habet leo in modo agendi, ita Christus. Exemplum secundi sit « sanum », quatenus dicitur de animali, de cibo, de colore etc. De animali dicitur formaliter intrinsecus et per prius, de ceteris per posterius secundum denominationem extrinsecam propter habitudines causales, quatenus cibus causat sanitatem animalis, color vero ab ea causatur seu eam manifestat (cf. aliud exemplum n. 918, 2).

Analogia attributionis est aut unius (vel plurium) ad unum, i. e. ad principale analogatum (exemplum : « sanum », quatenus dicitur de cibo et de animali), aut est duorum vel plurium inter se per ordinem ad aliquod tertium, i. e. ad principale analogatum (exemplum : « sanum », quatenus dicitur de cibo et de colore).

168. Definitiones. Definit Aristoteles univoca : « quorum nomen est commune et ratio substantiae per illud nomen significata est eadem » ; et aequivoca : « quorum nomen solum est commune, ratio vero substantiae per illud nomen significata est diversa ». Quae definitiones definiunt univoca univocata et aequivoca aequivocata, i. e. res et conceptus termino univoco vel aequivoco significata, cum nos n. 167 potius locuti simus de univoco univocante et de aequivoco aequivocante, i. e. de termino univoco et aequivoco. In his definitionibus Aristotelis « nomen » sumatur late pro quocumque termino significativo, et « substantia » sumatur pro essentia.

Similiter definimus analoga analogia attributionis seu proportionis :

quorum nomen commune est, ratio vero significata eadem est secundum terminum, diversa secundum habitudines ad illum; et analoga analogia proportionalitatis: quorum nomen commune est, ratio vero significata eadem secundum aequalitatem duarum proportionum inter se. Quatenus haec ratio in utroque analogato invenitur proprie aut in uno proprie, in altero metaphorice tantum, habetur analogia proportionalitatis propriae et impropriae.

Ipsa analogia abstracte sumpta definiri potest: habitudo diversorum obiectorum (conceptuum) inter se, vi cuius eodem termino designantur; et analogia attributionis: habitudo unius vel plurium ad aliquod unum, vi cuius terminus, qui huic in sensu proprio et stricte convenit, etiam de illo vel de illis dicitur. Cum analogia attributionis sit simplex proportio seu relatio, analogia proportionalitatis est aequalitas duarum proportionum inter se.

169. Coroll. 1. Ergo analoga attributionis et proportionalitatis impropriae non possunt habere unum conceptum, sed habent plures cum sola unitate conotationis, quo solo differunt a puris aequivocis. Analoga vero proportionalitatis propriae habent conceptum secundum quid unum, imperfecte ab inferioribus praecisum. Sicut enim conceptus univocus inferiorum differentias perfecte relinquit praecisione perfecta, ita analogus imperfecte relinquit confundendo eas in aliqua ratione proportionaliter una, quam unice explicat. Ideo conceptus univocus differentias inferiorum suorum potentia tantum continet, conceptus vero analogus differentias actu continet, implicite et confuse (cf. n. 174—177).

2. Ergo falsa est doctrina Suaresii, qua docet in analogis secundum quandam analogiam attributionis rationem significatam non solum intrinsecus esse in principali analogato, sed etiam in aliis, dependenter tamen ab illo primo analogato; analogiam vero proportionalitatis semper includere aliquid metaphorae et improprietatis[1].

170. Schol. 1. Quoad analogiam attributionis et proportionalitatis impropriae concedimus analogata minus principalia aliquid intrinsecus habere, at non quo analogice denominentur, sed quo respiciant seu conotent principale analogatum, ut possint ab eo extrinsecus denominari. Hoc intrinsecum, quo conotant, est aut nexus causalis (in analogia attributionis) aut similitudo aliqua accidentalis, quo unum se habet in suo modo essendi vel agendi similiter sicut alterum in suo modo, quo habetur proportionalitas. Ad rem S. Thomas: « Quamvis sanitas non sit in medicina neque in urina, tamen in utroque est aliquid, per quod illud quidem facit, istud autem significat sanitatem » (S. th. I 16, 6).

---

[1] **Disp. met.** 28 sect. 3 n. 11 et 14

2. Analogia proportionalitatis propriae saepe continet virtualiter attributionis analogiam, quia saepe inter diversa analogata gradatio aliqua intercedit secundum magis et minus, quatenus alterum alteri aliquid superaddit, ita ut alterum ab altero dependeat essentialiter. Quo fit ut, si per impossibile unum intrinsecus non denominaretur tale, extrinsecus tale denominaretur ab altero secundum analogiam attributionis. Ita analogia, qua ens dicitur de Deo et de creaturis, de substantia et de accidente, formaliter est proportionalitatis, virtualiter autem attributionis (cf. n. 177, 3).

Bibliographia ad 167—170: *T. Barth*, Zum Problem der Eindeutigkeit, PhJ 55 (1942) 300—321. *F. A. Blanche*, La notion d'analogie dans la philosophie de S. Thomas d'Aquin, RSPhTh 10 (1921) 169-193. *B. Landry*, L'analogie de proportion chez saint Thomas d'Aquin, RNSPh 24 (1922) 257—280. *Id.*, L'analogie de proportionnalité chez saint Thomas d'Aquin, l. c. 454—464. *E. Laurent*, Quelques réflexions sur l'analogie, Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aq. 5 (1938) 169—184. *J. Le Rohellec*, De fundamento metaphysico Analogiae, DThPlac 29 (1926) 77—101; 664—691. *P. M. De Munnynck*, L'analogie métaphysique, RNSPh 25 (1923) 129—153. *T. L. Penido*, Le rôle de l'analogie en théologie dogmatique, Bibliothèque thomiste 15, Paris 1931.

Ad 167 sq. *Aristoteles:* vide supra ad 20. *S. Thomas:* «Aliquid praedicatur de diversis multipliciter: quandoque quidem secundum rationem omnino eandem, et tunc dicitur de eis univoce praedicari, sicut animal de equo et bove. Quandoque vero secundum rationes omnino diversas, et tunc dicitur de eis aequivoce praedicari, sicut canis de sidere et animali. Quandoque vero secundum rationes, quae partim sunt diversae et partim non diversae: diversae quidem secundum quod diversas habitudines important, unae autem secundum quod ad unum aliquid et idem istae diversae habitudines referuntur, et illud dicitur analogice praedicari, id est proportionaliter, prout unumquodque secundum suam habitudinem ad illum unum refertur» (In Met. IV lect. 1 n. 535). «Secundum analogiam . . . nihil est aliud dictu quam secundum proportionem. Convenientia enim secundum proportionem potest esse duplex, et secundum hoc duplex attenditur analogiae communitas. Est enim quaedam convenientia inter ipsa quorum est ad invicem proportio, eo quod habent determinatam distantiam vel aliam habitudinem ad invicem, sicut binarius cum unitate, eo quod est eius duplum; convenientia etiam quandoque attenditur duorum ad invicem inter quae non sit proportio, sed magis similitudo duarum ad invicem proportionum, sicut senarius convenit cum quaternario ex hoc, quod sicut senarius est duplum ternarii, ita quaternarius binarii. Prima ergo convenientia est proportionis, secunda autem proportionalitatis; unde et secundum modum primae convenientiae invenimus aliquid analogice dictum de duobus quorum unum ad alterum habitudinem habet, sicut ens dicitur de substantia et accidente ex habitudine quam substantia et accidens habent, et sanum dicitur de urina et animali, ex eo quod urina habet aliquam habitudinem ad sanitatem animalis. Quandoque vero dicitur aliquid analogice secundo modo convenientiae, sicut nomen visus dicitur de visu corporali et intellectu, eo quod sicut visus est in oculo, ita intellectus est in mente» (Ver. 2, 11; cf. a. 3 ad 4; In Eth. I lect. 7 n. 95 sq.). «Analogice dicitur praedicari, quod praedicatur de pluribus quo-

rum rationes et definitiones sunt diversae, sed attribuuntur uni alicui eidem sicut sanum . . . dicitur de urina ut de signo sanitatis, de corpore ut de subiecto, de potione ut de causa ; sed tamen omnes istae rationes attribuuntur uni fini, scil. sanitati » (Op. De principiis nat., ad fin. ; cf. Ver. 21, 4 ad 2). « Aliquid dicitur secundum analogiam tripliciter : vel secundum intentionem tantum et non secundum esse [Est analogia attributionis, cf. Caietan., De nom. anal. c. 2 n. 21 <ed. Zammit, Romae 1934>] ; et hoc est, quando una intentio refertur ad plura per prius et posterius, quae tamen non habet esse nisi in uno ; sicut intentio sanitatis . . . Vel secundum esse et non secundum intentionem [Haec vocatur a quibusdam analogia inaequalitatis ; cf. Caietan. l. c. c. 1 n. 3 sqq. « Univoca sunt, secundum veritatem », ib. n. 7] ; et hoc contingit quando plura parificantur in intentione alicuius communis, sed illud commune non habet esse unius rationis in omnibus [Corpus in corruptibilibus et incorruptibilibus] . . . Vel secundum intentionem et secundum esse [Est analogia proportionalitatis (propriae). Caietan. l. c. c. 3 n. 30] ; et hoc est quando neque parificantur in intentione communi neque in esse ; sicut ens dicitur de substantia et accidente ; et de talibus oportet quod natura communis habeat aliquod esse in unoquoque eorum de quibus dicitur, sed differens secundum rationem maioris vel minoris perfectionis. Et similiter . . . veritas et bonitas et omnia huiusmodi dicuntur analogice de Deo et creaturis » (I Dist. 19, 5 a. 2 ad 1 ; cf. Pot. 7, 7 ; C. g. I 34 ; S. th. I 13, 5).

Articulus II

DE PRAEDICAMENTIS IN GENERE

§ 1. De divisione universalis in decem praedicamenta

171. Quid sit praedicamentum. Cum universale formaliter sumptum seu ipsa intentio universalitatis dividatur in quinque praedicabilia, universale materialiter sumptum seu natura, cui affigitur universalitatis intentio, dividitur in decem praedicamenta (cf. n. 140), i. e. naturae omnes finitae, quae sunt et esse possunt, ordinantur in decem classes supremas seu genera suprema. Quae ordinatio ita fit, ut a genere supremo per differentias divisivas descendatur ad genera immediate subalterna et ab his ad alia genera immediate subordinata usque ad species infimas et individua. Ideo praedicamentum definitur: series generum et specierum sub uno supremo genere ordinatorum, vel : series seu ordinatio praedicatorum superiorum et inferiorum ab uno supremo genere, quod praedicatur de omni inferiore, usque ad individuum, quod subicitur omni superiori. Series ipsorum generum et specierum vocatur linea recta praedicamenti, series vero differentiarum divisivarum generum superiorum et constitutivarum generum et specierum subalternatarum dicitur linea lateralis.

In praedicamento ita constituto distinguenda est ipsa ordinatio, quae est ens logicum seu secunda intentio, et id quod or-

d i n a t u r , quod est ens reale, universale materialiter sumptum. Hoc considerat metaphysicus, illud vero logicus, qui ens reale seu naturas reales non considerat nisi secundarie, quatenus materia sunt, quae ordinatur, seu cui affigitur intentio logica ordinationis logicae secundum genera et species.

172. Quotuplex sit praedicamentum (cf. n. 714 sq.). Quomodo S. Thomas praedicamenta deduxerit logice ex diverso modo praedicandi (cf. textum infra cit.), hoc schemate exhibetur :



173. Quid ponatur in praedicamento. Ut aliquid ponatur in praedicamento, requiritur : 1. ut sit ens r e a l e ; nam id quod ordinatur per decem praedicamenta, est universale materialiter sumptum seu natura realis. Suprema autem genera entis rationis (quasi praedicamenta eius) iam enumeravimus (n. 110). 2. ut sit ens p e r s e, i. e. unum ens, non ens per accidens seu aggregatum plurium entium ; ratio est, quia aggregatum plura genera et species dicit nec proinde sub praedicamento, quod unum tantum genus est, poni potest. Prop-

ter hanc conditionem a praedicamento reicienda sunt concreta accidentalia, sumendo illa non pro formali tantum, sed pro composito ex subiecto et accidente. Si autem pro formali tantum sumuntur, nihil vetat, quominus in praedicamento ponantur. 3. ut sit ens incomplexum, qua conditione non solum excluduntur complexa accidentalia, quae sunt entia per accidens, iam exclusa per secundam conditionem, sed etiam complexa essentialia, ut definitiones; exemplum sit animal rationale. Nam etiam haec, si sumuntur formaliter ut complexa, non unum dicunt, sed duo, quorum alterum pertinet ad lineam rectam, alterum ad lineam lateralem. 4. ut sit univocum. Nam pure aequivoca non unum ens significant, sed plura, analoga autem non possunt habere rationem neque generis neque speciei neque differentiae, ac proinde in praedicamento nullo modo poni possunt, in quo non ponuntur nisi genera et species et differentiae. 5. ut sit ens finitum. Nam ens infinitum (infinitum simpliciter, i. e. Deus) non potest esse genus, quia non est contrahibile per differentiam, neque contineri sub genere, quia non est compositum ex genere et differentia.

Simpliciter in linea recta praedicamenti poni non potest nisi ens completum. Entia incompleta sunt: partes tam physicae quam metaphysicae, entia vialia, formae in fieri, principia. Partes physicae, tam essentiales, ut materia et forma, corpus et anima, quam integrales, ut partes corporis humani, ponuntur reductive in praedicamento totius, cuius sunt partes. Ita anima humana ponitur in praedicamento substantiae eo loco quo ponitur homo. Partes metaphysicae, si sunt differentiae, in linea laterali ponuntur; si sunt formae metaphysicae a toto abstractae, ut humanitas, ponuntur reductive in praedicamento totius; ita humanitas reducitur ad hominem. Entia vialia, formae in fieri, principia tamquam imperfectum ad perfectum reducenda sunt. Ita virtus instrumentaria est qualitas imperfecta transeunter participata tamquam ens viale; calefieri seu calor in fieri tamquam calor imperfectus ad calorem reducitur et in praedicamento qualitatis ponitur; punctum tamquam principium lineae ad praedicamentum quantitatis reducitur; non est quidem quantitas seu extensio, pertinet tamen ad eam tamquam eius principium.

Bibliographia ad 171—173: *K. K. Berry*, The relation of the Aristotelian Categories to the Logic and the Metaphysics, NSch 14 (1940) 406—411. *K. v. Fritz*, Der Ursprung der aristotelischen Kategorienlehre, Archiv f. Geschichte d. Philos. 40 (1931) 449—496. *Ridolfi*, Le categorie di Aristotele, RFNS 2 (1910) 233—243; 452—466; 650—664. *R. Witten*, Die Kategorien des Aristoteles, Archiv f. Geschichte d. Philos. 17 (1904) 52—59.

Ad 172. Aristoteles, ut *Boëthius* ait, «rerum diversarum interminatam infinitamque multitudinem decem praedicamentorum paucissima numerositate conclusit, ut quae infinita sub scientiam cadere non potuerant, decem generibus

propriis definita scientiae comprehensione claudantur » (Praef. in Praedicam. Arist.). *Aristoteles :* Τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων ἕκαστον ἤτοι οὐσίαν σημαίνει ἢ ποσὸν ἢ ποιὸν ἢ πρός τι ἢ ποῦ ἢ ποτὲ ἢ κεῖσθαι ἢ ἔχειν ἢ ποιεῖν ἢ πάσχειν (Cat. 4, 1 b 25). *S. Thomas :* « Praedicatum ad subiectum tripliciter se potest habere. Uno modo, cum est id quod est subiectum, ut cum dico : Socrates est animal... Et hoc praedicatum dicitur significare substantiam primam, quae est substantia particularis, de qua omnia praedicantur. Secundo modo, ut praedicatum sumatur secundum quod inest subiecto : quod quidem vel inest per se et absolute ut consequens materiam, et sic est quantitas, vel ut consequens formam, et sic est qualitas ; vel inest ei non absolute, sed in respectu ad aliud, et sic est ad aliquid [relatio]. Tertio modo, ut praedicatum sumatur ab eo quod est extra subiectum, et hoc dupliciter. Uno modo, ut sit omnino extra subiectum : quod quidem, si non sit mensura subiecti, praedicatur per modum habitus, ut cum dicitur : Socrates est calceatus vel vestitus. Si autem sit mensura eius, cum mensura extrinseca sit vel tempus vel locus, sumitur praedicamentum vel ex parte temporis, et sic erit quando, vel ex loco, et sic erit ubi, non considerato ordine partium in loco ; quo considerato erit situs. Alio modo, ut id a quo sumitur praedicamentum, secundum aliquid sit in subiecto de quo praedicatur. Et si quidem secundum principium, sic praedicatur ut agere. Nam actionis principium in subiecto est. Si vero secundum terminum, sic praedicatur ut in pati, nam passio in subiectum patiens terminatur » (In Met. V lect. 9 n. 891 sq. ; cf. In Phys. III lect. 5 [infra ad 193 195 201]).

§ 2. De ente praedicamentali

Thesis 11 : *Ens ad decem praedicamenta non est univocum, sed analogum analogia proportionalitatis propriae.*

174. St. qu. 1. Cum universale materialiter sumptum, quod dividitur in decem praedicamenta, sit ens reale finitum, ens reale finitum est divisum huius divisionis, quod proinde vocatur ens praedicamentale. De hoc ente quaeritur, quomodo ad membra sua dividentia, ad decem praedicamenta, se habeat, utrum ad modum univoci seu generis, quod dividitur in species, an ad modum analogi, quod in analogata sua dividitur.

2. Docet quidem Scotus aliquam entis univocitatem, quae tamen analogiae a scholasticis communiter propugnatae non obstare videtur, sed potius illam tantum defendere unitatem conceptus entis, quam compatitur analogia (cf. n. 169, 1) ; omnino consequenter asseritur ens non esse genus eiusque contractionem in inferioribus fieri per modos intrinsecos.

175. Prob. th. I p. : Ens non est univocum. Ex eo quod ens non relinquit differentias inferiorum suorum : Universale univocum est unum pluribus distributive sumptis conveniens eadem ratione. Atqui ens non est unum pluribus distributive sumptis conveniens eadem ratione. Ergo ens non est univocum.

Mai. patet ex definitione universalis (cf. n. 114, 1).

Prob. min. Unum eadem ratione pluribus conveniens abstrahit a differentiis inferiorum suorum. Atqui ens non abstrahit a differentiis inferiorum suorum ; nam etiam hae differentiae, ut substantialitas seu perseitas, accidentalitas etc., sunt aliquid seu entitates.

Prob. II p. : Ens est analogum analogia proportionalitatis propriae. Ex eo quod ens significat inferiora, prout dicunt habitudinem ad esse : Ratio secundum quid seu proportionaliter una, quae intrinsecus inest in inferioribus suis, est analogum analogia proportionalitatis propriae. Atqui ens est ratio proportionaliter una, quae intrinsecus inest in inferioribus suis, i. e. in decem praedicamentis. Ergo.

Mai. patet ex doctrina de analogia (n. 167 sq.).

Min. ex eo probatur, quod ens significat inferiora sua, prout dicunt habitudinem ad esse, quae habitudo est una eademque respectu omnium. Ens enim est idem atque habens esse. Quare ens cum praedicatur de substantia, de quantitate, qualitate etc., significat ea ut habentia esse, et quamquam uniuscuiusque esse est diversum, habitudo tamen diversorum habentium esse ad suum esse est eadem. Nam sicut substantia se habet ad suum esse, ita qualitas ad suum etc., sicut enim esse substantiae est actus substantiae, ita esse qualitatis est actus qualitatis.

176. Coroll. 1. Ergo ens non enuntiat aliquam rationem obiectivam simpliciter unam, sed significat immediate inferiora sua, quae sunt simpliciter multa et diversa. Non tamen significat ea distincte et explicite, sed confuse et implicite, et prout sunt unum secundum quid, i. e. prout sunt proportionaliter unum. Nam quia ens non abstrahit a differentiis inferiorum suorum, has differentias actu continet et enuntiat, confundendo eas tamen in ratione proportionaliter una habendi esse (cf. n. 169, 1). Sicut qui videt gregem a longe ut massam unam confusam, cognoscit singula animalia omnia, at non prout distinguuntur inter se, sed prout confunduntur in illa massa, ac proinde neque cognoscit ea, ut sunt plura et distincta, sed ut sunt unum et confusum, quia confundit pluralitatem et distinctionem in illa unitate ; ita ens repraesentat omnes entium differentias, perseitatem, accidentalitatem etc., non prout sunt plura et distincta, sed prout sunt unum secundum quid, confundendo pluralitatem et distinctionem in illa ratione proportionaliter una, in qua conveniunt. Qui vero ad singula descendit, concipiendo hoc vel illud ens ut substantiam, quantitatem, iam solvit conceptum entis solvendo confusionem.

2. Ergo ens non contrahitur in inferioribus per formales differentias in conceptu entis actu non inclusas [1] — ens enim quascumque

differentias actu continet —, sed contrahitur per diversos essendi modos, qui sunt conceptus expressiores et clariores eiusdem realitatis significatae per ens. Ita substantia, quantitas etc. repraesentant modo clariore et expressiore illas easdem realitates, quas confuse importat ens.

3. Ergo sicut contractio entis in inferioribus non fit per additionem, ita eius abstractio non fit per exclusionem, sed per non-explicationem inferioris, quod tamen includitur actu, sed confuse. Haec abstractio per non-explicationem seu per confusionem, quae eo fit, quod differentiae inferiorum confunduntur in ratione proportionaliter una, dici potest abstractio imperfecta et praecisio imperfecta. Haec praecisio imperfecta non est mere subiectiva, sed praecisio cum fundamento in re imperfecto. Ad cuius intellectum notandum est praecisionem mere subiectivam esse sine fundamento in re, praecisionem obiectivam esse cum fundamento in re perfecto, sed praeterea dari praecisionem cum fundamento in re imperfecto (quae a quibusdam praecisio imperfecte obiectiva dicitur). Praecisio, qua conceptus univoci ab inferioribus suis abstrahunt, est obiectiva seu cum fundamento in re perfecto. Hoc fundamentum in re perfectum est distinctio virtualis maior, praescindibilitas perfecta. Ens vero non est perfecte praescindibile ab inferioribus suis.

4. Ergo ens non est genus; genus enim univoce inferioribus suis convenit.

5. Ergo decem praedicamenta sunt suprema rerum genera et primo diversa, i. e. in nullo gradu communi superiori conveniunt. Ad plenum huius corollarii intellectum nota : neque accidens esse genus, cum neque accidens possit contrahi in inferioribus per differentias formales in conceptu accidentis actu non contentas. Nam etiam « quale », « qualeitas », qua accidens commune genericum contraheretur, e. g. ad qualitatem, est profecto ens et quidem ens, cui competit inhaerere (accidens).

177. Schol. 1. Cum ens praedicatur de inferioribus suis, id quod praedicatur, non sunt illa omnia, quae ens materialiter et implicite continet, sed ratio habendi esse proportionaliter una imperfecte praecisa, sicut in praedicatione conceptus univoci id quod praedicatur, est ratio simpliciter una perfecte praecisa.

2. Ens etiam de Deo et de creaturis, de ente totali et partiali, dicitur secundum analogiam proportionalitatis propriae.

3. Ens quatenus dicitur de substantia et accidente, de Deo et de creaturis, de ente completo et partiali, continet virtualiter analogiam attributionis (unius ad unum). Haec virtualis analogia attributionis unius ad unum locum habet, quando ratio per nomen significata in uno invenitur principalius et aliud dicitur tale secundum dependentiam

ab illo. Iam vero in substantia ratio entis principalius invenitur, et accidens dicitur ens per ordinem ad substantiam. Idem dicendum respectu Dei et creaturarum. Similiter ratio entis principalius (per prius) invenitur in composito, in ente completo, et partes pertinentes ad compositum dicuntur entia per ordinem ad compositum : s u n t enim nonnisi in composito.

Ex his deducimus : 1. Ens per prius (principalius) dicitur de composito ex essentia et esse quam de pertinentibus ad tale compositum, — de substantia quam de accidentibus —, de Deo quam de creaturis. 2. Omnia dicuntur entia per ordinem ad aliquod simpliciter primum (simpliciter primum ens), per ordinem ad Deum, in quo ratio entis perfectissime invenitur.

178. Obi. *Contra I p.* 1. Quod abstrahit a differentiis inferiorum suorum, est univocum ad ea. Atqui ens abstrahit a differentiis inferiorum suorum, i. e. decem praedicamentorum. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Quod abstrahit praecisione perfecta, *conc. ;* imperfecta, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui ens abstrahit a differentiis inferiorum suorum praecisione perfecta. *Probo.* Quod in inferioribus suis invenitur contractum diversis differentiis, abstrahit a differentiis inferiorum suorum praecisione perfecta. Atqui ens in inferioribus suis invenitur contractum diversis differentiis. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Diversis differentiis in eo actu inclusis, *nego ;* actu non inclusis, *conc. Contradist. min.*

3. Atqui differentiae entis non continentur actu in ente. *Probo.* Non continentur actu in ente, quae ad invicem se excludunt. Atqui differentiae entis (ut substantialitas seu perseitas, accidentalitas, non esse per se) ad invicem se excludunt. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Non continentur in ente ut plura et opposita, *conc. ;* prout confunduntur in ratione proportionaliter una, *nego. Contradist. min.*

4. Atqui ens nullo modo actu continet differentias inferiorum suorum. *Probo.* Conceptus quocumque modo actu continens differentias inferiorum suorum de his inferioribus singillatim sumptis non est praedicabilis. Atqui ens est praedicabile de inferioribus suis singillatim sumptis (Substantia est ens, quantitas est ens, etc.). Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Non est praedicabilis secundum id, quod materialiter implicite continet, *conc. ;* secundum id, quod explicat, *nego. Contradist. min.*

Contra II p. (ad mentem Suaresii cf. n. 169, 2). 1. Quod convenit proprie et intrinsecus inferioribus suis, ad ea non est analogum analogia proportionalitatis. Atqui ens convenit proprie et intrinsecus inferioribus suis. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Non est analogum analogia proportionalitatis propriae, *nego. ;* proportionalitatis impropriae, *conc. Conc. min. ; dist. consq.*

2. Atqui ens non est analogum analogia proportionalitatis propriae. *Probo.* Quod est analogum analogia attributionis, non est analogum analogia proportionalitatis propriae. Atqui ens est analogum analogia attributionis. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Quod formaliter est analogum analogia attributionis, *conc. ;* quod virtualiter tantum est analogum analogia attributionis, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui ens est formaliter analogum analogia attributionis. *Probo.* Ratio conveniens pluribus secundum aliquem nexum causalem est formaliter analoga analogia attributionis. Atqui ens est ratio conveniens pluribus secundum aliquem nexum causalem. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Ratio non conveniens intrinsecus omnibus analogatis, sed praedicata de omnibus propter hunc nexum causalem, *conc. ;* ratio conveniens intrinsecus omnibus analogatis et praedicata de omnibus propter intrinsecam convenientiam, *nego. Contradist. min.*

4. Atqui ens non est ratio ita intrinsecus conveniens omnibus analogatis suis sine formali analogia attributionis. *Probo.* Ratio ita intrinsecus conveniens est ratio univoca. Atqui ens non est ratio univoca. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Ratio ita intrinsecus conveniens simpliciter una, *conc.;* secundum quid tantum una seu proportionaliter una, *nego. Conc. min.; dist. consq.*

5. Atqui ens non est ratio secundum quid seu proportionaliter una. *Probo.* Ratio, cuius inferiora se totis differunt, non est ratio secundum quid seu proportionaliter una. Atqui ens est ratio, cuius inferiora se totis differunt. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Cuius inferiora se totis differunt quoad notas, ita tamen ut uniuscuiusque notae ad invicem dicant eandem habitudinem, *nego;* ita ut neque uniuscuiusque notae ad invicem dicant eandem habitudinem, *conc. Contradist. min.:* Se totis differunt secundum notas absolute consideratas, *conc.;* secundum habitudinem, quam dicunt uniuscuiusque notae ad invicem, *nego.*

Bibliographia ad 174—177: *T. Barth,* De fundamento univocationis apud Joannem Duns Scotum, Ant 14 (1939) 181—206; 277—298; 373—392. *J. Ell,* Das Existenzproblem in der Scholastik, DThFrib 19 (1941) 81—107. *J. García López,* La analogía del ser, CT 76 (1949) 607—625. *J. Horgan,* L'abstraction de l'être, RNSPh 42 (1939) 161—181. *J. Jacques,* Abstraction et analogie, RNSPh 38 (1935) 530—535. *A. van Leeuwen,* L'analogie de l'être. Genèse et contenu du concept d'analogie, RNSPh 39 (1936) 293—320. *Id.,* L'analogie de l'être. Précisions sur la nature de cette analogie, l. c. 469—496. *H. Mac Donagh,* La notion d'être dans la métaphysique de Jean Duns Scot, RNSPh 30 (1928) 400—417; 31 (1929) 81—96; 148—181. *A. Marc,* L'idée thomiste de l'être et les analogies d'attribution et de proportionnalité, RNSPh 35 (1933) 157—189. *G. M. Petazzi,* Univocità od analogia, RFNS 3 (1911) 34—49; 365—380; 4 (1912) 31—61.

Ad 175. *Aristoteles* «quod ens et unum non possunt esse genera, probat tali ratione. Quia cum differentia addita generi constituat speciem, de differentia praedicari non poterit nec species sine genere nec genus sine speciebus... Nulla autem differentia potest accipi, de qua non praedicetur ens et unum, quia quaelibet differentia cuiuslibet generis est ens et est una» (Οὐχ οἷόν τε δὲ τῶν ὄντων οὔτε τὸ ἓν οὔτε τὸ ὂν εἶναι γένος· ἀνάγκη μὲν γὰρ τὰς διαφορὰς ἑκάστου γένους καὶ εἶναι καὶ μίαν εἶναι ἑκάστην: Met. III 3, 998 b 22. *S. Thom.* lect. 8 n. 433). Idem «dicit quod ens, etsi dicatur multipliciter, non tamen dicitur aequivoce, sed per respectum ad unum, non quidem ad unum, quod sit solum ratione unum, sed quod est unum sicut una quaedam natura... Ponit enim primo unum exemplum, quando multa comparantur ad unum sicut ad finem, sicut patet de hoc nomine sanativum [cf. supra ad 167, text. ex De princ. nat.]... Ita etiam et ens multipliciter dicitur. Sed tamen omne ens dicitur per respectum ad unum primum. Sed hoc primum non est finis vel efficiens sicut in praemissis exemplis, sed subiectum. Alia enim dicuntur entia vel esse, quia per se habent esse sicut substantiae, quae principaliter et prius entia dicuntur. Alia vero, quia sunt passiones sive proprietates substantiae, sicut per se accidentia uniuscuiusque substantiae. Quaedam autem dicuntur entia, quia sunt via ad substantiam, sicut generationes et motus... Et iterum qualitates vel accidentia quaedam dicuntur entia, quia sunt activa vel generativa substantiae... Item negationes eorum, quae ad substantiam habitudinem habent, vel etiam ipsius substantiae esse dicuntur. Unde dicimus, quod non ens est non ens. Quod non diceretur nisi negationi aliquo modo esse competeret» (Τὸ δὲ ὂν λέγεται μὲν πολλαχῶς, ἀλλὰ πρὸς ἓν καὶ μίαν τινὰ φύσιν, καὶ οὐχ ὁμωνύμως ἀλλ' ὥσπερ καὶ τὸ ὑγιεινὸν ἅπαν πρὸς ὑγίειαν... οὕτω δὲ καὶ τὸ ὂν λέγεται πολλαχῶς

μέν, ἀλλ' ἅπαν πρὸς μίαν ἀρχήν· τὰ μὲν γὰρ ὅτι οὐσίαι, ὄντα λέγεται, τὰ δ' ὅτι πάθη οὐσίας, τὰ δ' ὅτι ὁδός εἰς οὐσίαν : Met. IV 2, 1003 a 33. *S. Thom.* lect. 1 n. 536 539 ; cf. VII lect. 4 n. 1344 ; XI lect. 3 n. 2197 ; I Dist. 19, 5 a. 2 ad 1 [cit. ad 167]). « Enti non potest addi aliquid quasi extranea natura, per modum quo differentia additur generi vel accidens subiecto, quia quaelibet natura essentialiter est ens ; unde etiam probat Philosophus in III Metaph., quod ens non potest esse genus ; sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens, inquantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur » (Ver. 1, 1). « Ens non potest esse genus alicuius ; omne enim genus habet differentias, quae sunt extra essentiam generis ; nulla autem differentia posset inveniri quae esset extra ens, quia non ens non potest esse differentia » (S. th. I 3, 5 ; cf. C. g. I 25 : Quod autem ; Pot. 7, 3 ; Comp. Th. c. 13). In Eth. I lect. 7 fin. S. Thomas bono aperte analogiam proportionalitatis attribuit.

Articulus III

DE PRAEDICAMENTIS IN SPECIE

§ 1. De substantia et accidente praedicamentali

179. Definitio substantiae. Substantia l a t e sumpta idem est atque essentia (ita moralistae loquuntur de substantia actus) ; p r o p r i e autem significat rem, cuius essentiae competit per se esse et non in alio. Substantiae ratio a S. Thoma ita exponitur : « Substantia quae est subiectum (i. e. substantia praedicamentalis) duo habet propria. Quorum primum est, quod non indiget extrinseco fundamento, in quo sustentetur, sed s u s t e n t a t u r i n s e i p s o, et ideo dicitur subsistere quasi per se et non in alio exsistens. Aliud vero est, quod est f u n d a m e n t u m a c c i d e n t i b u s, sustentans ipsa, et pro tanto dicitur substare » (Pot. 9, 1). Duo igitur conveniunt substantiae : e s s e p e r s e seu subsistere et s u b s t a r e accidentibus. Sed quia primum est radix secundi, in primo seu in eo quod est esse ens, cui competit per se esse, consistit ratio formalis seu essentiale constitutivum substantiae ; essentia enim est id quod est primum in re et radix proprietatum. Quare s u b s t a r e accidentibus est p r o p r i e t a s ex essentia substantiae praedicamentalis promanans.

Esse per se significat i n d e p e n d e n t i a m i n e s s e n d o, quae tamen non est absoluta. Esse per se, quod substantiae praedicamentali convenit, duplicem significat independentiam in essendo : 1. independentiam a subiecto inhaesionis, 2. independentiam a comprincipio intrinseco substantiali.

180. Divisio substantiae. 1. *Divisio analoga. a)* Substantia transcendentaliter sumpta, tamquam analogum, dividitur in substantiam f i n i t a m (creatam) et i n f i n i t a m (increatam). Haec non est ge-

nus neque in genere, quare neque praedicamentum constituit neque est in praedicamento, illa vero est in praedicamento et constituit praedicamentum; ideo vocatur substantia praedicamentalis.

b) Substantia praedicamentalis dividitur ratione completionis in completam et incompletam. Substantia completa est, quae, sive simplex sive composita, ex se non ordinatur ad essentiam substantialem compositam constituendam (angelus, homo, planta). Substantia incompleta est, quae ex se ordinatur ad essentiam substantialem compositam constituendam (anima). Duplex est substantia incompleta: quaedam est incompleta in ratione speciei tantum (anima humana), quaedam in ratione speciei et substantialitatis (materia prima et forma substantialis omnis in materia recepta, sola anima humana excepta) (cf. n. 253). Illi competit per se subsistere (unde est vera substantia), etsi ex natura sua ordinatur ad constituendam cum altera comparte substantiali speciem aliquam completam. Huic vero non competit per se esse seu subsistere, unde simpliciter non est substantia, reductive tamen pertinet ad substantiam, est aliquid substantiale. Illa etiam dicitur substantia completa ut substantia, incompleta ut natura, i. e. ut principium operationis, quia subsistit quidem sine consortio alterius compartis (corporis), at non potest omnes operationes exercere, quae ei ex natura sua conveniunt. Anima humana enim non potest sentire neque vegetare sine corpore. Etiam haec divisio est divisio analogi in analogata sua. Conceptus enim substantiae praedicamentalis in singulis membris non eodem modo salvatur, sed aliter et aliter.

2. *Divisio accidentalis.* Substantia praedicamentalis dividitur accidentaliter ratione modi essendi (universalitatis et singularitatis) in substantiam primam et secundam. Substantia prima est, quae non est in subiecto neque de subiecto dicitur; substantia secunda est, quae non est in subiecto, dicitur tamen de subiecto. Substantia prima est individuum, substantia secunda est substantia universalis. Ratio substantiae principalius convenit substantiae primae, quia haec magis substat, substat enim (logice) ipsi substantiae secundae, quae utpote genus aut species sub se continet individuum seu substantiam primam. Et haec est ratio, cur substantia secunda de prima dicatur.

3. *Divisio essentialis* substantiae praedicamentalis seu ordinatio praedicamenti substantiae. Substantia dividitur in compositam (ex partibus essentialibus) et simplicem (non compositam ex partibus essentialibus). Substantia composita est corpus, simplex est spiritus seu angelus (substantia spiritualis completa). Angelus in diversas species angelorum dividitur. Corpus dividitur in vivens (i. e. vegetans) et non vivens. Corpus vivens est animatum, non vivens est minerale. Minerale in diversa genera et species mineralium dividitur. Animatum dividitur in sensitivum et non sensitivum. Animatum sensitivum est

animal, non sensitivum est planta. Planta in diversa genera et species plantarum dividitur, animal autem dividitur in rationale et irrationale. Animal rationale est homo, qui est species infima seu atoma; animal irrationale est brutum, quod in diversa genera et species dividitur (cf. n. 159 sq.).

181. Proprietates substantiae. *Praenotamen.* Cum ab Aristotele et scholasticis assignantur proprietates substantiae aliorumque praedicamentorum, non intelliguntur proprietates reales tantum, sed quaecumque notiones secundariae, quae praedicamentis attribui solent tamquam aliquid, nostro saltem modo concipiendi ab eis distinctum.

1. Non esse in subiecto, i. e. inhaesionis. Haec proprietas tam primae quam secundae substantiae convenit. Quamquam enim prima est subiectum logicum secundae, quia haec dicitur seu praedicatur de illa, non est tamen subiectum physicum seu inhaesionis.

2. Significare seu esse hoc aliquid, i. e. aliquid per se subsistens et substantive expressum ad differentiam accidentium, quae solum significant « quale » et exprimuntur adiective.

3. Non suscipere magis et minus, i. e. essentia substantialis non potest intensior fieri et remissior, sicut calor potest intendi et remitti. Quo tamen non obstante potest una substantia esse nobilior altera.

4. Non habere contrarium, i. e. rigorose sumptum. Nam contraria sunt, quae ab eodem subiecto se expellunt; quare sicut substantia non est in subiecto, ita quoque non potest aliam expellere a subiecto; attamen ratione contrariarum qualitatum nihil vetat substantias inter se pugnare.

5. Esse susceptivum contrariorum. Cum enim substantia sit subiectum inhaesionis accidentium, potest suscipere accidentia contraria.

6. Substantiam secundam praedicari univoce de prima, quia haec continetur sub illa.

182. Definitio accidentis praedicamentalis. Accidens praedicamentale, quod contra substantiam distinguitur, definitur: res, cuius quiddítati competit esse non in se, sed in alio tamquam in subiecto inhaesionis. Ratio igitur formalis, qua constituitur accidens, est habitudo ad inhaerendum seu ad inesse. Illud autem inesse duo importat: *a)* tribuere formaliter aliquod esse secundarium, supponens esse primum seu substantiale; *b)* dependere in esse a subiecto. Ex defectu primi forma substantialis incompleta in ratione substantialitatis non est accidens; nam etsi convenit ei inesse atque dependere a subiecto in esse, eius tamen est dare esse primum. Ex defectu utriusque materia colorata inhaerens corpori (pigmentum) non est accidens, color tamen

est accidens. Cum unum sit praedicamentum substantiae, cetera praedicamenta omnia accidentia sunt.

Ab accidente praedicamentali distinguendum est accidens praedicabile, quo significatur quidquid non pertinet ad essentiam neque cum essentia necessario conectitur (cf. n. 163 sq.). Ita esse in creaturis est accidens praedicabile, et tamen esse substantiale est aliquid substantiale ; contra risibilitas non est accidens praedicabile, sed proprium, est tamen accidens praedicamentale, si sumitur physice (pro proprio physico).

Ad 179. *Aristoteles* in Met. V 8 « ponit diversos modos substantiae . . . Ponit quattuor modos ; quorum primus est secundum quod [dicuntur substantiae] simplicia corpora . . . [Et] mixta . . . Et iterum animalia, . . . et partes eorum . . . Omnia praedicta dicuntur substantia, quia non dicuntur de alio subiecto, sed alia dicuntur de his ["Απαντα δὲ ταῦτα λέγεται οὐσία ὅτι οὐ καθ' ὑποκειμένου λέγεται, ἀλλὰ κατὰ τούτων τὰ ἄλλα : 1017 b 13] . . . Quartum modum ponit [dicens] quod etiam quidditas rei, quam significat definitio, dicitur substantia uniuscuiusque » *(S. Thom.*, In Met. V lect. 10 n. 898 902 ; cf. S. th. I 29, 2). Categ. c. 5 omni substantiae commune esse dicit non esse in subiecto (κοινὸν δὲ κατὰ πάσης οὐσίας τὸ μὴ ἐν ὑποκειμένῳ εἶναι : 3 a 7). Cf. Met. VII 1—3 ; Cat. c. 2 (cf. n. 165). *S. Thomas :* « In definitione substantiae non est ens per se. Ex hoc enim quod dicitur ens, non posset esse genus : quia iam probatum est quod ens non habet rationem generis. Similiter nec ex hoc quod dicitur per se. Quia hoc non videtur importare nisi negationem tantum : dicitur enim ens per se ex hoc quod non est in alio ; quod est negatio pura . . . Oportet igitur quod ratio substantiae intelligatur hoc modo, quod substantia sit res cui conveniat esse non in subiecto ; nomen autem rei a quidditate imponitur, sicut nomen entis ab esse ; et sic in ratione substantiae intelligitur, quod habeat quidditatem cui conveniat esse non in alio » (C. g. I 25 ; cf. S. th. III 77, 1 ad 2 ; Qdl. IX a. 5 ad 2 [ad 182]). Cf. text. ad 717 737 fin.

Ad 180. *Aristoteles :* Οὐσία δέ ἐστιν ἡ κυριώτατά τε καὶ πρώτως [πρώτη οὐσία : Cat. 5, 3 a 8] καὶ μάλιστα λεγομένη, ἣ μήτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται μήτ' ἐν ὑποκειμένῳ τινί ἐστιν, οἷον ὁ τὶς ἄνθρωπος . . . Δεύτεραι δὲ οὐσίαι λέγονται, ἐν οἷς εἴδεσιν αἱ πρώτως οὐσίαι λεγόμεναι ὑπάρχουσι, . . . οἷον ὅ τε ἄνθρωπος καὶ τὸ ζῷον (Cat. 5, 2 a 11 ; cf. c. 2, 1 a 20 ; tertium antepraedicamentum [supra ad 165] ; Met. V 8 ; VII 1 et 3). *S. Thomas :* « Cum dividitur substantia in primam et secundam, non est divisio generis in species, cum nihil contineatur sub secunda substantia, quod non sit in prima ; sed est divisio generis secundum diversos modos essendi. Nam secunda substantia significat naturam generis secundum se absolutam ; prima vero substantia significat eam ut individualiter subsistentem. Unde magis est divisio analogi quam generis » (Pot. 9, 2 ad 6 ; cf. In Met. V lect. 10 n. 903 ; VII lect. 2 n. 1273 sqq.).

Ad 181. *Aristoteles* proprietates substantiae ponit c. 5 Cat. (3 a 7 sqq.).

Ad 182. *Aristoteles :* Τὸ γὰρ συμβεβηκὸς καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται (Phys. I 3, 186 a 34 ; cf. ib. I 2, 185 a 30 ; Anal. post. I 22, 83 a 24 ; Met. IV 4, 1007 a 35). *S. Thomas :* « Substantia est res, cuius naturae debetur esse non in alio ; accidens vero est res, cuius naturae debetur esse in alio » (Qdl. IX a. 5 ad 2). « Si accidens accipiatur secundum quod dividitur contra substantiam, sic nihil potest esse medium inter substantiam et accidens : quia dividuntur secundum affirmationem et negationem, scil. secundum esse in subiecto et non esse in subiecto . . . Si vero accipiatur accidens secundum quod ponitur unum quinque Universalium, sic aliquid est medium inter substantiam et accidens. Quia ad substantiam pertinet quidquid est essentiale

rei : non autem quidquid est extra essentiam, potest sic dici accidens, sed solum id quod non causatur ex principiis essentialibus speciei. Proprium enim non est de essentia rei, sed ex principiis essentialibus speciei causatur ; unde medium est inter essentiam et accidens » (S. th. I 77, 1 ad 5 ; cf. In Met. VII lect. 4 n. 1352 ; S. th. I-II 53, 2 ad 3 ; III 77, 1 ad 2).

§ 2. De quantitate praedicamentali

183. Definitio quantitatis. Quantitas latissime sumitur pro entitate seu perfectione — quantitas transcendentalis ; stricte autem sumpta pro quantitate praedicamentali definitur : ordo partium in toto. In qua definitione « ordo » positionem significat partium extra partes, ita ut quantitas etiam definiri possit : accidens tribuens subiecto habere partes extra partes quoad se. Ordo, in quo consistit quantitatis essentia, non est relatio ordinis, sed fundamentum huius relationis ; est ordo fundamentalis, i. e. fundamentum relationis secundum prius et posterius. Quantitas igitur duo continet : multitudinem partium, et huius multitudinis ordinem secundum positionem, quatenus partes ponuntur extra partes secundum prius et posterius (cf. n. 315--318). Quare quantitas praedicamentalis multitudini superaddit ordinem positionis secundum prius et posterius. Contra quantitas transcendentalis abstrahit ab hoc ordine, ac proinde nihil aliud est quam multitudo entium coniunctim sumptorum — numerus transcendentalis ; aut etiam unum ens indivisum, quod concipitur per modum cuiusdam multitudinis seu plenitudinis perfectionis — quantitas virtutis.

Quantitas praedicamentalis etiam extensio, quantitas dimensiva dicitur ; vocatur etiam quantitas molis seu materiae, quia est accidens rerum materialium et est materiae mensura (cf. n. 400).

184. Divisio quantitatis. 1. *Divisio analoga.* Quantitas latissime sumpta dividitur in transcendentalem et praedicamentalem. Quantitas transcendentalis dividitur in quantitatem virtutis et numerum transcendentalem. Quantitas virtutis est perfectio entitatis sive substantialis sive accidentalis. Numerus transcendentalis seu multitudo transcendentalis est pluralitas entium qua talium.

2. *Divisio essentialis* quantitatis praedicamentalis seu ordinatio praedicamenti quantitatis. Quantitas praedicamentalis dividitur in continuam et discretam seu numerum (praedicamentalem) ; continua est, cuius partes inter se continuantur ; discreta, cuius partes inter se non continuantur. Numerus dividitur in binarium, ternarium etc. ; unitas enim addita speciem numeri variat. Quantitas continua dividitur in lineam seu quantitatem unius dimensionis, superficiem seu duarum dimensionum, corpus mathematicum seu trium dimensionum.

Quantitas discreta oritur ex divisione quantitatis continuae et est multitudo plurium partium inter se discretarum, quarum unaquaeque est quantitas continua, ut habeatur ordo iuxtapositionis quantitativus, qui non habetur data multitudine entium inextensorum. In multitudine (transcendentali) substantiarum spiritualium non habetur per se ordo positionis, sed per accidens tantum, quatenus informant corpus, ut animae humanae, aut quatenus operantur in corpore, ut angeli, quorum multitudo per se constituit ordinem perfectionis secundum maiorem et minorem perfectionem singulorum angelorum. Ultimae partes numeri sunt unitates (praedicamentales), ex quarum additione resultat numerus.

185. Adnotationes ad ordinationem praedicamenti quantitatis. 1. Numerus praedicamentalis *a)* est vera et propria species quantitatis, quia etiam ipse ordinat partes discretas (unitates) extra partes. Ideo numerus praedicamentalis non tantum significat collectionem multorum, sed eorum ordinem quantitativum (ordinem secundum prius et posterius). Quare numerus est accidens ordinans partes discretas (unitates) extra partes. Cum unitas (unitas praedicamentalis seu substantia quanta) additur unitati, tunc resultat numerus, i. e. ordo positionis discretae, qui est novum accidens distinctum realiter tum a singulis substantiis, tum a quantitate continua earum. Numerus est unum per se unitate ordinis ac proinde est unum accidens. Nam numerus est unus ordo positionis partium discretarum. Ordinat quidem multa, sed uno ordine. Nec dici potest non esse unum, quia non habet subiectum unum. *Resp.:* subiectum unum esse unamquamque unitatem, quatenus relate ad eam ceterae unitates omnes ordinantur ordine positionis.

b) Numerus in rerum natura exsistens, si consideratur mere numerice, unus tantum est : numerus totalis omnium substantiarum corporearum. Hic numerus diversificatur secundum diversitatem essentialem (numerus omnium hominum, omnium brutorum etc.) et secundum diversitatem quamcumque accidentalem corporum (numerus omnium alborum, omnium nigrorum etc.). Aliae vero determinationes numerorum, ut duo homines, tres lapides etc., habent esse in mente tantum, nisi addita sit determinatio aliqua realis accidentalis secundum locum seu « ubi » (numerus hominum in hac aula), secundum tempus seu « quando », etc.

c) Numerus terminatur et determinatur ultima unitate ; quae vero in concreto sit haec ultima unitas, materialiter se habet et dependet a mentis consideratione, sicut etiam circulus et quaecumque quantitas continua in se reflexa est terminata prima et ultima parte ; quae vero sit haec ultima et haec prima pars in concreto, se habet materialiter et dependet a mentis designatione.

2. Linea, superficies, corpus mathematicum sunt verae species

quantitatis. Nam in unoquoque eorum seorsim sumpto salvatur ratio quantitatis seu ordo partium, ergo quantitates sunt ; et unumquodque specialem habet ordinem, ergo essentialiter distinguuntur in ipsa ratione quantitatis, seu verae sunt species quantitatis.

3. Locus, motus, tempus, oratio non sunt species quantitatis, sed sunt quanta per accidens : *a)* Locus est superficies ambiens seu continens locatum ; at continere locatum non significat specialem rationem extensionis, sed aliquid, quod est extra conceptum quantitatis, et quod ei accidit.

b) Motus non est quantus seu successivus nisi ratione distantiae percurrendae, quod est ei omnino accidentale (cf. n. 286).

c) Oratio sonis constituitur successive pronuntiatis, sed neque ratione soni, qui est qualitas, neque ratione pronuntiationis successivae, quae est motus, oratio est quanta per se.

4. Linea, superficies, corpus sunt species infimae, quia alia distinctiva, quae adduntur, ut curvitas, figura etc., sunt extra rationem quantitatis. Superficies dicitur curva similiter sicut dicitur alba ; sicut albedo, ita etiam curvitas est qualitas.

5. Punctum non est simpliciter quantitas, pertinet tamen reductive ad eam tamquam principium quantitatis continuae, est aliquid quantitatis. Similiter unitas non est numerus, non est quantitas discreta nisi reductive tamquam principium eius. Sicut distinguimus duplicem multitudinem, transcendentalem et praedicamentalem, ita duplicem unitatem, transcendentalem et praedicamentalem seu quantitativam : Unum transcendentale non addit aliquid reale enti, sed significat ipsum ens, prout intelligitur ut indivisum ; unum vero praedicamentale superaddit enti aliquid, non enim significat ens solummodo, sed ens quantum.

186. Proprietates quantitatis. Praeter proprietates physicas quantitatis, quae sunt extensio localis, impenetrabilitas, mensurabilitas, divisibilitas, de quibus in Philosophia naturali agendum est, tres ab Aristotele hic enumerantur proprietates attributales seu logicae :

1. Non habere contrarium contrarietate proprie dicta. Ratio est, quia contraria sunt, quae ab eodem subiecto se mutuo expellunt ; sed quantitas non expellit quantitatem, tum quia quantitas activa non est, et ideo non agit in aliam, tum quia, experientia teste, non fit aliquid de maiore minus, eo quod una quantitas alteram depellit, sed quia una pars quantitatis detrahitur, dum remanet altera. Magnum autem et parvum, multum et parum sibi sunt opposita non contrarie, sed relative tantum ; ideo idem homo relate ad minorem dicitur magnus et relate ad maiorem parvus.

2. Non suscipere magis et minus. Quantitas potest quidem extendi seu extensive augeri, non vero intendi: unus numerus est maior altero, sed non est magis numerus.

3. Ratione quantitatis res esse et dici aequales vel inaequales, i. e. quantitatem fundare relationem aequalitatis et inaequalitatis. Ratio est, quia quantitas reddit subiectum mensurabile; iam vero ea quae conveniunt in aliqua mensura, dicuntur aequalia, et quae differunt in ea, dicuntur inaequalia.

Bibliographia ad 183—186: *E. Bodewig*, Zahl und Kontinuum in der Philosophie des hl. Thomas, DThFrib 13 (1935) 55—77; 187—207. *M. Fatta*, La prima determinazione categorica dell'ente materiale, DThPlac 38 (1935) 418—429. *D. Mercier*, L'unité et le nombre d'après saint Thomas d'Aquin, RNSPh 8 (1901) 258—275.

Ad 183—185. *Aristoteles:* Τοῦ δὲ ποσοῦ τὸ μέν ἐστι διωρισμένον, τὸ δὲ συνεχές, καὶ τὸ μὲν ἐκ θέσιν ἐχόντων πρὸς ἄλληλα τῶν ἐν αὐτοῖς μορίων συνέστηκε, τὸ δὲ οὐκ ἐξ ἐχόντων θέσιν· ἔστι δὲ διωρισμένον μὲν οἷον ἀριθμὸς καὶ λόγος, συνεχὲς δὲ οἷον γραμμή, ἐπιφάνεια, σῶμα, ἔτι δὲ παρὰ ταῦτα χρόνος καὶ τόπος. τῶν μὲν γὰρ τοῦ ἀριθμοῦ μορίων οὐδείς ἐστι κοινὸς ὅρος, πρὸς ὃν συνάπτει τὰ μόρια αὐτοῦ ... ἡ δὲ γραμμὴ συνεχής ἐστιν· ἔστι γὰρ λαβεῖν κοινὸν ὅρον πρὸς ὃν τὰ μόρια αὐτῆς συνάπτει, στιγμήν (Cat. 6, 4 b 20; 5 a 1). Aristoteles hic inter species quantitatis enumerat locum, tempus, orationem, quae in V Metaph. a quantitate reicit. Rationem huius varietatis assignat *S. Thomas* in l. c. lect. 15 n. 986: « Sciendum est, quod Philosophus in Praedicamentis posuit tempus quantitatem per se, cum hic ponat ipsum quantitatem per accidens; quia ibi distinxit species quantitatis secundum diversas rationes mensurae. Aliam enim rationem mensurae habet tempus, quod est mensura extrinseca, et magnitudo, quae est mensura intrinseca. Et ideo ponitur ibi ut alia species quantitatis. Hic autem considerat species quantitatis quantum ad ipsum esse quantitatis. Et ideo illa, quae non habent esse quantitatis nisi ex alio, non ponit hic species quantitatis, sed quantitates per accidens, ut motum et tempus. » *S. Thomas:* « De ratione autem quantitatis est ordo partium » (S. th. I 14, 12 ad 1). « Positio, quae est ordo partium in toto, in eius [quantitatis] ratione includitur; est enim quantitas positionem habens » (C. g. IV 65; cf. text. ad 316 et 630 in fine). « Quantitas virtutis attenditur dupliciter: vel quantum ad numerum obiectorum, et hoc est per modum quantitatis discretae; vel quantum ad intensionem actus super idem obiectum, et hoc est sicut quantitas continua » (I Dist. 17, 2 a. 1 ad 2; cf. S. th. I 42, 1 ad 1; II-II 24, 4 ad 1).

Ad 186. *Aristoteles:* Ἔτι τῷ ποσῷ οὐδέν ἐστιν ἐναντίον (Cat. 6, 5 b 11). Τὸ ποσὸν οὐκ ἐπιδέχεται τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον (l. c. 6 a 25). Ἴδιον δὲ μάλιστα τοῦ ποσοῦ τὸ ἴσον τε καὶ ἄνισον λέγεσθαι (l. c. 6 a 26; cf. Met. V 13; *S. Thom.*, In Met. V lect. 15 n. 982).

§ 3. De qualitate praedicamentali

187. Definitio qualitatis. Qualitas sumitur 1. pro differentia essentiali, quae dicitur qualitas generis; 2. pro accidente quocumque; 3. stricte pro speciali aliquo accidente, quod specialiter « qualem » reddit substantiam, quatenus substantiae absolute convenit, distinguendo et determinando eam, quod est reddere qualem: quatenus absolute convenit, distinguitur a relatione et a praedicamentis, quae ex adiacentia aliqua extrinseca proveniunt,

i. e. a sex ultimis praedicamentis; quatenus distinguit et determinat, separatur a quantitate, quae etiam ipsa absolute convenit substantiae, quae tamen non distinguit et determinat, cum sequatur ratione materiae seu conveniat corpori secundum generalem rationem corporeitatis.

Aristoteles definit qualitates: « secundum quas quales quidam esse dicimur », explicando abstractum per concretum, quod nobis notius est. Ex iis quae diximus, potest qualitas definiri secundum S. Thomam: accidens modificativum seu determinativum substantiae in seipsa. Quatenus dicitur accidens determinativum substantiae, distinguitur a quantitate; quatenus dicitur determinativum substantiae in seipsa, distinguitur a ceteris accidentibus, quae substantiam determinant non absolute in seipsa, sed vel in ordine ad terminum (relatio) vel in ordine ad extrinsecum adiacens (sex ultima praedicamenta).

188. Divisio essentialis qualitatis seu ordinatio praedicamenti qualitatis. Qualitas stricte sumpta dividitur tamquam genus supremum in quattuor species, quae sunt: habitus et dispositio, potentia et impotentia, passio et patibilis qualitas, forma et figura. Nam qualitas determinat substantiam aut in esse suo, aut ut est quanta. Si determinat substantiam ut quantam, determinando positionem partium eius, est forma et figura; si determinat substantiam in esse suo, determinat eam aut in seipsa, ut bene vel male se habeat in se, quo constituitur habitus et dispositio, aut in ordine ad activitatem suam et passivitatem, quo constituuntur potentia et impotentia, passio et patibilis qualitas.

1. Habitus (ab « habere ») praedicatur de re, non inquantum res habet aliquid (ita enim constituitur praedicamentum habitus), sed inquantum res se habet in seipsa aliquo modo bene vel male, et definitur: accidens difficulter mobile, disponens subiectum ad bene vel male se habendum in seipso. Dispositio definitur: accidens facile mobile, disponens subiectum ad bene vel male se habendum in seipso. Dupliciter contingit habitum esse difficulter mobilem, dispositionem vero facile: *a)* ex ipsa natura habitus et dispositionis; ita scientia, quae versatur circa universalia et necessaria, firmitatem habet ex propria natura, i. e. ex certitudine visionis, opinio vero, quia innititur motivo probabili cum formidine alterius, infirma est; *b)* ex modo afficiendi subiectum; ita virtus moralis acquisita, initio dispositio infirma, paulatim iteratis actibus stabilitatem habitus acquirit. In primo casu habitus et dispositio distinguuntur specifice, non vero in secundo. Contingere potest qualitatem, quae natura sua est habitus, esse dispositionem quoad modum afficiendi subiectum, et viceversa; sed hoc est per accidens. Ita in obstinato opinio est difficulter mobilis, scientia autem in tirone facile.

Quatenus subiectum immediatum, quod disponitur, substantia est aut potentia, habitus distinguitur entitativus et operativus. Tum habitus entitativus tum operativus substantiam determinat in esse suo, ut bene vel male se habeat. Sed habitus operativus determinat per ordinem ad activitatem, habitus autem entitativus (sanitas, morbus, pulchritudo, gratia habitualis, quae est habitus entitativus supernaturalis) sine illo respectu substantiam qua talem determinat.

Habitus operativus non est potentia operandi, invenitur tamen in ea, et mediante habitu operativo substantia disponitur ad bene vel male se habendum in ordine ad finem suum, quem operando assequitur. Habitus operativus est duplex: habitus operativus stricte et habitus operativus minus stricte sumptus. Habitus operativus stricte sumptus est qualitas, cuius est per modum inclinationis indeterminationem potentiae ad bene vel male operandum tollere. Habitus operativus minus stricte sumptus consistit in actione cognoscitiva et appetitiva et in specie (impressa et expressa) deserviente ad actionem cognoscitivam; nam hae actiones proprie non sunt actiones, sed qualitates disponentes potentias cognoscitivas et appetitivas (cf. n. 194 et n. 281).

Habitus operativus stricte sumptus dividitur in habitum disponentem ad operationem cognoscitivam et habitum disponentem ad operationem appetitivam. Habitus disponens ad operationem cognoscitivam dividitur in disponentem ad operationem cognoscitivam sensitivam (sensuum internorum) et disponentem ad operationem intellectivam. Hic subdividitur in speculativum et practicum; speculativus in intellectum (intelligentiam) seu habitum primorum principiorum speculativorum et scientiam (speculativam) et sapientiam; practicus in habitum primorum principiorum practicorum (synderesin) et prudentiam et artem (scientiam practicam). Habitus disponens ad operationem appetitivam est habitus moralis, qui dividitur in bonum seu virtutem et malum seu vitium. Virtus dividitur in quattuor virtutes cardinales: prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam.

Ad intellectum huius divisionis nota: Cum habitus operativi stricte sumpti sit per modum inclinationis indeterminationem potentiae tollere, hi habitus non inveniuntur in potentiis iis, quae aut ex natura sua sunt omnimode ad unum determinatae — potentiae non vitales, potentiae vegetativae, sensus externi, sensus communis; aut ex despotica subiectione ad potentiam superiorem, a qua moventur, ad unum determinantur — vis motrix. Ex quo concludes inveniri habitus *a)* in voluntate libera, *b)* in potentiis voluntati liberae politice subiectis, i. e. in intellectu, in sensibus internis (excepto sensu communi), in appetitu sensitivo, *c)* in intellectu secundum se considerato, quatenus est indeterminatus ad bene vel male intelligendum. Habilitas

autem ad pingendum, quae residet in manu, flexibilitas eius et similia ad entitativos reducuntur habitus; tota enim artificiosa motus directio ab arte provenit, quae in intellectu practico residet.

2. Potentia definitur: accidens disponens subiectum ad operandum vel ad resistendum[1]; si est languidum et debile, impotentia vocatur; ita debilis resistentia seu molle, visus debilis dicuntur impotentiae.

Potentia dividitur in activam et passivam. Activa est ad actionem transeuntem, quae secundum terminum suum transit extra potentiam ad subiectum aliquod transmutandum; passiva est ad actionem immanentem[2], quae non transmutat subiectum aliquod a potentia distinctum, sed omnino manet in potentia tamquam ultima eius perfectio. Cum actio transiens inferat passionem in subiecto a potentia distincto, actio vero immanens maneat in ipsa potentia tamquam passio eius, ab actione transeunte potentia denominatur activa, ab immanente passiva. Potentia activa dividitur in corpoream et incorpoream. Ad incorpoream pertinet intellectus agens et character sacerdotalis. Potentia activa corporea dividitur in vitalem et non vitalem; vitalis subdividitur in tres potentias vitae vegetativae: nutritivam, augmentativam, generativam; non vitalis in potentiam resistivam (resistentiam seu durum et molle) et potentiam motricem, ad quam pertinet gravitas (attractio corporum). Potentia passiva (quae semper est vitalis) dividitur in corpoream et incorpoream; incorporea dividitur in intellectum et voluntatem, corporea in diversos sensus et appetitum sensitivum.

Ad potentiam reductive pertinent omnes vires instrumentariae, quae sunt potentiae imperfecte participatae; ita impulsus mechanicus receptus in instrumento mechanico est vis motrix imperfecta transeunter communicata.

3. Tertia species qualitatis (passio et patibilis qualitas) definitur: accidens sensibilem alterationem causans vel a sensibili alteratione causatum, seu qualitas secundum quam fit alteratio. Alterationis autem nomine intelligitur motus continuus successivus ab una qualitate in aliam contrarie oppositam, sicut est motus ab uno colore ad alium contrarie oppositum, ut motus a rubro ad caeruleum per colores intermedios violaceos[3]. Qualitas haec, si diu permanet, patibilis qualitas, si cito transit, passio dicitur; ita

---

[1] Etiam resistentia operatio quaedam est.

[2] Actionis immanentis nomine intelligimus actionem manentem non tantum in supposito, ut sunt actiones vitae vegetativae, sed etiam in ipsa potentia.

[3] Oppositio in coloribus attendatur secundum quattuor colores fundamentales: rubrum, caeruleum, viridem, flavum, non secundum album et nigrum, quae sunt differentiae intensitatis in luce: album est gradus maximae, nigrum minimae intensitatis.

rubor ex verecundia est passio, rubor ex sanguinea complexione patibilis qualitas.

Patibiles qualitates dividuntur in qualitates per se immediate sensiles et qualitates non per se immediate sensiles, secundum quas tamen fit alteratio sensilis. Patibiles qualitates per se immediate sensiles sunt : color seu lux, sonus, odor, sapor. Color non distinguitur a luce. In luce distinguuntur gradus intensitatis : maior vel minor claritas, clarum et obscurum, album et nigrum (et cineraceum), et qualitativae differentiae lucis : rubrum, caeruleum etc. Ad has qualitates patibiles immediate per se sensibiles reducitur etiam calor, secundum quem tamen non fit alteratio strictissime, cum non habeat contrarium ; frigus enim est calor maxime remissus, et frigus absolutum mera negatio est omnis caloris ; at calor quam maxime causat alterationem et secundum calorem fit etiam sensilis alteratio minus stricte, quae est caloris intensio et remissio. Patibiles qualitates per se immediate non sensibiles sunt qualitates chimicae — qualitates speciales elementorum chimicorum, in quarum oppositione fundatur affinitas chimica, et densitas et raritas. Si elementa absolute ultima sunt electrones, qualitates chimicae ultimo ad vim electricam reducerentur. Vis electrica positiva et negativa duae qualitates sunt positivae contrarie inter se oppositae [1].

Inquantum qualitates tertiae speciei operationis principia sunt, ad secundam speciem reducuntur, a qua tamen separantur, quatenus sunt qualitates secundum quas fit sensilis alteratio, quod non verificatur in secunda specie.

4. Figura definitur : accidens resultans ex terminatione quantitatis quoad se consideratae secundum diversam dispositionem partium eius. Forma, prout hic sumitur, addit super figuram debitam proportionem (formositatem) et proprie invenitur in artificialibus.

189. Proprietates qualitatis. 1. Habere contrarium. Haec proprietas convenit soli qualitati, sed non omni : Potentiae, figurae non habent contrarium, nam disparate se habent inter se ; non enim est in figuris series naturalis, sicut est in coloribus et in sonis a profundissimo ad altissimum, sed quamcumque figuram quaecumque alia sequitur in quacumque directione. Etiam calor non habet contrarium. Haec proprietas proprie convenit soli qualitati ; nam cetera dicuntur contraria ratione qualitatum contrariarum ; ita elementa chimica, quae ad invicem affinitatem habent.

2. Suscipere magis et minus. Etiam haec proprietas

---

[1] Multi physici oppositionem hanc concipiunt sicut oppositionem inter calorem et frigus tamquam oppositionem inter unum terminum positivum et alterum mere negativum, aliis tamen contradicentibus (cf. n. 407, I).

convenit soli qualitati (per se et ratione sui), sed non omni: Figura extendi, sed intendi non potest. Probe distinguendum est qualitatum augmentum et decrementum extensivum ab earum intensione; ita calor extendi potest ad eas subiecti partes, quae ante erant frigidae, sed potest praeterea intendi; item scientia extendi potest ad plures conclusiones, sed potest etiam intendi.

3. Secundum qualitates res dici similes et dissimiles (cf. n. 191, 3).

Bibliographia ad 188, 1: *J. M. Ramirez*, Doctrina Thomae Aquinatis de distinctione inter habitum et dispositionem, Studia Anselmiana 7—8, Romae 1938, 121—142. *H. Renard*, The Habits in the System of St. Thomas, Gr 29 (1948) 88—117.

Ad 187 sq. *Aristoteles*: Ποιότητα δὲ λέγω καθ' ἣν ποιοί τινες εἶναι λέγονται (Cat. 8, 8 b 25). Ἓν μὲν οὖν εἶδος ποιότητος ἕξις καὶ διάθεσις λεγέσθωσαν (l. c. 8 b 26). Ἕτερον δὲ γένος ποιότητος,... ὅσα κατὰ δύναμιν φυσικὴν ἢ ἀδυναμίαν λέγεται (l. c. 9 a 14). Τρίτον δὲ γένος ποιότητος παθητικαὶ ποιότητες καὶ πάθη (l. c. 9 a 28). Τέταρτον δὲ γένος ποιότητος σχῆμά τε καὶ ἡ περὶ ἕκαστον ὑπάρχουσα μορφή (l. c. 10 a 11; cf. Met. V 14). *S. Thomas*: « Proprie enim qualitas importat quendam modum substantiae. Modus autem est, ut dicit Augustinus, super Gen. ad litteram [IV c. 3], quem mensura praefigit: unde importat quandam determinationem secundum aliquam mensuram. Et ideo sicut id secundum quod determinatur potentia materiae secundum esse substantiale, dicitur qualitas, quae est differentia substantiae; ita id secundum quod determinatur potentia subiecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas accidentalis, quae est etiam quaedam differentia, ut patet per Philosophum in V Metaph. [c. 14]. Modus autem sive determinatio subiecti secundum esse accidentale, potest accipi vel in ordine ad ipsam naturam subiecti; vel secundum actionem et passionem, quae consequuntur principia naturae, quae sunt materia et forma; vel secundum quantitatem. Si autem accipiatur modus vel determinatio subiecti secundum quantitatem, sic est quarta species qualitatis . . . Modus autem sive determinatio subiecti secundum actionem et passionem, attenditur in secunda vel tertia specie qualitatis . . . Sed modus et determinatio subiecti in ordine ad naturam rei, pertinet ad primam speciem qualitatis, quae est habitus et dispositio » (S. th. I-II 49, 2). « Dispositio autem dupliciter accipitur: uno modo, secundum quod est genus habitus, nam in V Metaph. [c. 20] dispositio ponitur in definitione habitus; alio modo, secundum quod est aliquid contra habitum divisum. Et potest intelligi dispositio proprie dicta condividi contra habitum, dupliciter. Uno modo, sicut perfectum et imperfectum in eadem specie: ut scil. dispositio dicatur, retinens nomen commune, quando imperfecte inest, ita quod de facili amittitur; habitus autem, quando perfecte inest, ut non de facili amittatur. Et sic dispositio fit habitus, sicut puer fit vir. Alio modo possunt distingui, sicut diversae species unius generis subalterni: ut dicantur dispositiones illae qualitates primae specici, quibus convenit secundum propriam rationem ut de facili amittantur, quia habent causas transmutabiles, ut aegritudo et sanitas; habitus vero dicuntur illae qualitates quae secundum suam rationem habent quod non de facili transmutentur, quia habent causas immobiles, sicut scientiae et virtutes. Et secundum hoc dispositio non fit habitus. Et hoc videtur magis consonum intentioni Aristotelis. Unde ad huius distinctionis probationem inducit communem loquendi consuetudinem » (l. c. ad 3; cf. In Met. V lect. 16 n. 987 sqq.).

Ad 189. *Aristoteles :* Ὑπάρχει δὲ καὶ ἐναντιότης κατὰ τὸ ποιόν (Cat. 8, 10 b 12). Ἐπιδέχεται δὲ τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον τά ποιά (l. c. 10 b 26). Ἴδιον ἂν εἴη τῆς ποιότητος τὸ ὅμοιον καὶ ἀνόμοιον λέγεσθαι κατ' αὐτήν (l. c. 11 a 18).

§ 4. De relatione praedicamentali

190. Definitio relationis. Relatio latissime sumpta est ordo unius ad aliud. Qui ordo potest esse aut inclusus in aliqua essentia absoluta aut purus respectus adventitius seu superadditus essentiae absolutae. Ordo inclusus in essentia absoluta est relatio transcendentalis. Haec est ens vere absolutum, conotans tamen essentialiter aliquod extrinsecum, in ordine ad quod exigit definiri ; ita relatio animae ad corpus est relatio transcendentalis. Vocatur transcendentalis, quia est ens reale, quod non alligatur alicui determinato generi rerum, sed vagatur per omnia praedicamenta ; ita materia intra genus substantiae refertur transcendentaliter ad formam, forma ad materiam ; potentia et scientia intra genus qualitatis referuntur transcendentaliter ad obiectum. Ordo adventitius, qui in puro respectu consistit, est relatio, cuius totum esse est ad aliud se habere; exemplum sit relatio paternitatis, quae est purus respectus adventitius homini. Relatio ista potest esse realis et rationis. Realis est, quae habet esse in rerum natura independenter a mentis consideratione, ut relatio patris ad filium ; rationis, quae subsistit in intellectu tantum, ut relatio praedicati ad subiectum. Relatio praedicamentalis definitur: accidens reale, cuius totum esse est ad aliud se habere. Relatio praedicamentalis dicitur accidens reale, quo distinguatur a relatione rationis; dicitur accidens cuius totum esse est ad aliud se habere, quo distinguatur a relatione transcendentali, cuius totum esse non est ad aliud se habere, cum sit entitas absoluta, in qua tamen includitur ordo ad aliud ; entitas vero relationis praedicamentalis in puro respectu consistit seu in « esse ad aliud », est igitur accidens minimae entitatis.

In relatione quattuor distinguimus: ipsam relationem, subiectum quod refertur, terminum ad quem refertur subiectum, fundamentum unde resultat relatio. Exemplum : Inter Petrum pallidum et Paulum pallidum habetur relatio similitudinis : Petrus pallidus (subiectum) refertur ad Paulum pallidum (terminus) ratione palloris (fundamentum).

Ex relatione tamquam forma et subiecto tamquam materia coalescit concretum accidentale, ut pater ex homine et paternitate, filius ex homine et filiatione. Huiusmodi concreta dicuntur relata sive relativa, et quatenus mutuo sibi respondent, dicuntur correlativa (abstracta sunt correlationes). Relativa ista divi-

duntur in relativa secundum esse et relativa secundum dici. Nam « relativa quaedam sunt imposita ad significandum ipsas habitudines relativas, ut dominus et servus, pater et filius, et huiusmodi ; et haec dicuntur relativa secundum esse. Quaedam vero sunt imposita ad significandas res quas consequuntur quaedam habitudines, sicut movens et motum, caput et capitatum, et alia huiusmodi ; quae dicuntur relativa secundum dici» (S. th. I 13, 7 ad 1). « Distinctio ista relativorum secundum esse et secundum dici nihil facit ad hoc quod sit relatio realis. Quaedam enim sunt relativa secundum esse quae non sunt realia, sicut dextrum et sinistrum in columna ; et quaedam sunt relativa secundum dici quae tamen important relationes reales, sicut patet de scientia et sensu. Dicuntur enim relativa secundum esse, quando nomina sunt imposita ad significandas ipsas relationes : relativa vero secundum dici, quando nomina sunt imposita ad significandas qualitates vel aliquid huiusmodi principaliter, ad quae tamen sequuntur relationes. Nec quantum ad hoc differt, utrum sint relationes reales vel rationis tantum » (Pot. VII 10 ad 11).

191. Divisio relationis. 1. *Divisio analoga.* Relatio latissime sumpta dividitur in relationem transcendentalem, quae est ordo inclusus in essentia rei absolutae ; et relationem, quae est ordo unius ad aliud adveniens essentiae rei, quae ordinatur, seu ens, cuius totum esse est ad aliud se habere. Haec ultima subdividitur in realem et rationis seu logicam. Relatio realis secundum esse est relatio praedicamentalis, quae constituit praedicamentum relationis.

Plerumque relationes praedicamentales fundantur in transcendentalibus ; ita potentia transcendentaliter refertur ad obiectum suum, sive hoc exsistit sive non exsistit ; exsistente obiecto, potentia ad illud refertur duplici relatione praedicamentali : mensurae et causalitatis. Potentia generativa transcendentaliter refertur ad prolem generandam ; prole genita, ad eam refertur relatione praedicamentali mensurae et causalitatis. Deficiente termino relatio praedicamentalis cessat, transcendentalis non cessat.

2. *Divisio accidentalis.* Relatio accidentaliter dividitur in mutuam et non-mutuam. Mutua est, cui ex parte termini respondet alia relatio realis (paternitati respondet filiatio). Non-mutua est, cui ex parte termini non respondet alia relatio realis. Relatio scientiae ad obiectum suum est non-mutua : realis ex parte intellectus (qui dependet ab obiecto scito), rationis ex parte obiecti ; nam ponit aliquid in intellectu, nihil vero in obiecto ; obiectum enim, eo quod scitur, non mutatur. Relatio mutua alia dicitur aequiparantiae, alia disparantiae ; illa est inter extrema se mutuo respicientia cum eadem appellatione, ut relatio similitudinis, aequalitatis etc., quodlibet enim extremum dicitur simile, aequale etc. ; haec est,

cum extrema, inter quae viget, diversam appellationem habent, ut relatio paternitatis et filiationis, non enim utrumque extremum dicitur pater aut utrumque filius, sed alterum pater, alterum filius.

Divisio haec accidentalis est, quia relationi iam constitutae accidit ei respondere ex parte termini aliam relationem realem. Hoc autem tunc obtinet, cum etiam ex parte termini invenitur fundamentum reale respondens fundamento reali, quod habetur ex altera parte ; ita fundamento reali, super quod fundatur relatio causae (creatae) ad effectum, quod est exercitium causalitatis efficientis, respondet in effectu fundamentum realis dependentiae ab agente, super quod fundatur relatio effectus ad causam. Contra relationi effectus ad causam increatam ex parte huius non respondet fundamentum reale, cum Deus sit movens immobile, cuius actio non superaddit aliquid substantiae. Sensu tamen latiore omnis relatio mutua est, quia ex parte termini, si non respondet relatio realis, repondebit tamen rationis relatio. Terminus enim relationis omnis etiam ipse relativus esse debet aliquo modo, quia terminus, ut terminus seu ut terminans, necessario aliquem ordinem continet ad id, quod terminat, sive ordinem realem sive ordinem rationis tantum. Si igitur ex parte termini non habetur fundamentum reale respondens fundamento reali ex altera parte, terminus eo ipso, quod terminus est, fundamentum constituet relationis rationis. Ita relationi reali creaturae ad creatorem respondet ex parte Dei relatio rationis.

3. *Divisio essentialis* relationis praedicamentalis seu ordinatio praedicamenti relationis. Praenotamen. Unitas et diversitas specifica relationum desumitur a fundamento per ordinem ad terminum seu a fundamento, quatenus virtualiter praehabet terminum. Ratio est, quia fundamentum est causa relationis, a qua habet esse ; ergo etiam specificationem. At relatio est a fundamento per ordinem ad terminum, ac proinde causa adaequata relationis est fundamentum secundum ordinem ad terminum seu fundamentum, ut praehabet virtualiter terminum. Ita ex eodem fundamento est diversa specie relatio, quatenus terminus est alius. Exemplum sit : albedo fundans relationem similitudinis ad aliud album et dissimilitudinis ad nigrum. Fundamentum praehabet terminos oppositos, inquantum habet vim ex se emittendi relationes ad terminos oppositos.

Cum igitur relatio specificetur a fundamento et termino, a diversis fundamentis per ordinem ad diversos terminos desumenda est divisio essentialis relationis. Iam vero est fundamentum ordinans unum ad aliud, ita ut unum ab alio accipiat esse. Hoc fundamentum est actio et passio seu latius causalitatis exercitium, quod fundat relationem causalitatis[1], et est fundamentum ordinans unum ad aliud,

[1] Si velit confici divisio, in qua etiam relationes subsistentes divinae continerentur, ordo unius ad aliud, quatenus unum accipit esse ab alio, esset subdi-

ita ut unum ab alio non accipiat esse. Hoc autem fundamentum non potest esse nisi quantitas transcendentalis seu unitas (transcendentalis) et numerus (transcendentalis), super quam fundatur relatio convenientiae et disconvenientiae. Nam ordinatio unius ad aliud, ita ut unum ab alio non accipiat esse, non potest esse nisi secundum meram comparationem, i. e. secundum convenientiam et disconvenientiam. Convenientia et disconvenientia attenditur aut secundum substantiam seu secundum ipsam rei essentiam, aut secundum aliquid quod accidit essentiae, i. e. secundum quantitatem et qualitatem. Ita relatio convenientiae et disconvenientiae dividitur in convenientiam et disconvenientiam secundum substantiam (essentiam), secundum quantitatem, secundum qualitatem. Convenientia et disconvenientia secundum substantiam vocatur identitas et diversitas (distinctio), convenientia et disconvenientia secundum quantitatem aequalitas et inaequalitas, convenientia et disconvenientia secundum qualitatem similitudo et dissimilitudo. Diversitas seu distinctio est aut generica aut specifica aut numerica. Similiter identitas est generica, specifica, numerica; sed numerica identitas relationis tantum est. Ad distinctionem numericam pertinet etiam distinctio secundum positionem, distantia, indistantia seu ordo secundum prius et posterius fundatus a quantitate praedicamentali (cf. n. 315 sqq.); est enim distinctio seu disconvenientia secundum ipsam rei, i. e. quantitatis essentiam, quatenus quantitas distinguitur a quantitate et pars a parte secundum positionem, quae includitur in ipsa essentia quantitatis.

Relatio causalitatis est aut causalitatis quae est mensura, aut causalitatis quae non est mensura. Relatio mensurae, non secundum quantitatem (haec enim pertinet ad aequalitatem et inaequalitatem), sed secundum esse et veritatem, est relatio causalitatis formalis extrinsecae. Haec est duplex, quatenus mensura est obiectum aut exemplar: potentia, habitus, actus mensurantur ab obiecto, artefactum ab idea exemplari artificis. Relationes mensurae non sunt mutuae; sunt reales ex parte mensurati[1], rationis ex parte mensurantis; ita relatio obiecti sciti ad intellectum creatum est rationis (obiectum enim non mutatur eo quod scitur), contra relatio artefacti ad intellectum artificis (creaturae ad creatorem) realis est; artefactum fit secundum ideam exemplarem artificis, creatura secundum ideam divinam.

---

videndus in ordinem, quo unum accipit esse ab alio cum dependentia — ordo causalitatis; et ordinem, quo unum accipit esse ab alio sine dependentia — ordo processionis in divinis (cf. n. 315, 3). At relationes divinae subsistentes non pertinent ad praedicamentum; ideo haec divisio est analoga.

[1] si id realis mensuratio (in signis arbitrariis non fit).

Relatio causalitatis, quae non est mensura, est relatio causae efficientis et finalis. Causalitas efficiens iterum subdividitur in generationem, alterationem etc.

Relatio causalitatis efficientis fundatur super actionem, non quatenus actio transit, sed quatenus manet secundum determinationem in causa relictam. Actio enim relinquit efficiens et virtutem eius transcendentaliter mutata (cf. n. 285). Nam ante actionem efficiens respiciebat effectum ut possibilem sibi, transacta autem actione iam non respicit ut possibilem (nulla enim causa creata eundem numero effectum reproducere potest, cf. n. 780), sed ut productum.

Relatio causalitatis finalis non est mutua, quia finis movet (improprie) ut movens immobile.

192. Proprietates relationis. 1. Relationem non habere contrarium, i. e. per se, sed tantum per accidens, ratione fundamenti. Ratio est, quia relationes, etiam eae quae maxime videntur esse contrariae, ut relatio similitudinis et dissimilitudinis, se invicem compatiuntur in eodem subiecto ; ita idem paries albus habet similitudinem ad alium parietem album et simul dissimilitudinem ad nigrum. Iam vero stricte contraria non possunt esse simul in eodem subiecto. Per accidens tamen nihil impedit, quominus relationes vocentur contrariae ratione fundamenti, quatenus haec fundamenta sunt contraria, ut patet in exemplo allato.

2. Relationem per se non suscipere magis et minus, sed tantum per accidens ratione fundamenti. Ratio est, quia intendi per se non potest nisi id ad quod datur motus ; sed ad relationem non datur motus. Potest tamen interdum intendi per accidens, quatenus fundamentum suscipit magis et minus ; ita quod est simile, potest fieri similius.

3. Relativa (praesertim mutua) dici ad convertentiam, i. e. ita ut unum relativum explicetur per alterum in obliquo importatum. Ita pater est filii pater, et filius est patris filius ; scientia est alicuius rei scibilis scientia, et res est scibilis per aliquam scientiam.

4. Relativa esse simul natura; nam mutuo se inferunt, ita tamen, ut unum non sit causa alterius ; unum non pendet ab altero. Quod tamen intelligendum est de relativis formaliter ut relativis ; nam materialiter sumptum unum potest esse prius altero, unum pendere ab altero. Ita relatio paternitatis et filiationis simul omnino incipiunt, tamen homo, cui advenit relatio paternitatis, est ante filium, hic pendet ab illo.

5. Relativa (praesertim mutua) esse simul cognitione, ita ut nequeat unum relativum cognosci aut definiri nisi per alterum ; pater est, qui habet filium, et filius est, qui habet patrem.

Propter tres ultimas proprietates terminus formaliter seu relative sumptus ut terminus non est causa specificans relationem. Ter-

minus enim formaliter ut terminus est correlativus et omnino simul cum relatione quam terminat, sed terminus, qui specificat relationem per modum causae formalis extrinsecae seu per modum obiecti, est terminus fundamentaliter sumptus ratione absoluti, super quod fundatur, et ut praehabitus virtualiter in fundamento.

Bibliographia ad 190—192: *N. D. Ginsburg*, Metaphysical Relations and St. Thomas Aquinas, NSch 15 (1941) 238—254. *A. Horvath*, Metaphysik der Relationen, Graz 1914. *A. H. Malta*, De divisione relationum consideratio in ordine ad quaestionem de relationibus divinis, Ag 14 (1937) 61—86. *G. M. Manser*, Begriff und Bedeutung der transzendentalen Beziehung, DThFrib 19 (1941) 351—360.

Ad 190 sq. *Aristoteles*: Πρός τι δὲ τὰ τοιαῦτα λέγεται, ὅσα αὐτὰ ἅπερ ἐστὶν ἑτέρων εἶναι λέγεται, ... ἔστι δὲ τὸ εἶναι τοῖς πρός τι ταὐτὸν τῷ πρός τί πως ἔχειν (Cat. 7, 6 a 36; 8 a 39; cf. Met. V 15). *S. Thomas*: «Relativa quaedam sunt imposita ad significandum ipsas habitudines relativas, ut dominus, servus, pater et filius, et huiusmodi: et haec dicuntur relativa secundum esse. Quaedam vero sunt imposita ad significandas res quas consequuntur quaedam habitudines, sicut movens et motum, caput et capitatum, et alia huiusmodi: quae dicuntur relativa secundum dici» (S. th. I 13, 7 ad 1; cf. Pot. 7, 10 ad 11). «Talium relationum [secundum esse], secundum Philosophum, in Praedicam., cap. "Ad aliquid" [7], esse est ad aliud se habere... Cum dicitur: "Ad aliquid sunt, quorum esse est ad aliud se habere", intelligitur de esse quod est quidditas rei, quae definitione significatur; quia ipsa natura relationis, per quam constituitur in tali genere, est ad aliud referri; et non intelligitur de esse quod est actus essentiae» (I Dist. 33 a. 1 arg. 1 et ad 1). «Respectus [ad aliud] aliquando est in ipsa natura rerum ... Et huiusmodi relationes oportet esse reales ... Aliquando vero respectus ... est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis unum alteri: et tunc est relatio rationis tantum; sicut cum comparat ratio hominem animali, ut speciem ad genus» (S. th. I 28, 1). «Cum relatio requirat duo extrema, tripliciter se habere potest ad hoc quod sit res naturae et rationis. Quandoque enim ex utraque parte est res rationis tantum: quando scil. ordo vel habitudo non potest esse inter aliqua, nisi secundum apprehensionem rationis tantum, utpote cum dicimus idem eidem idem ... Et similiter est de omnibus relationibus quae sunt inter ens et non ens; quas format ratio, inquantum apprehendit non ens ut quoddam extremum. Et idem est de omnibus relationibus quae consequuntur actum rationis, ut genus et species, et huiusmodi. Quaedam vero relationes sunt quantum ad utrumque extremum, res naturae: quando scil. est habitudo inter aliqua duo secundum aliquid realiter conveniens utrique. Sicut patet de omnibus relationibus quae consequuntur quantitatem, ut ... duplum et dimidium, et huiusmodi ... Et simile est de relationibus quae consequuntur actionem et passionem, ut motivum et mobile, pater et filius, et similia. Quandoque vero relatio in uno extremorum est res naturae, et in altero est res rationis tantum. Et hoc contingit quandocumque duo extrema non sunt unius ordinis. Sicut sensus et scientia referuntur ad sensibile et scibile, quae quidem, inquantum sunt res quaedam in esse naturali exsistentes, sunt extra ordinem esse sensibilis et intelligibilis: et ideo in scientia quidem et sensu est relatio realis, secundum quod ordinantur ad sciendum vel sentiendum res; sed res ipsae in se consideratae, sunt extra ordinem huiusmodi. Unde in eis non est aliqua relatio realiter ad scientiam et sensum; sed secundum rationem tantum ... Unde Philosophus

dicit in V Metaph., quod non dicuntur relative eo quod ipsa referantur ad alia, sed quia alia referuntur ad ipsa. Et similiter dextrum non dicitur de columna, nisi inquantum ponitur animali ad dextram : unde huiusmodi relatio non est realiter in columna, sed in animali » (S. th. I 13, 7). « Ponit ergo [Philosophus] tres modos eorum quae ad aliquid dicuntur, quorum primus est secundum numerum et quantitatem, sicut duplum ad dimidium . . . Secundus modus est prout aliqua dicuntur ad aliquid secundum actionem et passionem, vel potentiam activam vel passivam ; sicut calefactivum et calefactibile . . . Tertius modus est, secundum quod mensurabile dicitur ad mensuram. Accipitur autem hic mensura et mensurabile non secundum quantitatem . . . sed secundum mensurationem esse et veritatis. Veritas enim scientiae mensuratur a scibili » (In Met. V 15 lect. 17 n. 1001 sqq. ; cf. S. th. I 28, 4).

A d 192. *Aristoteles* primam et secundam proprietatem relationis ponit Cat. 7 (6 b 15 20). Tertiam : Πάντα δὲ τὰ πρός τι πρὸς ἀντιστρέφοντα λέγεται, οἷον ὁ δοῦλος δεσπότου δοῦλος (ib. 6 b 28). Quartam : Δοκεῖ δὲ τὰ πρός τι ἅμα τῇ φύσει εἶναι (ib. 7 b 15). Quintam : Ἀναγκαῖόν ἐστιν, ὃ ἂν εἰδῇ τις τῶν πρός τι ἀφωρισμένως, κἀκεῖνο πρὸς ὃ λέγεται ἀφωρισμένως εἰδέναι (ib. 8 b 13).

§ 5. De actione et passione praedicamentali

193. Definitiones actionis et passionis. Actio est id, quo aliquid constituitur agens ; agit autem per exercitium causalitatis efficientis inferens effectum in passo seu passionem. Efficiens enim non denominatur efficiens seu agens, nisi quatenus habet effectum a se dependentem seu quatenus efficit aliquid.

Quare si aliquod subiectum esset praeditum entitate actionis, quin hoc ipso haberet a se dependentem actualiter effectum, hoc subiectum ex illa entitate actionis, qua est praeditum, proprie non denominaretur agens. Ita Deus non denominatur agens, nisi cum effectus producitur, quamquam actio Dei est aeterna [1].

Passio est id, quo aliquid constituitur patiens ; patitur autem, in quantum recipit influxum agentis seu actionem. Passio accurate respondet actioni : sicut actio est productio effectus in passo, ita passio est receptio effectus ab agente.

194. Divisio essentialis seu ordinatio praedicamenti actionis. Actio dividitur in actionem productivam substantiae et productivam accidentis. Actio productiva substantiae est generatio substantiae, quae generatio aut educit formam substantialem ex materia prima aut unit tantum materiam formae a Deo creatae (generatio hominis). Accidens autem produci potest aut per transmutationem (instantaneam) ex non-esse aut per motum continuum successivum ex contrario. Cum accidens primo modo producitur, actio est generatio accidentis ; cum secundo modo producitur,

[1] Actio tamen haec divina non est actio praedicamentalis, sed ipsa substantia divina.

actio est augmentatio, si accidens quod fit est quantitas, alteratio, si est qualitas, motio localis (productio motus localis), si est « ubi » (cf. n. 291).

Quia passio accurate respondet actioni, iisdem divisionibus, quibus dividitur actio, dividitur etiam passio.

Nota. Ad praedicamentum actionis non pertinet actio cognoscitiva et appetitiva, quae proinde etiam actio metaphysica vocatur, ut distinguatur ab actione physica seu praedicamentali. Actio enim metaphysica non est perfectio passi, sed ipsius agentis (potentiae operativae), et ideo ponitur in prima specie praedicamenti qualitatis.

Neque ad praedicamentum actionis pertinet resultantia proprietatum ex substantia. Haec resultantia non significat causalitatem efficientem substantiae. Proprietates enim simul cum substantia efficienter producuntur ab eo, qui substantiam producit. Ideo tantum dicuntur ex substantia resultare, quia cum substantia necessario conectuntur, et substantia per formam suam causalitatem exercet formalem erga proprietates.

A d 193. *Aristoteles* in c. 9 Categ. de actione et passione brevissime agit assignando duas proprietates : Ἐπιδέχεται δὲ καὶ τὸ ποιεῖν καὶ τὸ πάσχειν ἐναντιότητα καὶ τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον (11 b 1 ; cf. Phys. III 3 [hic infra]). Aristoteles « destruens hanc illationem, qua concludebatur, quod si actio et passio sunt unus motus, quod actio et passio sunt idem. Et dicit . . . quod non sequitur quod actio et passio sint idem, vel doctio et doctrina, sed quod motus, cui inest utrumque eorum, sit idem. Qui quidem motus secundum unam rationem est actio, et secundum aliam rationem est passio. Alterum enim est secundum rationem esse actum huius ut in hoc, et esse actum huius ut ab hoc. Motus autem dicitur actio secundum quod est actus agentis ut ab hoc : dicitur autem passio secundum quod est actus patientis ut in hoc. Et sic patet, quod licet motus sit idem moventis et moti, propter hoc quod abstrahit ab utraque ratione, tamen actio et passio differunt propter hoc, quod has diversas rationes in sua significatione includunt [οὐδ' ἡ ποίησις τῇ παθήσει τὸ αὐτὸ κυρίως, ἀλλ' ᾧ ὑπάρχει ταῦτα, ἡ κίνησις· τὸ γὰρ τοῦδε ἐν τῷδε καὶ τὸ τοῦδε ὑπὸ τοῦδε ἐνέργειαν εἶναι ἕτερον τῷ λόγῳ : Phys. III 3, 202 b 20] . . . Sed restat circa hoc dubitatio . . . quia, si actio et passio sint unus motus, et non differunt nisi secundum rationem, ut dictum est, videtur quod non debeant esse duo praedicamenta . . . Ad horum igitur evidentiam sciendum est, quod ens dividitur in decem praedicamenta non univoce, sicut genus in species, sed secundum diversum modum essendi. Modi autem essendi proportionales sunt modis praedicandi . . . Tripliciter autem fit omnis praedicatio. Unus quidem modus est, quando de aliquo subiecto praedicatur id quod pertinet ad essentiam eius [substantia] . . . Alius autem modus est, quo praedicatur de aliquo id quod non est de essentia eius, tamen inhaeret ei [quantitas, qualitas, — relatio] . . . Tertius autem modus praedicandi est, quando aliquid extrinsecum de aliquo praedicatur per modum alicuius denominationis . . . Communiter autem invenitur aliquod denominari ab aliquo extrinseco, vel secundum rationem causae, vel secundum rationem mensurae . . . Cum autem quattuor sint genera causarum, duo ex his sunt partes essentiae, scil. materia et forma ; unde praedicatio, quae posset fieri secundum haec duo, pertinet ad praedicamentum substantiae, utpote si dicemus, quod homo est rationalis, et

homo est corporeus. Causa autem finalis non causat seorsum aliquid ab agente ; in tantum enim finis habet rationem causae, inquantum movet agentem. Remanet igitur sola causa agens, a qua potest denominari aliquid sicut ab exteriori. Sic igitur secundum quod aliquid denominatur a causa agente, est praedicamentum passionis ; nam pati nihil est aliud quam suscipere aliquid ab agente : secundum autem quod e converso denominatur causa agens ab effectu, est praedicamentum actionis, nam actio est actus ab agente in aliud, ut supra dictum est » *(S. Thom.*, In Phys. III lect. 5 n. 13 sqq.).

Ad 194. *Aristoteles* « dicit quod transmutationes sunt quattuor : generatio quidem et corruptio simplex secundum substantiam ; et augmentum et diminutio secundum quantitatem ; alteratio secundum passionem, quae est tertia species qualitatis; "latio", id est loci mutatio, secundum ubi » *(S. Thom.*, In Met. XII 2 lect. 2 n. 2431). Αἱ μεταβολαὶ τέτταρες, ἢ κατὰ τὸ τί ἢ κατὰ τὸ ποιὸν ἢ ποσὸν ἢ ποῦ, καὶ γένεσις μὲν ἡ ἁπλῆ καὶ φθορὰ ἡ κατὰ τόδε, αὔξησις δὲ καὶ φθίσις ἡ κατὰ τὸ ποσόν, ἀλλοίωσις δὲ ἡ κατὰ τὸ πάθος, φορὰ δὲ ἡ κατὰ τόπον (1069 b 9).

§ 6. De « ubi » et situ praedicamentali

195. Definitio « ubi » praedicamentalis. « Ubi » latissime sumptum est praesentia in loco, sumendo praesentiam non pro relatione indistantiae, sed pro fundamento huius relationis. Cum autem aliquid possit esse in loco circumscriptive seu extenso modo aut non circumscriptive seu inextenso modo, « ubi » praedicamentale est praesentia in loco circumscriptiva.

Ubi praedicamentale definitur : accidens resultans in corpore ex circumscriptione loci ambientis, non considerato ordine partium in loco, seu circumscriptio passiva locati ab activa circumscriptione loci proveniens, seu ipsum circumscriptum esse corporis locati ab activa circumscriptione loci proveniens. « Ubi » est positio corporis in universo et est fundamentum relationum distantiae et indistantiae (praesentiae), quas realiter habet ad omnia alia corpora. Corpus est immediate praesens loco seu corpori ambienti in quo includitur, et habet determinatam distantiam ab omnibus aliis corporibus (cf. n. 312 sq.). Ex dictis patet « ubi » circumscriptivum rebus extensis seu corporibus tantum convenire.

196. Divisio « ubi ». « Ubi » late sumptum, transcendentale, dividitur, ut analogum, in « ubi » circumscriptivum seu praedicamentale, et « ubi » non circumscriptivum. « Ubi » praedicamentale seu praedicamentum « ubi » divisionem essentialem non habet ; nam esse Romae vel Athenis non variat « ubi » formaliter, sed materialiter seu individualiter tantum.

197. Definitio situs. Situs definitur : accidens disponens partes corporis in loco seu ordo partium in loco. Situs addit supra « ubi » ordinationem partium in loco, differt igitur ab « ubi » (cf. n. 314). Situs dif-

fert etiam a quantitate, quae est ordo partium in toto, cum situs sit ordo partium in loco ; et a figura quae convenit quantitati secundum se, cum situs conveniat per ordinem ad locum (cf. n. 315—318). Situs est quasi figura externa, localis, et figura est situs internus.

198. Divisio situs. Divisio essentialis situs fit per species numero infinitas : sedere, stare, inflecti hoc vel illo modo etc. Quolibet enim addito et substracto, variatur species in situ sicut etiam in figura.

A d 195 sqq. *Aristoteles* « dicit, quod omne corpus sensibile est in loco. Differentiae autem loci sunt sex, sursum, deorsum, ante et retro, dextrorsum et sinistrorsum, quae quidem sunt determinata non solum quoad nos, sed etiam in ipso toto universo » (Ἔτι πᾶν σῶμα αἰσθητὸν ἐν τόπῳ, τόπου δὲ εἴδη καὶ διαφοραὶ τἄνω καὶ κάτω καὶ ἔμπροσθεν καὶ ὄπισθεν καὶ δεξιὸν καὶ ἀριστερόν· καὶ ταῦτα οὐ μόνον πρὸς ἡμᾶς καὶ θέσει, ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτῷ τῷ ὅλῳ διώρισται : Phys. III 5, 205 b 31. *S. Thom.*, lect. 9 n. 11 ; cf. In Met. XI lect. 10 n. 2330 sqq. [Aristoteles : 1067 a 28]). In quantum Aristoteles et scholastici, qui eum sequuntur, unicuique corpori locum a natura seu ab intrinseco determinatum esse putant, a veritate aberrant. *S. Thomas* « ubi », « quando » et « situm » recenset inter praedicamenta, quae ab aliquo extrinseco secundum rationem mensurae desumuntur (cf. ad 193) : « Exteriores autem mensurae sunt tempus et locus. Secundum igitur quod aliquid denominatur a tempore, est praedicamentum quando ; secundum autem quod denominatur a loco, est praedicamentum ubi et situs ; quod addit supra ubi ordinem partium in loco. Hoc autem non erat necessarium addi ex parte temporis, cum ordo partium in tempore in ratione temporis importetur ; est enim tempus numerus motus secundum prius et posterius » (In Phys. III lect. 5 n. 15 ; cf. In Met. XI lect. 12 n. 2377 sqq. ; S. th. I 52, 1 ; I-II 49, 1 ad 3).

§ 7. De « quando » praedicamentali

199. Definitio. « Quando » est accidens in corporibus exortum, eo quod continentur in mundo mobili tamquam tempore simul aut non simul in motu suo et quiete. Etiam independenter a mente nostra verificatur, hoc simul tempore fuisse cum illo, et hoc diuturnius durasse quam illud. Hae relationes temporales fundamentum expostulant reale, quod est « quando ». Sicut igitur ubi est positio corporis in mundo extenso, positio corporis in ordine iuxtapositionis tamquam fundamentum relationum distantiae et indistantiae, ita quando est positio corporis in mundo mobili, positio corporis in ordine successionis tamquam fundamentum relationum simultatis et prioritatis et posterioritatis temporalis. Sicut ubi, ita etiam quando non dicitur nisi de rebus corporeis, nam res corporeae tantum tempore mensurantur.

200. Divisio. Quando dividitur in simultatem et prioritatem et posterioritatem secundum tempus.

A d 199 sq. *S. Thomas:* « Si enim nihil mensuratur tempore nisi secundum quod movetur et quiescit, sequitur quod quaecumque non moventur neque quiescunt, ut substantiae separatae, non sunt in tempore, quia hoc est esse in tempore: mensurari a tempore. Tempus autem est mensura motus et quietis » ("Ωσθ' ὅσα μήτε κινεῖται μήτ' ἠρεμεῖ, οὐκ ἔστιν ἐν χρόνῳ· τὸ μὲν γὰρ ἐν χρόνῳ εἶναι τὸ μετρεῖσθαί ἐστι χρόνῳ, ὁ δὲ χρόνος κινήσεως καὶ ἠρεμίας μέτρον: Phys. IV 12, 221 b 20. *S. Thom.* lect. 20 n. 11; cf. In Met. XI lect. 12 n. 2377; In Phys. III lect. 5 [ad 195 sqq.]).

§ 8. De habitu praedicamentali

201. Definitio habitus. Habitus est id quod immediate in corporibus resultat ex extrinseco adiacente, non mensurante. Sicut ex extrinseco adiacente, quod est mensurans (ex loco), resultat « ubi », ita ex extrinseco adiacente, quod non est mensurans, resultat habitus. Hoc extrinsecum pro homine praeprimis sunt vestimenta; exinde hoc praedicamentum habitus nomine designatur. Sed in definitione habitus extrinsecum adiacens non mensurans intelligendum est generalius de quocumque corpore, sive propinquo sive distante. Quodcumque corpus ad omnia alia corpora habet determinatam relationem distantiae. Haec relatio realis reale etiam fundamentum expostulat, in quo consistit praedicamentum habitus. Quodcumque corpus cetera omnia « habet » tamquam adiacentia sibi. Quare praedicamentum habitus iam in praedicamento ubi includitur, quia mediante ubi corpus relationes habet indistantiae et distantiae ad omnia alia corpora. Ubi fundamentum est harum relationum omnium. Sed ab ubi habitus distinguibilis est, quatenus habitus fundamentum quidem relationis significat idem, sed tamquam fundans relationes ad non mensurans. Ex dictis iam patet habitum, quia involvit ordinem localem, non convenire nisi corporibus.

202. Divisio habitus. Sicut ubi, ita etiam habitus divisionem essentialem non habet. Divisio autem accidentalis multiplex sumi potest ex diverso fine, propter quem una substantia habet aliam, et ex natura ipsarum substantiarum, quae ad invicem adiacentiam habent. Ita « vestitus » dicitur, qui circumdatur substantia per se primo ordinata ad operiendum et calefaciendum corpus humanum; « armatus » dicitur, qui instructus est instrumentis offensivis et defensivis etc.

A d 201 sq. *S. Thomas:* « Denominari autem ab aliquo extrinseco invenitur quidem quodammodo communiter in omnibus, et aliquo modo specialiter in iis quae ad homines pertinent tantum . . . In aliis enim animalibus natura dedit sufficienter ea quae ad conservationem vitae pertinent, ut cornua ad defendendum, corium grossum et pilosum ad tegendum, ungulas vel aliquid huiusmodi ad incedendum sine laesione. Et sic cum talia animalia dicuntur armata vel vestita vel calceata, quodammodo non denominantur ab aliquo extrinseco, sed ab aliquibus suis partibus. Unde hoc refertur in his ad praedicamentum substantiae: ut puta si diceretur quod homo est manuatus vel pedatus. Sed

huiusmodi non poterant dari homini a natura, tum quia non conveniebant subtilitati complexionis eius, tum propter multiformitatem operum quae conveniunt homini inquantum habet rationem, quibus aliqua determinata instrumenta accommodari non poterant a natura : sed loco omnium inest homini ratio, qua exteriora sibi praeparat loco horum quae aliis animalibus intrinseca sunt. Unde cum homo dicitur armatus vel vestitus vel calceatus, denominatur ab aliquo extrinseco, quod non habet rationem neque causae, neque mensurae : unde est speciale praedicamentum, et dicitur habitus. Sed attendendum est quod etiam aliis animalibus hoc praedicamentum attribuitur, non secundum quod in sua natura considerantur, sed secundum quod in hominis usum veniunt ut si dicamus equum phaleratum vel sellatum seu armatum » (In Phys. III lect. 5 n. 15 ; cf. ad 172 ; In Met. XI lect. 12 n. 2377 ; S. th. I-II 49, 1).

Articulus IV

DE POSTPRAEDICAMENTIS

§ 1. De postpraedicamentis in genere

203. Definitio postpraedicamentorum. Postpraedicamenta sunt rationes quaedam pertinentes ad omnia aut ad plura praedicamenta quasi proprietates communes. Quia ad plura praedicamenta spectant, analoga sunt neque tamquam genera praedicamentis ipsis coordinari possunt.

204. Divisio postpraedicamentorum. Postpraedicamenta enumerantur quinque : oppositio, prius, simul, motus, habere. Oppositio, prius, simul, habere relationem praedicamentorum ad invicem exprimunt et ad omnia praedicamenta spectant. Non sunt tamen sumenda formaliter pro ipsis relationibus — ita enim ad praedicamentum relationis pertinerent — sed pro fundamentis relationum seu pro ipsis praedicamentis, prout ad invicem relationem fundant. Motus seu mutatio ad quattuor tantum praedicamenta per se spectat : ad substantiam, quantitatem, qualitatem, « ubi » (cf. n. 290).

Ad 203 sq. *Aristoteles* de postpraedicamentis agit in libro Categ. c. 10 sqq. S. *Thomas :* « Postpraedicamenta sunt, quae diversa rerum genera consequuntur » (S. th. I-II 49, 1).

§ 2. De postpraedicamentis, quae relationem praedicamentorum ad invicem exprimunt

205. Oppositio. Oppositio ea est habitudo plurium inter se, vi cuius eidem sub eodem respectu simul convenire nequeunt. Oppositio dividitur in negativam et positivam, negativa in contradictoriam et privativam, positiva in contrariam et relativam (cf. n. 18 ; 47 sq.).

206. Prioritas et simultas. Prioritas est modus, quo una res praecedit aliam. Quintuplex recensetur hic ab Aristotele : *a)* prioritas temporis, secundum quam unum praecedit aliud duratione, ut pater filium ; *b)* prioritas secundum essendi consequentiam, quae dicitur de eo, quod ita infertur ex alio, ut hoc non inferatur ex illo ; ita animal est prius homine, nam infertur ex homine (est homo, ergo est animal), homo vero non infertur ex animali ; *c)* prioritas ordinis seu positionis ; *d)* prioritas dignitatis seu auctoritatis ; *e)* prioritas naturae, quae est prioritas secundum causalitatem, et quae viget inter causam et effectum. Haec potest obtinere etiam sine prioritate durationis ; potest enim contingere, ut causa prioritate durationis non praecedat, semper tamen praecedit prioritate naturae, quia effectus necessario pendet a causa, ac proinde secundum causalitatem est posterior.

Simultas est negatio prioritatis et posterioritatis, ac proinde dicitur tot modis, quot dicitur prioritas. Ideo est simultas temporis, quae est inter ea, quae simul eodem instanti exsistunt ; simultas consequentiae, quae est inter ea, quae mutuo se inferunt (exemplo sit rationale et risibile) ; simultas ordinis, simultas dignitatis, simultas naturae ; haec est inter ea, quae mutuo se inferunt, ita tamen ut alterum non sit causa alterius (exemplo sint correlativa).

207. Habere. Habere est modus, secundum quem una res ordinatur ad alteram, ita ut una dicatur haberi ab altera. Modi habendi praecipui sunt quinque : primus per inhaerentiam, seu modus, quo accidens habetur a substantia ; secundus per continentiam, sicut crumena habet pecuniam ; tertius per possessionem, sicut homo habet agrum ; quartus per relationem, sicut pater habet filium ; quintus per iuxtapositionem, sicut Italia ad septentrionem habet Helvetiam.

Ad 205. Vide supra ad 18.

Ad 206. *Aristoteles* de prioritate et simultate agit in c. 12 Cat. et c. 11 Met. V (cf. *S. Thom.*, In Met. V lect. 13 n. 936 sqq.).

Ad 207. *Aristoteles* de postpraedicamento « habere » agit in c. 15 Cat. et c. 23 Met. V (cf. *S. Thom.*, In Met. V lect. 20 n. 1062 sqq.).

§ 3. De postpraedicamento motus

208. Quid sit postpraedicamentum motus. Motus est status tendentiae et viae, quo subiectum aliquod transfertur ab uno modo se habendi ad alium. Est igitur motus « corrumpi » et « fieri », quod contingit in aliquo subiecto, quatenus subiectum amittit et acquirit formam sive substantialem sive accidentalem.

Motus potest sumi dupliciter: *a)* pro forma, quae est in « fieri » seu in motu (pro forma secundum quam est fieri seu motus). Ita motus sumi potest pro calore in fieri. Motus sic sumptus est ens incompletum, quod reductive ponitur in praedicamento termini, i. e. formae secundum quam et ad quam est motus. Ita « calefieri » seu calor in « fieri » tamquam calor incompletus pertinet reductive ad tertiam speciem qualitatis (cf. n. 173); *b)* pro ipsa modalitate motus generalissime, i. e. pro statu tendentiae seu imperfectionis generalissime. Motus hoc modo sumptus est postpraedicamentum neque ad ullum praedicamentum reduci potest, sed tamquam analogum ad plura praedicamenta spectat[1]. Et est postpraedicamentum in sensu omnino speciali, quia cetera postpraedicamenta omnia a praedicamentis realiter non differunt.

209. Quotuplex sit motus. Motus, quo amittitur forma substantialis, dicitur corruptio; motus, quo acquiritur forma substantialis, dicitur generatio; motus ab una qualitate ad aliam contrarie oppositam, ut ab uno colore ad alium, dicitur alteratio; motus ab uno « ubi » ad aliud est motus localis; motus a minore ad maiorem quantitatem est augmentum, motus a maiore ad minorem quantitatem est decrementum.

Motus per se non spectat nisi ad haec quattuor praedicamenta. Non enim est « fieri » per se nisi ad substantiam et qualitatem et quantitatem et « ubi ». Per accidens autem ad mutationem istorum reliqua praedicamenta moventur et fiunt. Ita motus localis per se est ad « ubi », per accidens autem ad situm, quatenus acquisito « ubi » etiam situs acquiritur (cf. n. 290).

Motus ad substantiam est instantaneus; contra motus localis, motus alterationis, augmenti, decrementi motus successivi sunt.

Ad 208 sq. *Aristoteles:* Κινήσεως δέ ἐστιν εἴδη ἕξ, γένεσις, φθορά, αὔξησις, μείωσις, ἀλλοίωσις, ἡ κατὰ τόπον μεταβολή (Cat. 14, 15 a 13; cf. Phys. III 1). *S. Thomas:* « Cum motus, sicut infra patebit, sit actus imperfectus, omne autem, quod est imperfectum, sub eodem genere cadit cum perfecto: non quidem sicut species, sed per reductionem, sicut materia prima est in genere substantiae, necesse est quod motus non sit praeter genera rerum in quibus contingit esse motum, et hoc est quod dicit [Aristoteles], quod motus non est praeter genera rerum, in quibus est motus, ita quod sit aliquid extraneum vel aliquid commune ad haec genera. Et hoc manifestat per hoc, quod omne quod mutatur, mutatur vel secundum substantiam vel secundum quantitatem vel

[1] Motus non est reducibilis ad praedicamenta, ad quae est motus, quia naturam significat seu modalitatem novam, modificativam horum praedicamentorum. Ideo motus non se habet ad haec praedicamenta sicut exsistentia creata ad essentiam et ad praedicamentum, cuius est exsistentia, ad quod ipsa reducitur. Exsistentia enim, quamquam **realiter distincta ab essentia**, non superaddit novam naturam, sed simpliciter est actus essentiae.

secundum qualitatem vel secundum locum, ut in quinto ostendetur. His autem generibus non est accipere aliquod commune univocum, quod non contineatur sub aliquo praedicamento, sed sit genus eorum : sed ens est commune ad ea secundum analogiam, ut in quarto Metaphys. ostendetur. Unde etiam manifestum est quod neque motus neque mutatio sunt extra praedicta genera ; cum nihil sit extra ea, sed sufficienter dividant ens. Quomodo autem motus se habeat ad praedicamentum actionis vel passionis, infra ostendetur » (In Phys. III lect. 1 n. 7 ; cf. ad 193).

Caput III

LOGICA DEMONSTRATIVA

Quaestio I : *De demonstratione in genere.*

210. Quid sit demonstratio. Demonstratio late sumpta est ratiocinium quodcumque, quo habetur conclusio vera et certa. At Aristoteles, strictius sumendo demonstrationem, duplicem tradit definitionem, alteram extrinsecam per causam finalem, alteram intrinsecam essentialem per principia intrinsecus constituentia essentiam seu per materiam propriam, qua constituenda est demonstratio.

Prima definitio est : « Demonstratio est syllogismus efficiens scire. » « Syllogismus » intelligitur stricte pro syllogismo categorico (cf. n. 55). « Scire » definitur ab Aristotele : « cognoscere causam, propter quam res est, quod huius causa est, et non posse hoc aliter esse » (textum Aristotelis v. ad 223). Scire igitur tria complectitur : *a)* ut cognoscatur causa, propter quam res est ; *b)* ut cognoscatur causa formaliter tamquam causa huius rei ; *c)* ut inter causam et effectum nexus intercedat necessarius vel indefectibilis, seu ut causa in causando sit necessaria vel indefectibilis. Idem exprimitur dicendo : scientiam esse cognitionem certam per causas, i. e. per causas, propter quas res est, seu per causas, quae non tantum sunt causae in cognoscendo et quoad nos, sed etiam in essendo. Haec cognitio debet esse per causas indefectibiles, secus non esset certa ; ex causa enim contingenti seu libera effectus sciri non potest cum certitudine (quamquam aliquando probabiliter possit coniecturari ex dispositionibus et inclinationibus ad determinatum modum agendi). Notetur tamen necessitatem esse duplicem : absolutam et conditionatam. Illa obtinet in ordine metaphysico, in quo viget certitudo absoluta, haec in ordine physico et morali, in quo certitudo viget physica et moralis tantum. De qua triplici certitudine in Metaphysica est ulterius dicendum (cf. n. 669, 1).

Scientia potest sumi ut actus, ut actus assentiendi conclusioni, et ut habitus. Si sumitur ut actus, solae praemissae sunt causa

efficiens eius, nam conclusio est ipsa scientia ; si sumitur ut habitus, integer syllogismus est causa efficiens eius.

Altera definitio demonstrationis est : « Demonstratio est syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus causisque conclusionis. » Definitio haec fit per materiam propriam, qua constituenda est demonstratio, explicando conditiones praemissarum. Cum dicitur : « ex veris, primis, immediatis », explicantur conditiones praemissarum secundum se consideratarum ; cum dicitur : « prioribus, notioribus causisque conclusionis », conditiones explicantur, quae praemissis conveniunt in ordine ad conclusionem. « Ex veris » : scopus demonstrationis est conclusio vera et certa causanda ex praemissis. Sed falsum non potest causare verum (cf. n. 54) ; ergo prima conditio praemissarum est, ut sint verae. « Ex primis, immediatis », i. e. per se notis : « ex primis », quia non habent propositiones priores se, ex quibus demonstrarentur ; « immediatis », quia carent medio, quo demonstrarentur, cum praedicatum conveniat subiecto immediate (cf. n. 218). Non est tamen necessarium, ut omnis demonstratio constet ex praemissis, quae formaliter et in se sint propositiones primae et immediatae, sed sufficit, ut hoc sint virtualiter, quatenus resolvuntur in propositiones primas et dependent ex illis, sicut obtinet in systemate scientifico, cum demonstrationes inter se concatenantur et subordinantur. « Ex prioribus, notioribus causisque conclusionis » : causae intelliguntur non tantum in cognoscendo et quoad nos, sed etiam in essendo. Causa tamen in essendo late sumitur sive pro causa physica, realiter ab effectu distincta, sive pro causa metaphysica, virtuali seu pro ratione ontologica virtualiter tantum distincta a rationato, sicut cum ex intellectu divino probatur voluntas divina et ex immutabilitate aeternitas. Si autem praemissae sunt causae conclusionis, sunt etiam priores — causa enim praecedit effectum — et notiores, nam « propter quod unumquodque tale et illud magis », sed praemissae faciunt innotescere conclusionem ; ergo sunt magis notae.

Si definitiones Aristotelicae velint applicari demonstrationi late sumptae, in prima definitione nomine syllogismi intelligendum est quodcumque ratiocinium, sive deductivum sive inductivum, et nomine scientiae qualiscumque cognitio per causas, etiam si sunt causae in cognoscendo tantum et quoad nos, non in essendo ; similiter in secunda definitione causae conclusionis sumendae sunt non pro causis in essendo, sed in cognoscendo.

211. Quotuplex sit demonstratio. Demonstratio late sumpta dividitur in demonstrationem « quia » (ὅτι) et demonstrationem « propter quid » (διότι). Illa probat tantum rem esse seu veram esse (probat, quod seu quia [ὅτι] est), haec praeterea propriam et proximam causam sive physicam sive metaphysicam assignat, cur aliquid sit et verum sit (propter quid [διότι] sit)

Demonstratio propter quid probat proprietatem seu propriam passionem de subiecto per essentiam subiecti. Essentia enim subiecti est causa proprietatum. Ideo est duplex: altera perfectissima probat propriam passionem de proprio et adaequato subiecto: Omne admirativum est risibile; atqui omnis homo est admirativus; ergo omnis homo est risibilis; Quod est immutabile, est aeternum; atqui Deus est immutabilis; ergo Deus est aeternus; — altera minus perfecta probat propriam passionem aut de aliqua specie seu individuo subiecti adaequati: Omne triangulum habet tres angulos aequales duobus rectis; atqui isosceles est triangulum; ergo habet tres angulos aequales duobus rectis, — aut de ipso genere particulariter sumpto: Omne triangulum habet tres angulos aequales duobus rectis; atqui omne triangulum est figura; ergo aliqua figura habet tres angulos aequales duobus rectis.

Demonstratione propter quid gignitur scientia propter quid, quae est cognitio perfectissima. Perfecta enim cognitio est, qua certo cognoscitur res, prout est; iamvero res est per causas suas. Ergo cognitio perfecta est cognitio certa rei per causas seu scientia propter quid. Ideo scientia propter quid est finis ultimus totius Logicae.

Demonstratio propter quid potest fieri per causam physicam aut per causam metaphysicam, et cum quattuor sint causae physicae: efficiens, finalis, materialis, formalis, per omnes quattuor causas potest fieri demonstratio propter quid, quatenus terminus medius desumitur ex aliqua ex his quattuor causis; ita demonstratio: « Quod componitur ex contrariis, est corruptibile; atqui corpus humanum componitur ex contrariis; ergo corpus humanum est corruptibile », fit per causam materialem.

Nota. Si res a pluribus causis dependet, ex omnibus cognoscenda est, ut habeatur scientia omnibus numeris perfecta.

Demonstratio « quia » triplex est: a priori, a posteriori, a simultaneo. Demonstratio quia, quae est a priori, probat effectum per causam, physicam aut metaphysicam, sed per causam remotam et communem. Exemplum sit demonstratio, qua probatur aeternitas Dei ex eius omniperfectione; propria enim ratio aeternitatis non est omniperfectio, sed immutabilitas. Sicut demonstratio propter quid, ita etiam demonstratio quia a priori per omnes quattuor causas fieri potest. Comparando demonstrationem a priori cum demonstratione propter quid patet omnem demonstrationem propter quid esse a priori, sed non omnem demonstrationem a priori esse propter quid.

Demonstratio a posteriori ex effectu probat causam; ita ex creaturis probatur exsistentia Dei. Demonstratio a posteriori potest fieri per inductionem, ascendendo a particularibus ad universale, sed plerumque fit per deductionem mediante syllogismo categorico, descendendo a principio universali; ita probatur exsistentia Dei mediante

principio universali : in causis per se subordinatis repugnare processum in infinitum.

Demonstratio a simultaneo (quae dicitur etiam « quasi a priori ») habetur, cum ratio et rationatum sunt simul natura. Hoc autem contingit aut ex eo, quod sunt correlativa inter se — correlativa enim sunt simul natura (cf. n. 192, 4) —, aut quia inter rationem et rationatum non intercedit nisi distinctio rationis ratiocinantis, ut cum ex ente a se probatur ipsum esse subsistens.

Tum demonstratio quia tum demonstratio propter quid potest esse directa et indirecta. Demonstratio directa seu ostensiva est, quae ex praemissis veris et necessariis positive rem demonstrat. Demonstratio indirecta, quae vocatur etiam « per reductionem ad absurdum seu ad impossibile », rem demonstrat ostendendo oppositum esse falsum seu impossibile. Si reducit ad impossibile per causas impossibilitatis, est propter quid, ut cum dicitur : Si lapis esset vivens, sequeretur eum movere seipsum ; si reducit ad impossibile ex effectibus, est demonstratio quia : Si equus discurreret, esset rationalis.

212. Demonstratio propter quid est ex praemissis de omni et per se. Dici de omni distinguitur prioristicum et posterioristicum[1]. Prioristicum consistit in eo, quod praedicatum conveniat subiecto universaliter distributive sive contingenter (probabiliter) sive necessario, posterioristicum autem requirit, ut praedicatum conveniat necessario (necessitate sive absoluta sive conditionata).

Quattuor distinguuntur modi dicendi per se. Primus est, cum praedicatum est de essentia subiecti, ut rationale est de essentia hominis ; secundus est, cum praedicatum est propria passio subiecti, ut risibile est propria passio hominis ; tertius est, cum praedicatum est aliquid substantiale ; quartus est, cum praedicatum est propria operatio subiecti, ut cum dicitur : Medicus medetur, musicus cantat.

Demonstratio propter quid requirit praemissas de omni posterioristico et in primo et secundo modo dicendi per se. Nam in demonstratione propter quid oportet praemissas esse necessarias, utpote quae inferant conclusionem necessariam seu conclusionem, in qua propria passio enuntiatur de subiecto ; sed propositiones necessariae sunt in primo et secundo modo dicendi per se.

213. Demonstratio propter quid perfectissima est ex praemissis « secundum quod ipsum ». Praemissae «secundum quod ipsum» sunt propositiones, in quibus praedicatum convenit subiecto reduplicative, quatenus tale, seu propositiones convertibiles, ut sunt : Homo est ratio-

[1] Prioristicum dicitur, quod spectat ad Analytica priora, ad Logicam formalem ; posterioristicum, quod ad Analytica posteriora, ad Logicam materialem spectat.

nalis ; homo est risibilis. Iam vero perfectissima demonstratio probat propriam passionem de proprio et adaequato subiecto, ostendens, propter quid illi conveniat ; sed propria passio convertitur cum proprio et adaequato subiecto, et proprium «propter quid» passionis (i. e. propria et immediata causa eius) convertitur cum ipsa passione. Ergo in demonstratione perfectissima omnes tres termini sunt convertibiles. Exemplum sit demonstratio : Omne admirativum est risibile ; atqui omnis homo est admirativus ; ergo omnis homo est risibilis, in qua omnes tres propositiones sunt secundum quod ipsum.

Ad 210. *Aristoteles* « definit syllogismum demonstrativum per comparationem ad finem suum, qui est scire... Primo, ponit quod scire est finis syllogismi demonstrativi sive effectus eius, cum scire nihil aliud esse videatur quam intelligere veritatem alicuius conclusionis per demonstrationem. Secundo, ... definit syllogismum demonstrativum per huiusmodi finem : dicens quod demonstratio est syllogismus scientialis, idest faciens scire [ἀπόδειξιν δὲ λέγω συλλογισμὸν ἐπιστημονικόν: Anal. post. I 2, 71 b 17]. Tertio, exponit hoc quod dixerat scientialem ; ... dicens quod scientialis syllogismus dicitur, secundum quem scimus, inquantum ipsum habemus, ne forte aliquis syllogismum scientialem intelligeret, quo aliqua scientia uteretur. Deinde... concludit ex praedictis definitionem syllogismi demonstrativi ex materia sumptam ..., dicens quod si scire hoc significat quod diximus, scil. causam rei cognoscere etc., necesse est quod demonstrativa scientia, idest quae per demonstrationem acquiritur, procedat ex propositionibus veris, primis et immediatis, idest quae non per aliquod medium demonstrantur, sed per seipsas sunt manifestae (quae quidem immediatae dicuntur, inquantum carent medio demonstrante ; primae autem in ordine ad alias propositiones, quae per eas probantur) ; et iterum ex notioribus et prioribus et causis conclusionis ... Si propositiones demonstrationis sunt causa conclusionis, necesse est quod sint propria principia eius : oportet enim causas esse proportionatas effectibus ... Ex hoc concludit ulterius quod sint priores et notiores, quia omnis causa est naturaliter prior et notior suo effectu ... Et quia prius et notius dicitur dupliciter, scil. quoad nos, et secundum naturam, dicit consequenter quod ea ex quibus procedit demonstratio, sunt priora et notiora simpliciter et secundum naturam et non quoad nos » (Ἀνάγκη καὶ τὴν ἀποδεικτικὴν ἐπιστήμην ἐξ ἀληθῶν τ' εἶναι καὶ πρώτων καὶ ἀμέσων καὶ γνωριμωτέρων καὶ προτέρων καὶ αἰτίων τοῦ συμπεράσματος· οὕτω γὰρ ἔσονται καὶ αἱ ἀρχαὶ οἰκεῖαι τοῦ δεικνυμένου... πρότερα δ' ἐστὶ καὶ γνωριμώτερα διχῶς· οὐ γὰρ ταὐτὸν πρότερον τῇ φύσει καὶ πρὸς ἡμᾶς πρότερον, οὐδὲ γνωριμώτερον: Anal. post. I 2, 71 b 20 33. *S. Thom.* lect. 4 n. 9 sqq. 15).

Ad 211. « Ostendit [Philosophus] differentiam inter demonstrationem quia, et demonstrationem propter quid... Primo... in eadem scientia ; secundo in diversis... Dicit ergo primo: superius dictum est quod demonstratio est syllogismus faciens scire, et quod demonstratio ex causis rei procedit et primis et immediatis. Quod intelligendum est de demonstratione propter quid. Sed tamen differt scire quia ita est, et propter quid ita est [Τὸ δ' ὅτι διαφέρει καὶ τὸ διότι ἐπίστασθαι,... ἕνα μὲν τρόπον ἐὰν μὴ δι' ἀμέσων γίνηται ὁ συλλογισμός (οὐ γὰρ λαμβάνεται τὸ πρῶτον αἴτιον, ἡ δὲ τοῦ διότι ἐπιστήμη κατὰ τὸ πρῶτον αἴτιον), ἄλλον δὲ εἰ δι' ἀμέσων μέν, ἀλλὰ μὴ διὰ τοῦ αἰτίου... γνωριμώτερον... ἐνίοτε τὸ μὴ αἴτιον, ὥστ' ἔσται διὰ τούτου ἡ ἀπόδειξις: Anal. post. I 13, 78 a 22]. Et cum demonstratio sit syllogismus faciens scire, ut dictum est, oportet etiam quod demonstratio, quae facit scire quia, differat a demonstratione, quae facit scire propter quid.

Et horum quidem differentia primo consideranda est in eadem scientia; postea consideranda est in diversis. In una autem scientia dupliciter differt utrumque praedictorum, secundum duo quae requirebantur ad demonstrationem simpliciter, quae facit scire propter quid; scil. quod sit ex causis, et quod sit ex immediatis. Uno igitur modo differt scire quia ab hoc, quod est scire propter quid; quia scire quia est, si non fiat syllogismus demonstrativus ... per immediatum, sed fiat per mediata. Sic enim non accipietur prima causa, cum tamen scientia, quae est propter quid, sit secundum primam causam. Et ita non erit scientia propter quid. Alio modo differunt, quia scire quia est, quando fit syllogismus non quidem per media, idest per mediata, sed per immediata, sed non fit per causam: sed fit per convertentiam, idest per effectus convertibiles et immediatos. Et tamen talis demonstratio fit per notius, scil. nobis; alias non faceret scire. Non enim pervenimus ad cognitionem ignoti, nisi per aliquid magis notum. Nihil enim prohibet duorum aeque praedicantium, idest convertibilium, quorum unum sit causa, et aliud effectus, notius esse aliquando non causam, sed magis effectum. Nam effectus aliquando est notior causa quoad nos et secundum sensum, licet causa sit semper notior simpliciter et secundum naturam. Et ita per effectum notiorem causa potest fieri demonstratio non faciens scire propter quid, sed tantum quia» (*S. Thom.*, In Anal. post. I lect. 23 n. 1 sqq.). Cf. *S. Thom.*, In De an. II lect. 3 n. 253: «Haec demonstratio est ex posteriori»; cf. Q. d. an. a. 17 (cit. ad 567). «Demonstratio quae est ad impossibile ... Probatur ... per hoc quod oppositum est falsum» (*S. Thom.*, In Anal. post. I lect. 20 n. 3; cf. In Phys. VIII lect. 21 n. 8: Demonstratio ostensiva, — demonstratio ad impossibile ducens).

Ad 212. *Aristoteles*, quid sit dici de omni et dici per se, explicat Anal. post. I 4; *S. Thomas* ib. lect. 9 et 10; cf. In Met. V lect. 19 n. 1054 sqq.

Quaestio II: *De praecognitis ad demonstrationem.*

Thesis 12: *Ut conclusio rite causari valeat per demonstrationem propter quid, de praemissis praecognoscendum est, quod sunt, i. e. quod verae sunt; de subiecto, quod est et quid est; de praedicato, quid est seu quid nomen significat.*

214. St. qu. 1. Conclusio deducitur ex veritatibus iam notis, in quibus virtute continetur; nam concludere est procedere a veritate cognita ad non cognitam, ita ut a veritate cognita efficiatur nova cognitio (cf. n. 52). Ergo quaedam praecognoscenda sunt ad demonstrationem instituendam.

2. Distinguimus praecognitum: obiectum praecognoscendum, quod est triplex: subiectum, praedicatum, praemissae; et praecognitionem: modum cognitionis, quo praecognoscendum est hoc obiectum. Praecognitio duplex est: *a)* an sit; *b)* quid sit. Praecognitio «an sit» iterum duplex est, quatenus versatur circa incomplexum, de quo simpliciter quaeritur, an sit, aut circa complexum, de quo quaeritur, an verum sit. Et «an sit», quod quaeritur de incom-

plexo, potest esse circa exsistentiam aut circa possibilitatem et cognoscibilitatem. In thesi « an sit » non intelligitur de exsistentia (scientia enim abstrahit ab exsistentia in rerum natura), sed de possibilitate et cognoscibilitate.

Praecognitio « quid sit » distinguitur in « quid rei », quod explicatur definitione reali, et « quid nominis », quod explicatur definitione nominali.

215. Prob. th. I p.: De praemissis praecognoscendum esse, quod verae sunt. Haec assertio patet ex eo, quod concludere est procedere a veritate cognita ad non cognitam.

Prob. II p.: De subiecto praecognoscendum esse, quod est et quid est; de praedicato, quid est seu quid nomen significat. Ex natura demonstrationis propter quid: Si praemissae praecognoscendae sunt, etiam earum termini: subiectum, praedicatum, medius, praecognoscuntur. Sed medius est quidditas subiecti. Demonstratio enim propter quid fit ex essentia subiecti; ergo de subiecto cognoscitur « quid est » ac proinde etiam « quod est », quia cognitio « quid sit » supponit cognitionem « quod sit ». De praedicato autem non praecognoscitur, « quod est » seu « quod inest », nam hoc est probandum; neque « quid est » definitione reali, nam hoc dependet a « quod est ». Definitionem enim proprietatis ingreditur proprium subiectum. Proprietas enim definienda est tamquam aliquid huius subiecti, cuius est proprietas. Ita risibilitas est aliquid hominis, et hominis admirativi. Ergo de praedicato non potest praecognosci nisi « quid est » nominis.

216. Schol. Ad demonstrationem « quia » de subiecto tantum praecognoscendum est « quid est » nominis, quia haec demonstratio non procedit ex essentia subiecti, ac proinde medium demonstrationis non est essentia subiecti.

217. Obi. *Contra I p.* Praecognoscenda sunt de praemissis omnia, quae requiruntur ad deducendam conclusionem evidenter veram. Atqui ad haec pertinet non tantum veritas materiae (quod praemissae sunt verae), sed etiam bonitas consequentiae (quod forma syllogistica est recta). Ergo. *Resp. Conc. mai.; dist. min.:* Et haec bonitas consequentiae est praecognitum prioristicum, *conc.;* et haec bonitas consequentiae est praecognitum posterioristicum, *nego. Dist. consq.* Thesi nostra recensentur tantum praecognita posterioristica, i. e. ea, quae praecognoscenda sunt ratione materiae. Ceterum bonitas consequentiae non est praecognoscenda explicite, sed sufficit, ut praecognoscatur implicite et virtualiter, id quod habetur per Logicam naturalem; potest enim sine Logica artificiali aliqua demonstratio confici (cf. n. 87).

Contra II p. Non est praecognoscendum de subiecto, quod scientia probat de subiecto. Atqui scientia probat de subiecto, « quod est ». Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Non est praecognoscendum ad demonstrationem « propter quid », quod scientia probat per demonstrationem « quia », *nego;* non est praecognoscendum ad demonstrationem « quia », *conc. Contradist. min.:* Aliqua scientia probat

de subiecto, quod est, per demonstrationem « quia », *conc.* ; per demonstrationem « propter quid », *nego*. Licet demonstratio « propter quid » supponat de subiecto, quod sit et quid sit, nihilominus aliquando scientia probat, subiectum suum esse, per demonstrationem « quia », uti Theologia.

A d 215. « Postquam ostendit Philosophus, quod omnis disciplina ex praeexsistenti fit cognitione, nunc ostendit, quis sit modus praecognitionis . . . Circa [quod] sciendum est, quod id cuius scientia per demonstrationem quaeritur est conclusio aliqua, in qua propria passio de subiecto aliquo praedicatur, quae quidem conclusio ex aliquibus principiis infertur. Et quia cognitio simplicium praecedit cognitionem compositorum, necesse est quod, antequam habeatur cognitio conclusionis, cognoscatur aliquo modo subiectum et passio. Et similiter oportet quod praecognoscatur principium, ex quo conclusio infertur, cum ex cognitione principii conclusio innotescat. Horum autem trium, scil. principii, subiecti et passionis, est duplex modus praecognitionis, scil. quia est et quid est. Ostensum est autem in VII Metaphys. quod complexa non definiuntur . . . Unde cum principium sit enuntiatio quaedam, non potest de ipso praecognosci quid est, sed solum quia verum est. De passione [i. e. praedicato] autem potest quidem sciri quid est, quia, ut in eodem libro ostenditur, accidentia quodammodo definitionem habent. Passionis autem esse et cuiuslibet accidentis est inesse subiecto, quod quidem demonstratione concluditur. Non ergo de passione praecognoscitur quia est, sed quid est solum. Subiectum autem et definitionem habet, et eius esse a passione non dependet, sed suum esse proprium praeintelligitur ipsi esse passionis in eo. Et ideo de subiecto oportet praecognoscere et quid est et quia est, praesertim cum ex definitione subiecti et passionis sumatur medium demonstrationis. Propter hoc ergo dicit Philosophus quod dupliciter necessarium est praecognoscere, quia duo sunt quae praecognoscuntur de his, quorum praecognitionem habemus, scil. quia est et quid est. Et quod alia sunt, de quibus necesse est primo cognoscere quia sunt, sicut principia. . . Alia vero sunt, de quibus oportet praeintelligere quid est quod dicitur, idest quid significatur per nomen, scil. de passionibus » (Διχῶς δ' ἀναγκαῖον προγιγνώσκειν· τὰ μὲν γάρ, ὅτι ἔστι, προϋπολαμβάνειν ἀναγκαῖον, τὰ δέ, τὶ τὸ λεγόμενόν ἐστι, ξυνιέναι δεῖ, τὰ δ' ἄμφω : Anal. post. I 1, 71 a 11. *S. Thom.* lect. 2 n. 1 sqq.).

Quaestio III : *De principiis demonstrativis.*

Thesis 13 : *Quaedam sunt principia per se nota omnibus.*

218. St. qu. 1. Iudicia (seu propositiones) dividuntur in immediata seu per se nota, et mediata, non per se nota. Propositiones sunt immediatae seu per se notae, si praeter ipsos terminos non potest assignari medium seu ratio habitudinis inter S et P, sed ipsi termini immediate sunt ratio suae convenientiae aut discrepantiae : habitudo inter S et P est immediate ex ipsis terminis. « Homo est rationalis », « Deus est », sunt iudicia immediata, per se nota ; contra : « Deus est aeternus », « homo exsistit », sunt mediata, non per se nota ; nam in iudicio « Deus est aeternus » S et P non immediatissime conveniunt, sed mediante immutabilitate. Deus est aeternus, quia im-

mutabilis, potest assignari medium seu ratio, vi cuius ita sit, sicut esse dicitur; item hominem exsistere non habetur ex terminis, et huius ratio assignatur nativitas et conservatio in esse.

Propositiones istae immediatae seu per se notae possunt esse affirmativae et negativae. Affirmativae sunt eae, in quibus praedicatum est definitio (seu quasi-definitio) metaphysica subiecti vel pars huius definitionis aut primum proprium subiecti; negativae autem sunt, in quibus praedicatum immediate opponitur definitioni vel primo proprio. Nam definitio subiecti immediate convenit subiecto (homo est rationalis; Deus est), et etiam primum proprium immediate convenit subiecto (homo est disciplinae scientificae capax), cum immediate conveniat essentiae; essentia enim est ipsum subiectum. Similiter, quod immediate opponitur subiecto vel primo proprio, immediate convenit subiecto negative seu immediate negatur. Ita esse immediate opponitur ei quod non est; « id quod est » autem est (quasi-)definitio entis, quae oppositio exprimitur principio contradictionis: Idem non potest simul esse et non esse [1].

Sed quantumvis sit propositio per se nota et immediata quoad se, tamen habitudo inter S et P intellectui non patet, nisi quatenus termini sufficienter evidentes ei fiunt, ut possit habitudinem illam perspicere. Unde si propositio aliqua per se nota consideratur per ordinem ad aliquem intellectum, potest esse per se nota secundum se et quoad illum intellectum, si eius termini huic intellectui evidentes sunt, inquantum sufficit ad habitudinem inter eos perspiciendam, secus est per se nota secundum se tantum et non quoad illum intellectum. Ex quo deducitur propositionum per se notarum divisio in per se notas quoad omnes et per se notas quoad sapientes tantum. Propositiones per se notae quoad omnes sunt eae propositiones per se notae, quarum termini immediate, ope solius experientiae sensilis sine ratiocinio ullo, sive deductivo sive inductivo, sunt in notitia omnium, inquantum sufficit ad habitudinem inter S et P perspiciendam. Propositiones per se notae quoad sapientes tantum, sunt illae propositiones per se notae, quarum termini nonnisi ratiocinio innotescunt, quantum sufficit ad habitudinem eorum inter se perspiciendam, i. e. innotescunt iis, qui ratiocinii ope sapientes facti sunt.

Propositiones per se notae omnibus sunt eae, quarum termini sunt conceptus universalissimi. Hi conceptus immediate ex sensili experientia abstrahuntur (cf. n. 581—583) eorumque habitudo ad in-

---

[1] Inter propositiones per se notas recensentur etiam propositiones identicae (Petrus est Petrus) et propositiones disiunctivae conflatae ex membris contradictoriis (Petrus vel currit vel non currit). Sed propositio identica seu tautologica proprie iudicium non est, neque est principium. Et propositiones illae disiunctivae non sunt nisi expressio determinatior principii exclusi tertii seu principii contradictionis.

vicem statim innotescit. Ita propositiones per se notae omnibus sunt: idem non posse simul esse et non esse; totum esse maius sua parte (esse maius sua parte est immediatum proprium totius). Propositiones autem per se notae sapientibus tantum sunt minus universales. Conceptus enim minus universales seu determinatiores rerum a nobis non acquiruntur nisi inductione ex singularibus, et hi conceptus iterum distincti non redduntur, ita ut exhibeant essentiam metaphysicam nisi ratiocinio et scientifica notarum analysi (cf. 583, 3). Ita hominem esse rationalem, est propositio per se nota sapientibus tantum; nam mediante ratiocinio tantum ex singularibus coniungimus esse rationale cum aliis notis, quibus concipimus hominem. Similiter Deum esse est per se notum sapientibus tantum.

Doctrina de propositionibus per se notis potest breviter ita proponi: Omnis propositio per se nota caret medio in essendo; quod si est per se nota quoad omnes, caret etiam medio in cognoscendo, et sicut est sine medio, ita etiam cognoscitur sine medio. Quare propositio per se nota non tantum quoad se, sed etiam quoad omnes, directe neque a priori neque a posteriori probari potest[1], sed neque demonstratione indiget. Propositio autem per se nota quoad se tantum, probatur directe aut deductione a priori, si est propositio, cuius praedicatum est primum proprium subiecti, quae probatur mediante essentia metaphysica subiecti, aut deductione a posteriori, sicut Deum esse probatur ex effectibus, aut inductione, sicut probatur hominem esse rationalem.

Propositiones per se notae principia dicuntur, quatenus sunt primum, unde alia deducuntur et cognoscuntur; nam principium secundum Aristotelem est «primum unde aliquid aut est aut fit aut cognoscitur». Principia per se nota omnibus seu communissima vocantur axiomata. Haec sunt semina omnium scientiarum. Principia per se nota sapientibus tantum dicuntur principia particularia.

2. Principia per se nota inter veteres recusabant ii qui, teste Aristotele, nihil admittere volebant, nisi quod demonstraretur. Quorum alteri in scepticismum abibant, cum conatus omnia demonstrandi processum inducat in infinitum; et hi dicebant, non dari nisi scientiam hypotheticam suppositis principiis, de quibus non esset certitudo, in quam doctrinam etiam plures recentes deveniunt philosophi et mathematici (Positivistae). Alteri vero ad scepticismum evitandum circularem inducebant demonstrationem, probando conclusionem ex principiis et iterum principia ex conclusionibus.

---

[1] Indirecte seu per reductionem ad absurdum omnes propositiones per se notae demonstrari possunt, excepto principio contradictionis. Qua de re ex professo in Metaphysica est dicendum

219. Prob. th. *Arg. I.* Ex eo quod negatio thesis inducit scepticismum : Si negantur principia per se nota omnibus, inducitur scepticismus. Atqui scepticismus est absurdus [1]. Ergo sunt principia per se nota omnibus.

Neque ad scepticismum vitandum confugi potest ad demonstrationem circularem. Nam etiam haec est absurda, cum ita idem per idem ac proinde nihil probetur.

Arg. II. Ex experientia : Principia per se nota sunt iudicia, in quibus habitudo inter subiectum et praedicatum ex ipsis terminis patet ; omnibus per se nota sunt, si eorum termini immediate in notitia sunt omnium. Atqui quaedam sunt iudicia per se nota, quorum termini immediate sunt in notitia omnium. Ergo sunt principia per se nota omnibus.

Prob. min. Omnes immediate intelligunt, quid sit ens et non-ens, totum et pars, ac proinde iudicia per se nota : Ens non est non-ens, seu idem non potest simul esse et non esse ; totum est maius sua parte, sunt iudicia, quorum termini immediate sunt in notitia omnium.

220. Coroll. Ergo datur habitus principiorum, qui consistit in facilitate formulandi seu cognoscendi principia per se nota. Habitus principiorum, qui etiam intelligentia seu intellectus vocatur, non est innatus, sed acquisitus. Acquiritur enim eo quod termini acquiruntur seu abstrahuntur ex sensibilibus (inductione improprie dicta ; cf. n. 75). At neque cum ipsis speciebus identificatur, quibus termini cognoscuntur, sed resultat ex intellectu per species determinato. Ita acquisito conceptu totius et partis resultat habitus formulandi principium : Totum est maius sua parte, qui habitus, acquisitis aliis terminis, ad alia etiam principia extenditur. Secundum quid intellectus principiorum dicendus est innatus, quatenus potentia intellectiva tota natura sua in eum inclinat, ita ut statim acquiratur, ubi primum evigilaverit usus rationis.

221. Schol. 1. Principia per se nota ex experientia sensili seu ex sensili cognitione colliguntur eo ipso quod termini acquiruntur seu abstrahuntur, ut patet ex dictis. Ex quo accuratius determinatur id quod in statu quaestionis diximus: principia per se nota carere medio. Cum dicitur principium per se notum quoad omnes carere medio in essendo et in cognoscendo, excluditur quodcumque medium in essendo, non vero in cognoscendo, quia non excluditur medium (in cognoscendo), quod est experientia sensilis ; secus omnino nulla iam essent principia per se nota quoad nos, cum omnis cognitio nostra ex sensibus originetur ; sed excluditur praevia cognitio intellectiva, ex qua per modum conclusionis deduceretur principium.

---

[1] De scepticismi absurditate latius in Metaphysica erit dicendum.

2. Habitus principiorum duplex distinguendus est: *a)* habitus principiorum speculativorum, qui simpliciter intelligentia vocatur; *b)* habitus principiorum practicorum, qui vocatur synderesis[1]. Hos habitus inter se essentialiter distingui patet ex dictis n. 100—103.

Principia speculativa principalia haec sunt:

I. Principium contradictionis: Nihil potest simul sub eodem respectu esse et non esse. (Ens non est non-ens.)

II. Principium exclusi tertii: Non est medium inter esse et non esse.

III. Principium convenientiae et discrepantiae: Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Quorum unum distinguitur a tertio, a quo alterum non distinguitur, ea inter se distingui oportet.

IV. Principium, quod dicitur «dictum de omni» et «dictum de nullo».

V. Principium rationis sufficientis: Nihil est sine ratione sufficiente.

3. Duplex est demonstratio circularis seu circulus in demonstrando: alter uniformis, difformis alter. Circulus uniformis seu vitiosus est, cum a conclusione formaliter prout demonstrata seu cognita ex principiis fit regressio ad principia, ut cum quis postquam probavit spiritualitatem animae ex operationibus eius spiritualibus, iterum spiritualitatem harum operationum ex animae spiritualitate probare conatur. Circulus difformis est, cum a conclusione non prout cognita ex principiis, sed prout alia via seu alio medio cognita, fit regressio ad principia. Hic circulus non est formalis, sed materialis tantum, neque eo probatur idem per idem, quia conclusio alio medio cognita, a qua fit regressio ad principia, non est nisi materialiter eadem cum conclusione prout ex principiis deducta fuit. Haec demonstratio circularis seu regressiva, qua utuntur omnes fere scientiae, recta methodo iungit demonstrationem «quia» et «a posteriori» cum demonstratione «a priori» et «propter quid»: ex imperfecta cognitione effectus cognoscitur causa, cognitione similiter imperfecta, quae cognitio imperfecta causae ulteriore speculatione perficitur, et ita ex causa perfectius cognita regressio fit ad effectum ipsum perfectius cognoscendum. Sic philosophus naturalis a proprietatibus corporis demonstrando ascendit ad corporis essentiam, et postquam ulteriore speculatione hanc essentiam perfectius penetravit, ab ea iterum ad proprietates melius cognoscendas descendit. Similiter metaphysicus ex creaturis ascendit ad Deum, a quo iterum ad creaturas melius cognoscendas descendit.

Dictum est omnem argumentationem deductivam esse circulum vitiosum, cum propositio universalis non habeatur nisi inductione ex

[1] συντήρησις, conservatio.

particularibus, quae particularia iterum ex propositione universali deducerentur (St. Mill). Sed *a)* negatur suppositum. Propositio universalis, quae constituit maiorem argumentationis deductivae, non tantum inductione, sed etiam immediate ex ipsis terminis saepe haberi potest (principia per se nota). *b)* Etiam cum concurrit inductio physica ad generandam propositionem universalem, tamen non fit circulus vitiosus, quia inductio physica non innititur sola enumeratione particularium, sed etiam principio causalitatis (cf. n. 77). Quare si inductione cognoscitur hominem esse rationalem, et exinde concluditur Petrum esse rationalem, non est circulus vitiosus.

222. Obi. 1. Principia per se nota omnibus sunt principia, quae carent medio. Atqui principia, quae carent medio, non sunt per se nota omnibus. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quae carent medio in essendo et in cognoscendo, *conc.* ; in essendo tantum, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui nulla sunt principia, quae carent medio in essendo et in cognoscendo. *Probo.* Principia, quae carent medio in essendo et in cognoscendo, sunt principia, quae immediate ab intellectu cognoscuntur. Atqui nulla sunt principia, quae immediate ab intellectu cognoscuntur. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Mediante tamen cognitione sensili, *conc.* ; neque mediante cognitione sensili, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui mediante sola cognitione sensili nulla principia immediate cognoscuntur. *Probo.* Quae cognoscuntur mediante inductione, non cognoscuntur mediante sola cognitione sensili. Atqui haec principia cognoscuntur mediante inductione. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Mediante inductione proprie dicta, *conc.* ; mediante inductione improprie dicta, quae est sola abstractio et comparatio terminorum, *nego. Contradist. min.*

4. Atqui mediante sola abstractione et comparatione terminorum nulla cognoscuntur principia. *Probo.* Sine ratione sufficiente nulla cognoscuntur seu admittuntur principia. Atqui principia, quae sola abstractione et comparatione terminorum cognoscuntur, cognoscuntur et admittuntur sine ratione sufficiente. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Sine ratione sufficiente tum extrinseca tum intrinseca ipsis terminis, *conc.* ; sine ratione sufficiente extrinseca, *nego. Contradist. min.*

5. Atqui omnia principia cognitionis habent rationem sufficientem extrinsecam. *Probo.* Principia, quae pendent a Deo, habent rationem sufficientem extrinsecam. Atqui omnia principia pendent a Deo. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Necessario habent rationem sufficientem extrinsecam, a qua pendent tamquam a medio nostro in cognoscendo et tamquam a medio in essendo, *nego* ; a qua pendent tamquam a principio essendi, *conc. Contradist. min.* Veritas primorum principiorum dependet a Deo tamquam a principio essendi (tamquam a causa exemplari), sed non tamquam a nostro medio in cognoscendo neque tamquam a medio in essendo, ita ut tamquam ratio, cur P conveniat S°, assignandus esset Deus.

Bibliographia ad 218—221: *A. Dyroff*, Über Name und Begriff der Synteresis, PhJ 25 (1912) 487—489. *R. Garrigou-Lagrange*, De duplici via inventionis et de duplici via iudicii sec. S. Thomam, Acta et Comm. Pont. Academiae Rom. S. Th. Aq. Vol. VII, III 1954, 189—196. *P. Hoenen*, De origine primorum principiorum scientiae, Gr 14 (1933) 153—184. *R. Leiber*, Name und Begriff der Synteresis (in der mittelalterlichen Scholastik), PhJ 25 (1912) 372—392. *O. Lottin*, La syndérese chez Albert le Grand et saint Thomas,

RNSPh 30 (1928) 18—44. *J. Péghaire*, Note sur l'«intellectus principiorum» d'après les Commentaires sur les Sentences, RTh 40 (1935) 659—666. *K. Schmieder*, Die Synderesis und die ethischen Werte, PhJ 47 (1934) 145—159; 297—307. *J. Tomatis*, De habitu principiorum, Albae 1943.

Ad 218. *Aristoteles* in Anal. post. I 2 distinguit «notiora secundum naturam» seu quoad se, et «notiora quoad nos» (γνωριμώτερον τῇ φύσει et πρὸς ἡμᾶς: 71 b 34 [cf. ad 210]). Item in Phys. II 1 (τὸ δι' αὑτὸ καὶ μὴ δι' αὑτὸ γνώριμον: 193 a 5). Cf. *S. Thom.*, In Anal. post. I lect. 4 n. 15 sq.; In Phys. II lect. 1 fin. *Aristoteles* «definit immediatam propositionem, et dicit quod immediata propositio est, qua non est altera prior ['Αρχὴ δ' ἐστὶν ἀποδείξεως πρότασις ἄμεσος, ἄμεσος δὲ ἧς μή ἐστιν ἄλλη προτέρα: Anal. post. I 2, 72 a 7] ... Aliud [immediatum principium] est, quod dicitur "dignitas" vel "maxima propositio" [ἀξίωμα: ib. 72 a 17, item: c. 10, 76 b 14; Met. IV 3 ⟨cit. ad 646⟩] quam necesse est habere in mente et ei assentire quemlibet, qui doceri debet ... Quaelibet propositio, cuius praedicatum est in ratione subiecti, est immediata et per se nota, quantum est in se. Sed quarundam propositionum termini sunt tales, quod sunt in notitia omnium, sicut ens, et unum, et alia quae sunt entis, in quantum ens: nam ens est prima conceptio intellectus. Unde oportet quod tales propositiones non solum in se, sed etiam quoad omnes, quasi per se notae habeantur. Sicut quod, non contingit idem esse et non esse» (*S. Thom.*, In Anal. post. I lect. 5 n. 2 6 sq.; cf. S. th. I 2, 1; C. g. I 11; Ver. 10, 12; Pot. 7, 2 ad 11).

Ad 219. *Aristoteles* «quod certa cognitio aliquorum habeatur sine demonstratione, sic probat. Necesse est scire priora, ex quibus est demonstratio; sed haec aliquando contingit reducere in aliqua immediata; alias oporteret dicere quod inter duo extrema, scil. subiectum et praedicatum, essent infinita media in actu; immo plus, quod non esset aliqua duo accipere, inter quae non essent infinita media. Qualitercumque autem media assumantur, est accipere aliquid alteri immediatum. Immediata autem cum sint priora, oportet esse indemonstrabilia. Et ita patet quod necesse est aliquorum scientiam haberi sine demonstratione. Si ergo quaeratur, quomodo immediatorum habeatur scientia, respondet quod non solum eorum est scientia, immo eorum cognitio est principium quoddam totius scientiae. Nam ex cognitione principiorum derivatur cognitio conclusionum, quarum proprie est scientia. Ipsa autem principia immediata non per aliquod medium extrinsecum cognoscuntur, sed per cognitionem propriorum terminorum. Scito enim, quid est totum et quid est pars, cognoscitur quod omne totum est maius sua parte, quia in talibus propositionibus, ut supra dictum est, praedicatum est de ratione subiecti» (Φαμὲν οὔτε πᾶσαν ἐπιστήμην ἀποδεικτικὴν εἶναι, ἀλλὰ τήν τῶν ἀμέσων ἀναπόδεικτον ... καὶ ἀρχὴν ἐπιστήμης εἶναι τινά φαμεν, ᾗ τοὺς ὅρους γνωρίζομεν: Anal. post. I 3, 72 b 18. *S. Thom.* lect. 7 n. 7 sq.; cf. In Met. IV lect. 6 n. 599 sqq.).

Ad 220. *S. Thomas*: «Prima autem principia speculabilium nobis naturaliter indita, non pertinent ad aliquam specialem potentiam; sed ad quendam specialem habitum, qui dicitur intellectus principiorum, ut patet in VI Eth. [c. 6]. Unde et principia operabilium nobis naturaliter indita, non pertinent ad specialem potentiam; sed ad specialem habitum naturalem, quem dicimus synderesim» (S. th. I 79, 12). Λείπεται νοῦν εἶναι τῶν ἀρχῶν (Eth. Nic. VI 6, 1141 a 7). Ad quem locum *S. Thomas* (lect. 5 n. 1178 sq.) dicit: «Relinquitur quod horum [indemonstrabilium] principiorum sit intellectus. Accipitur autem hic intellectus non pro ipsa intellectiva potentia, sed pro habitu quodam quo homo ex virtute luminis intellectus agentis naturaliter co-

gnoscit principia indemonstrabilia.» Cf. S. th. I-II 51, 1; In Anal. post. II 19 lect. 20 n. 3 sqq.

A d 221. «Quia igitur universalium cognitionem accipimus ex singularibus, [Aristoteles] concludit manifestum esse quod necesse est prima universalia principia cognoscere per inductionem [1]. Sic enim, scil. per viam inductionis, sensus facit universale intus in anima, in quantum considerantur omnia singularia» (Δῆλον δὴ ὅτι ἡμῖν τὰ πρῶτα ἐπαγωγῇ γνωρίζειν ἀναγκαῖον· καὶ γὰρ καὶ αἴσθησις οὕτω τὸ καθόλου ἐμποιεῖ... ἐπιστήμη δ' ἅπασα μετὰ λόγου ἐστί, τῶν ἀρχῶν ἐπιστήμη μὲν οὐκ ἂν εἴη, ἐπεὶ δ' οὐδὲν ἀληθέστερον ἐνδέχεται εἶναι ἐπιστήμης ἢ νοῦν, νοῦς ἂν εἴη τῶν ἀρχῶν: Anal. post. II 19, 100 b 3 10. *S. Thom.* lect. 20 n. 14 sq.; cf. ib. lect. 12 n. 2). «Ratiocinatio humana secundum viam acquisitionis vel inventionis procedit a quibusdam simpliciter intellectis, quae sunt prima principia. Et rursus via iudicii resolvendo redit ad prima principia, ad quae inventa examinat» (Ver. 15, 1).

Quaestio IV: *De effectu demonstrationis seu de scientia.*

§ 1. De scientia in genere

223. Quid sit scientia. Scientia est cognitio certa per causas. Haec potest esse per causas, ex quibus aliquid infallibiliter procedit ita, ut exinde necessario deduci possit; in quo consistit scientia in sensu strictiore. Sed est etiam cognitio per causas, ex quibus aliquid reapse procedit, ita tamen, ut etiam aliter esse posset: historia generis humani. Haec est scientia in sensu minus stricto, quae certitudinem suam non ex causis haurit, sed ex factis cognitione sensili cognitis et ad posteros transmissis. Non est tamen mera factorum enumeratio, sed facta explicare nititur causaliter ex conexione eorum ad invicem. Quae vero est scientia in sensu strictiore, certitudinem suam ex ipsis causis haurit. Scita infallibiliter ex causis suis deducit per demonstrationem, aut etiam immediate sine demonstratione per simplicem apprehensionem perfectam effectum in causa sua cognoscit. Illa est scientia imperfecta, scientia rationalis humana; haec est scientia perfecta Dei et angelorum.

Scientia rationalis potest sumi pro a c t u tamquam actualis cognitio per demonstrationem ex causis; et potest sumi pro habitu et pro systemate. Scientia sumpta pro h a b i t u definitur: habitus per demonstrationem acquisitus et ad demonstrationem inclinans. Est igitur habitus scientiae qualitas superaddita intellectui, in virtute cuius disponitur ad discurrendum in aliqua materia scientifica. Hic habitus prima demonstratione acquiritur, sed imperfecte et per modum dispositionis, quae demonstrationibus subsequentibus perficitur et roboratur (cf. n. 86, 2). Sicut actus scientiae, ita etiam habitus est simplex

[1] Inductio hic sumitur non pro ratiocinio inductivo, sed pro simplici abstractione (cf. n. 75).

qualitas, quae novis demonstrationibus ad alia obiecta extenditur (cf. n. 395—398).

Scientia sumpta pro systemate est artefactum logicum et aliquid complexi, quod consistit in ordinatione conceptuum, qua constituuntur definitiones, divisiones, argumentationes circa aliquam materiam scientificam. Haec ordinatio permanenter invenitur in mente et in scriptura : in mente habitualiter tamquam ordinatio specierum, in scriptura (in libro tractante scientiam) tamquam in signo.

224. Quotuplex sit scientia. Scientia latissime sumpta dividitur: *a)* divisione analoga in scientiam in sensu strictiore, quae est per causas, ex quibus aliquid infallibiliter procedit ; et scientiam in sensu minus stricto, quae est historia generis humani. Scientia in sensu strictiore sumpta tamquam cognitio per causas, ex quibus certitudinaliter aliquid deducitur, subdividitur (divisione etiam analoga) in scientiam speculativam et scientiam practicam. Scientia speculativa est scientia proprie dicta, scientia practica est scientia improprie dicta, quae est ars (stricte) et prudentia (cf. n. 227). Sola scientia speculativa est scientia proprie dicta, quia scientia essentialiter cognitionem intellectus significat, quae versatur circa universalia et necessaria. Ideo scientia practica, quae extenditur ad opus singulare contingens alterius facultatis, deficit a scientia proprie dicta. Est tamen scientia magis stricte quam historia, quia in scientia practica adhuc salvatur cognitio per causas, ex quibus aliquid certitudinaliter cognoscitur. *b)* Essentialiter tum scientia speculativa tum practica dividitur ratione obiecti formalis ; nam sicut omnis habitus, ita etiam scientiae specificantur et distinguuntur per obiecta sua formalia, ad quae essentialiter ordinantur. De hac divisione agemus thesi seq. *c)* Dividitur accidentaliter ratione subordinationis tum scientia speculativa tum practica in scientiam subalternantem et subalternatam, de qua divisione agemus paragrapho sequenti. *d)* Dividitur scientia speculativa, ratione perfectionis et imperfectionis, in scientiam propter quid et scientiam quia, quatenus est cognitio per causam propriam in essendo aut non est per causam propriam in essendo, sed per causam remotam aut per effectum aut a simultaneo (cf. n. 211). Haec divisio est in perfectum et imperfectum, quod reductive pertinet ad speciem perfecti (cf. n. 173). Est enim scientia « quia » scientia initialis seu cognitio rei imperfecta, cum non attingat « propter quid » rei, sed « an est » tantum seu factum. Hic notetur differentia divisionis demonstrationis et scientiae in « quia » et « propter quid ». Demonstratio simpliciter tamquam univocum dividitur ita, quia ratio demonstrationis eodem modo seu univoce convenit demonstrationi quia et propter quid, scientia vero non dividitur tamquam univocum in scientiam quia et propter quid ; scientia enim abstrahit a demonstratione, et

ratio cognitionis per causam diversimode seu aequivoce convenit scientiae quia et propter quid, ita tamen ut altera reducatur ad alteram.

225. Scientia propter quid. Scientia propter quid est scientia propriissime sumpta et scientia simpliciter perfecta. Ex dictis de demonstratione propter quid haec statuenda sunt circa scientiam propter quid : *a)* Scientia propter quid ex essentia sui subiecti proprietates eius necessarias probat. Essentia enim est causa propria proprietatum. Ita Metaphysica ex essentia entis proprietates communes entis deducit ; ex essentia entis creati deducit proprietates entis creati, ex essentia entis increati proprietates entis increati. Similiter Philosophia naturalis ex essentia entis mobilis (corporis) sufficienter manifestata huius essentiae proprietates declarare nititur. *b)* Medium demonstrationis scientiae propter quid est definitio subiecti. *c)* Principium primum proprium scientiae propter quid est propositio, quae definitionem subiecti praedicat de subiecto. In ea enim virtualiter et in confuso continentur omnes conclusiones ; nam essentia subiecti est prima radix seu causa omnium proprietatum. Hoc tamen non ita intelligendum est, quasi nullis intervenientibus aliis definitionibus ex generica subiecti definitione omnes huius scientiae conclusiones immediate deduci possent. Sed ex generica definitione genericae proprietates deducuntur. Postea ex hac definitione etiam subiecti divisio deducitur. Ita determinantur definitiones specierum sub subiecto contentarum, et mediantibus his definitionibus principia formulantur specialia, ex quibus conclusiones deducuntur. Ita Metaphysica generalis ex ente qua tali proprietates entis deducit. Sed deducit etiam divisionem entis in ens creatum et increatum, et tamquam Metaphysica specialis demonstrat proprietates entis creati et increati.

226. De singularibus non est scientia. Effatum hoc commune scholasticorum, quod enuntiatur de scientia proprie dicta seu speculativa, non de scientia practica, intelligatur *a)* de singulari materiali, de substantia corporea, non de singulari immateriali seu de substantia spirituali, in qua quidditas et individuum non differunt, cum in eis individuatio nihil superaddat quidditati ; *b)* de singulari tamquam de subiecto, cuius proprietates essent sciendae ex essentia subiecti ; *c)* de singulari reduplicative, ut singulare est, ita ut scientia formaliter sit de universalibus, de singularibus autem non sit, nisi inquantum in ipsis insunt universalia ; ita de triangulo est scientia seu cognitio certa per causam, eius angulos aequivalere duobus rectis, ideo etiam de hac figura singulari cognosco eius angulos aequivalere duobus rectis per causam, quia est triangulum.

Effatum ita intellectum probatur *a)* ex eo quod non sunt proprietates seu attributa, quae necessario convenirent individuo materiali, ut individuum est ; quidquid enim convenit individuo ut individuo,

contingenter convenit; *b)* quia quidditas singularis nos latet nec cognoscimus individua nisi ex accidentium aggregatione, ex notis individuantibus, quae individuo contingenter conveniunt. Versatur tamen divina scientia, quae est simul speculativa et practica (cf. n. 101; 872, 1), circa singularia et ea quae ipsis contingenter conveniunt, quia Deus per essentiam suam tamquam per causam primam indefectibilem haec omnia certitudinaliter cognoscit.

227. Scientia practica. Scientia essentialiter speculativa est. Scientiae autem practicae, ars et prudentia, dicuntur scientiae analogice. Recta enim ratio factibilium et agibilium est cognitio certa per causas (« recta ratio »), quae extenditur ad praxim, i. e. ad opus distinctum a cognitione. Arte enim et prudentia scit intellectus facere et agere, i. e. habet cognitionem certam per causas circa agibilia et factibilia, cum scientia proprie dicta, i. e. speculativa, sciat simpliciter.

Ars est cognitio per causas, quia deducit conclusiones practicas ex regulis universalibus et necessariis, quae habentur ex consideratione finis seu operis ad quod ordinatur ars. Ars est cognitio per causas certa, quia, etsi conclusiones versantur circa singulare concretum efficiendum, tamen sunt practice certae, i. e. indicant modum agendi necessario ac proinde etiam certo rectum, etsi id quod efficitur, non est necessarium, sed contingens (cf. n. 93; 103). Probe distinguatur ars mechanica ab habitu entitativo, a speciali illa flexibilitate musculorum, quae comitatur artem mechanicam. Etiam ars mechanica essentialiter est habitus operativus intellectivus: Intellectus scit imperare artificiosum membrorum motum; ita arte pulsandi organum intellectus scit imperare artificiosam digitorum motionem.

Prudentia est cognitio certa per causas. Supposita scientia morali eiusque applicatione ad casum particularem per conscientiam, prudentia cum certitudine exsecutionem dirigit, prout exigit finis, datis circumstantiis concretis (cf. n. 103).

Bibliographia ad 223—227: *H. Meyer*, Die Wissenschaftslehre des Thomas von Aquin, PhJ 47 (1934) 171—206; 308—345; 441—486; 48 (1935) 12—40; 289—312.

Ad 223. *Aristoteles* « cum dicit: Cum causam arbitramur etc., ponit definitionem ipsius scire simpliciter. Circa quod considerandum est quod scire aliquid est perfecte cognoscere ipsum, hoc autem est perfecte apprehendere veritatem ipsius; eadem enim sunt principia esse rei et veritatis ipsius . . . Oportet igitur scientem, si est perfecte cognoscens, quod cognoscat causam rei scitae. Si autem cognosceret causam tantum, nondum cognosceret effectum in actu, quod est scire simpliciter, sed virtute tantum, quod est scire secundum quid et quasi per accidens. Et ideo oportet scientem simpliciter cognoscere etiam applicationem causae ad effectum. Quia vero scientia est etiam certa cognitio rei, quod autem contingit aliter se habere, non potest aliquis per certitudinem cognoscere, ideo ulterius oportet quod, id quod scitur,

non possit aliter se habere. Quia ergo scientia est perfecta cognitio, ideo dicit: Cum causam arbitramur cognoscere; quia vero est actualis cognitio per quam scimus simpliciter, addit: et quoniam illius est causa; quia vero est certa cognitio, subdit: et non est contingere aliter se habere» (Ἐπίστασθαι δὲ οἰόμεθ' ἕκαστον ... ὅταν τήν τ' αἰτίαν οἰώμεθα γιγνώσκειν δι' ἣν τὸ πρᾶγμά ἐστιν, ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐστί, καὶ μὴ ἐνδέχεσθαι τοῦτ' ἄλλως ἔχειν: Anal. post. I 2, 71 b 9. *S. Thom.* lect. 4 n. 5; cf. Eth. VI 6, 1140 b 31; S. Thom. lect. 5 n. 1175 sqq.).

A d 224. Cf. text. cit. ad 211 et In Anal. post. II lect. 1.

A d 226. Scientiam non esse de rebus sensibilibus Aristoteles ostendit Anal. post. I 31. Cf. S. Thom. lect. 42 44.

A d 227. *S. Thomas:* In De an. III lect. 15 n. 820 sqq.; In Met. II lect. 2 n. 290 sq.; In Eth. VI lect. 2 n. 1129 sqq.; Ver. 3, 3; S. th. I 14, 16; 79, 11; I-II 57, 3 4 5. Ib. ad 3: « Verum intellectus practici [infallibiliter] accipitur per conformitatem ad appetitum rectum. » Cf. text. ad 92 101.

§ 2. De subalternatione scientiarum

228. Quotuplex sit scientiarum subalternatio. Scientiarum subalternatio triplex esse potest: ratione finis, ratione subiecti, ratione principiorum.

Subalternatio ratione finis in scientiis practicis, in artibus contingit, quatenus finis unius subicitur fini alterius; ita organi construendi ratio subalternatur Musicae.

Subalternatio ratione subiecti habetur, cum subiectum unius sub subiecto alterius continetur, quod duplici modo fieri potest: 1. ita ut subiectum scientiae subalternatae resultet ex additione differentiae essentialis et specificae ad subiectum scientiae subalternantis, quomodo subiectum scientiae de animali resultat ex additione viventis sensitivi ad corpus physicum, unde scientia de animali est subalternata Physicae. Scientia hoc modo subalternata non pendet a subalternante ratione principiorum, habet enim mediante definitione subiecti sui principium per se notum, unde deducat proprias subiecti sui passiones, neque est scientia distincta a subalternante, sed pars eius, ut ex exemplo allato patet; nam eadem scientia, quae agit de genere, agit etiam de eius speciebus. 2. Subiectum unius potest contineri sub subiecto alterius ita, ut subiectum scientiae subalternatae resultet ex additione differentiae accidentalis ad subiectum scientiae subalternantis, quomodo subiectum Musicae[1] ex additione sonori ad numerum, subiectum Perspectivae ex additione visualis ad lineam, quibus fit, ut Musica sit subalternata Arithmeticae, Perspectiva Geometriae.

Quodsi hoc ultimum contingit, habetur etiam subalternatio ratione principiorum; nam scientia alteri subalternata ratione subiecti ita, ut subiectum eius resultet ex additione

[1] Quod dicitur, non intelligatur de arte, sed de scientia musicali, quae versatur circa numerorum proportiones in sonis.

differentiae mere accidentalis ad subiectum subalternantis, caret suis principiis per se notis, ac proinde pendet a subalternante ratione principiorum. Subiectum enim ita exortum est aggregatum accidentale, licet scientia subalternata non agat de eo, ut est aggregatum seu ens per accidens, sed agit per se de differentia accidentali, prout tamen conotat subiectum scientiae subalternantis. Quae cum ita sint, non potest probare proprias passiones sui subiecti nisi recurrendo ad conclusiones scientiae subalternantis. Atque haec subalternatio est propria, in ratione ipsius scientiae et cognitionis, cum ceterae impropriae tantum sint. Nota tamen non omnem differentiam accidentalem additam constituere novam scientiam subalternatam, sed eam tantum, vi cuius sub lumine scientiae subalternantis nova oritur scibilitas.

Subalternatio ratione principiorum subdividitur in propriam et impropriam, simpliciter et secundum quid. Subalternatio propria et simpliciter est ea, quam hucusque descripsimus. Subalternatio ratione principiorum impropria (sed simpliciter) ea est, qua scientiae omnes, quae sub naturali rationis lumine procedunt, Metaphysicae subalternantur, quatenus omnium subiecta tamquam quasi-species sub Metaphysicae subiecto continentur, quo non desinunt esse scientiae distinctae inter se et a Metaphysica propter diversum abstractionis modum et diversum obiectum formale. Ex hac tamen subalternatione resultat principia omnia per se nota ceterarum scientiarum esse contractiones principiorum Metaphysicae, sicut subiecta sunt contractiones entis, quod est Metaphysicae subiectum. Sic mathematicus principium illud generalissimum, quod spectat ad metaphysicum: Si ab aequalibus aequalia demas, quae remanent, sunt aequalia, coarctat ad suam determinatam materiam: Si ab aequalibus magnitudinibus aequales demas magnitudines, quae supersunt, sunt aequales. Principium sic determinatum est per se notum sicut principium metaphysicum, a quo tamen tamquam ab universaliori dependet et in quod resolvi potest. Ideo Metaphysica explicat et defendit principia aliarum scientiarum deducendo ad impossibile, non tamen directe probando ea, sicut defendit etiam sua ipsius principia et disputat contra negantes ea, tamquam suprema scientia in ordine naturali.

Subalternatio secundum quid obtinet, cum altera scientia alteram in auxilium sibi adsciscit et quaedam principia ab ea mutuatur, quamquam essentialiter independens est ab hac altera et ex suis principiis per se notis probat conclusiones suas. Ita aliae scientiae aliquando utuntur principiis Metaphysicae et Logicae.

229. Scientia subalternata (proprie et simpliciter ratione principiorum), quae continuatur, et ea, quae non continuatur cum subalternante, sintne idem habitus specificus. Respondetur scientiam sub-

alternatam, sive continuatur sive non continuatur cum subalternante, eundem esse habitum specificum specie infima, habere tamen statum imperfectum scientiae ex parte subiecti, cum non continuatur, quia subiectum carens scientia subalternante non potest resolvere conclusiones scientiae subalternatae in principia per se nota mediante scientia subalternante, sed procedit ex principiis inevidentibus et creditis, quae sunt conclusiones subalternantis. Ratio est, quia habitus iste ex natura sua inclinat ad continuationem cum subalternante et ad evidentiam ; ergo cum non continuatur, in statu imperfectionis versatur, cum vero continuatur, non destruitur neque alius habitus generatur, sed habitus imperfectus ad conaturalem perfectionem suam perducitur. Ex quo corollarii instar deducitur scientiam subalternatam etiam sine subalternante vere scientiam esse, sed in statu imperfecto [1].

A d 228. *S. Thomas :* « Aliqua scientia continetur sub alia dupliciter : uno modo ut pars ipsius, quia scil. subiectum eius est aliqua pars subiecti illius, sicut planta est quaedam pars corporis naturalis, unde et scientia de plantis continetur sub naturali scientia ut pars. Alio modo continetur una scientia sub alia ut ei subalternata, quando scil. in superiori scientia assignatur propter quid eorum de quibus scitur in scientia inferiori solum quia ; sic musica continetur sub arithmetica » (In Boëth. de Trin. q. 5 a. 1 ad 5). « Quamvis subiecta aliarum scientiarum sint partes entis, quod est subiectum metaphysicae, non tamen oportet quod aliae scientiae sint partes eius. Accipit unaquaeque scientiarum unam partem entis secundum specialem modum considerandi, alium a modo quo consideratur ens in metaphysica » (l. c. ad 6). « Duplex est scientiarum genus. Quaedam enim sunt quae procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut arithmetica, geometria et huiusmodi ; quaedam vero sunt quae procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiae, sicut perspectiva ex principiis notificatis per geometriam et musica ex principiis per arithmeticam notis » (S. th. I 1, 2).

§ 3. De scientiarum distinctione et specificatione

Thesis 14 : *Scientiarum speculativarum distinctio generica secundum suprema genera sumitur ex diversis modis abstrahendi a materia, specifica vero secundum speciem atomam ex diversis obiectis formalibus eundem modum abstractionis habentibus.*

230. St. qu. 1. Certum est scientias sicut omnes habitus et potentias specificari et distingui ab obiecto formali. Sed difficultas est, quomodo obiectum hoc formale sit determinandum.

---

[1] Ex dictis patet scientiam subalternatam differre a subalternante *a)* ratione status imperfectionis, *b)* ratione differentiae accidentalis superadditae, qua oritur nova scibilitas. At Theologia fidei nostra subalternata Theologiae beatorum ab hac differt tantum ratione status imperfectionis, quia procedit ex articulis fidei tamquam ex principiis creditis et sibi inevidentibus, evidentibus tamen in Theologia beatorum. Quare hic obtinet subalternatio ratione principiorum tantum, non ratione subiecti.

Obiectum scientiae distinguitur materiale et formale. Obiectum materiale est, quidquid a scientia attingitur. Obiectum formale est id, quod formaliter, i. e. per se primo attingitur, et mediante quo obiectum materiale attingitur. In ipso obiecto formali distinguenda est ratio formalis « quae » sive obiectum formale, ut est res (obiectum formale « quod »), quae est illa res, quae per se primo attingitur, et ratio formalis «sub qua» sive obiectum formale, ut est scibile (obiectum formale « quo »), quae est id, quo mediante attingitur ratio formalis « quae ». Obiectum formale « quo » se habet ad intellectum scientem, sicut lux se habet ad visum : sicut lux visui manifestat res, ita obiectum formale « quo » scientiae est lux quaedam obiectiva spiritualis manifestans intellectui scienti obiectum formale « quod ».

Iam patet id, quod maxime diversificat scientias, esse obiectum formale « quo ». Nam diverso obiecto formali « quo » constituitur diversa scibilitas, ergo diversa scientia : ceterum dato alio obiecto formali « quo », datur etiam aliud obiectum formale « quod » ; alia enim lux aliud obiectum manifestat.

Quae cum ita sint, thesis nostra enuntiat rationem formalem « sub qua » ac proinde etiam scientiarum speculativarum distinctionem genericam desumi ex diverso modo abstrahendi a materia seu corporeitate, ita ut diversus modus abstrahendi a materia constituat diversam rationem formalem « sub qua », specificam vero distinctionem secundum speciem atomam provenire ex diversis rationibus formalibus « quae », habentibus eundem abstractionis modum.

Thesis de speculativis tantum scientiis agit. Scientiae enim speculativae tantum sunt scientiae proprie dictae, quae ad aliud non extenduntur, sed pure in ratione scientiae specificantur. Contra scientiae practicae ad opus extenduntur, a quo etiam specificantur.

2. Tres distinguuntur abstractionis modi : abstractio universalis a particulari seu totalis (cf. n. 138), abstractio formae a materia seu formalis (cf. l. c.), abstractio per meram non-explicationem (cf. n. 176, 3). Per abstractionem universalis a particulari relinquitur materia sensibilis individualis ; cum enim ex una parte de singularibus non sit scientia (cf. n. 226), et cum ex altera parte materia individualis sit principium singularitatis (cf. n. 386—389), in scientiis saltem materia individualis relinquenda est, quo a particulari pervenitur ad universale. Retinetur itaque materia sensibilis universalis seu corpus physicum in universali, cum sua essentia et suis proprietatibus (non exclusa quantitate, quae et ipsa est per se sensibilis ; cf. n. 487).

Abstractio formae a materia est abstractio a materia sensibili non solum individuali, sed etiam universali ; retinetur tantum materia intelligibilis non quidem individualis, sed universalis. Materia haec intelligibilis est corpus mathematicum, quantum seu quantitas secundum ea, quae sensibilia non sunt, i. e. relationes quantitativae.

Abstractio autem per meram non-explicationem relinquit omnem materiam seu corporeitatem et retinet tantummodo ens omnino immateriale (cf. S. th. I 85, 1 ad 2).

231. Prob. th. I p. : Scientiarum speculativarum distinctio generica secundum suprema genera sumitur ex diversis modis abstrahendi a materia. Ex eo quod diversis modis abstrahendi a materia oriuntur diversa genera scibilitatis : Ab eo sumitur scientiarum speculativarum distinctio generica, a quo sumitur generica scibilitatis distinctio, ut patet ex st. qu. Atqui generica scibilitatis distinctio sumitur ex diversis modis abstrahendi a materia. Ergo scientiarum speculativarum distinctio generica sumitur ex diversis modis abstrahendi a materia.

Prob. min. Cum scibilitas sit intelligibilitas per causas, eo habetur scibilitas, quo habetur intelligibilitas. Intelligibilitas autem habetur abstractione a materia. In tantum enim aliquid est intelligibile, in quantum est abstractum, et concretum materiale non est intelligibile ab intellectu humano nisi indirecte per reflexionem super cognitionem sensitivam (cf. n. 556—559). Ex diverso proinde genere abstractionis etiam generice diversa oritur scibilitas. Iam vero ex toto seu generice diversa est abstractio, secundum quod id, a quo abstrahitur, in eo, quod abstrahitur, includitur saltem potentialiter (abstractio universalis a particulari), aut ne potentialiter quidem (abstractio formae a materia), aut etiam actu (abstractio per non-explicationem).

Prob. II p. : Specifica scientiarum distinctio secundum speciem atomam sumitur ex diversis obiectis formalibus eundem modum abstractionis habentibus. Ex eo quod « habitus et potentiae penes obiecta distinguuntur » (In Boëth. De Trin. q. 5 a. 1) : Specifica scientiarum distinctio secundum speciem atomam ab eo sumitur, quo etiam scientiae eundem abstractionis modum habentes inter se essentialiter distinguuntur. Atqui etiam scientiae eundem abstractionis modum habentes inter se essentialiter distinguuntur suis diversis obiectis formalibus. Ergo specifica scientiarum distinctio sumitur ex diversis obiectis formalibus eundem modum abstractionis habentibus.

232. Coroll. Ergo tria sunt genera suprema scientiarum : Primum genus versatur circa ens mobile. Abstrahendo enim a materia singulari tantum seu a conditionibus individuantibus considerat corpus, prout sensiliter apparet. Corpus autem sensile est ens mobile, intelligendo motum de motu physico seu sensili. Affectiones enim sensiles corporis non sunt quiescentes, sed motae. Ut experientia docet, mundus corporeus secundum sensilem apparentiam suam est phaenomenon in continuo motu positum secundum locum, secundum quantitatem, secundum qualitates alterabiles. Hoc genus Physicam constituit, quae sub se nullam continet diversitatem specificam, ac

proinde stricte non est genus, sed species atoma. Non enim apparet diversitas in gradu immaterialitatis, ad quam accedi possit, relinquendo materiam singularem tantum. At ratione perfectionis et imperfectionis distinguimus : *a)* Physicam, quae principaliter deductiva est seu scientia «propter quid»; haec est Philosophia naturalis, cuius pars est Psychologia, ad quam pertinet etiam Ethica; *b)* Physicam, quae principaliter inductiva est seu scientia «quia». Physica inductiva duplex est: *α)* Physica experimentalis, ad quam pertinet etiam Psychologia experimentalis[1], *β)* Historia naturalis (Chimica, Mineralogia, Botanica, Zoologia). Physica experimentalis ope observationis et experimenti et inductionis statuit leges physicas. Historia naturalis, quae magis enumerando et describendo procedit, determinat typos specificos in ordine mineralium et plantarum et animalium. Divisio Physicae inductivae in Physicam experimentalem et Historiam naturalem, et huius in Chimicam, Mineralogiam etc., est divisio scientiae totalis «quia» in scientias partiales.

Secundum genus supremum scientiarum versatur circa ens quantum, abstrahendo non tantum a materia singulari, sed etiam a materia sensili. Hoc genus Mathesin constituit, quae duas sub se continet species : Geometriam circa quantitatem continuam et Arithmeticam circa quantitatem discretam seu numerum.

Obiectum Matheseos est quantitas realis, ita tamen secundum quidditatem suam abstracte et inadaequate considerata, ut non dicat ordinem ad esse reale in substantia corporea seu in ente mobili. Cum igitur physicus (philosophus naturalis) consideret quantitatem expresse per ordinem ad ens mobile, tamquam aliquid eius seu tamquam primam proprietatem entis mobilis seu corporis, et metaphysicus quantitatem consideret sub respectu entis tamquam entis ens seu tamquam accidens substantiae, mathematicus quantitatem omnino absolute secundum se considerat, ut est mensurabilis, sine ordine ad esse. Quantitas ita considerata non est quidem ens rationis, sed ens reale, tamen ita abstracte consideratur, ut abstrahat etiam ab esse reali et esse rationis. Recentes mathematici speculationem mathematicam usque ad quantitatem fictam extendunt, quae non est ens reale, sed rationis tantum, ut est quarta dimensio, quae secundum essentiam suam positive excludit ordinem ad esse reale. Ita constituitur Mathesis quaedam specialis, quae vocatur Mathesis transcendentalis et quae a Mathesi reali essentialiter distinguitur neque ad eam pertinet nisi

[1] Psychologia igitur est distinguenda in Psychologiam philosophicam (deductivam) et Psychologiam experimentalem. At Psychologia experimentalis nondum ita divisa est seu segregata a Philosophia sicut reliqua scientia naturalis experimentalis. Pluribus abhinc annis his vehementer agitata est, utrum Psychologia experimentalis pertinent ad Philosophiam necne. Respondendum est non pertinere secundum significationem hodiernam vocis philosophiae.

reductive. Est enim speculatio de quantitate ficta ad analogiam cum quantitate reali.

Tertium genus versatur circa ens omnino immateriale. Hoc genus tres sub se complectitur species atomas: Logicam, Metaphysicam, Theologiam fidei[1]. Relinquendo enim omnem materiam, mens potest se convertere ad ens logicum (ens rationis fundatum in obiectis cognitis) aut ad ens reale aut ad ipsum Deum, prout est in se, sub lumine supernaturali considerandum. Metaphysica, relinquendo omnem materiam, depurgat ens ab omni imperfectione corporeitatis, quae opponitur spiritualitati, non tamen ab omni potentialitate. Hanc enim non includit neque excludit in suo obiecto formali. Hoc proinde obiectum formale est ens immateriale, prout abstrahit a creato et increato. Theologia vero ab obiecto suo formali excludit etiam quamcumque potentialitatem; eius obiectum formale actus purus seu Deus est. Contra Logica abstractione mere negativa relinquit materiam, nihil perfectionis attingendo, sed ens rationis, quod est ens tantummodo secundum quid[2].

233. Schol. Diversa immaterialitas, quae scientiis diversis competit, iam in earum principiis propriis invenitur, ex quibus descendit ad conclusiones. Haec principia definitionibus constituuntur, quibus utitur scientia circa subiectum suum. Iam hae definitiones, secundum determinatum gradum immaterialitatis in definiendo, in determinato gradu intelligibilitatis constituuntur. Quae intelligibilitas tamquam scibilitas ad conclusiones deducitur. Quare principia seu definitiones unius specificae scientiae in gradu immaterialitatis conveniant necesse est; ita Physica semper definit includendo materiam sensilem.

234. Obi. *Contra I p.* 1. Obiectum formale scientiarum speculativarum non est diversa abstractio a materia. Atqui distinctivum et specificativum scientiarum speculativarum est obiectum formale. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Desumitur tamen ab abstractione, *conc.;* non desumitur ab abstractione, *nego. Conc. min.; dist. consq.:* Scientiarum speculativarum distinctivum non est diversa abstractio a materia, a qua desumitur obiectum formale, *nego;* a qua non desumitur, *conc.*

2. Atqui obiectum formale scientiarum speculativarum non determinatur secundum diversam abstractionem a materia. *Probo.* Obiectum formale, quod determinatur secundum diversitatem principiorum, non determinatur secundum diversam abstractionem a materia. Atqui obiectum formale scientiarum speculativarum determinatur secundum diversitatem principiorum. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si diversitas principiorum non provenit a diversa abstractione a materia, *conc.;* si diversitas principiorum provenit a diversa abstractione a materia, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui abstractio a materia non est principium, unde provenit omnis diversitas in scientiis speculativis. *Probo.* Non est principium, unde provenit

---

[1] Probe distinguatur Theologia fidei seu christiana a Theologia philosophica, quae est pars Metaphysicae.

[2] Ad Logicam pertinet etiam Ars critica seu Critica historica, quae, tradendo regulas ad diiudicandum de authentia et integritate documentorum, iudicat de veritate eventuum historicorum.

omnis diversitas in scientiis speculativis, secundum quod non haberetur nisi duplex species scientiarum speculativarum. Atqui abstractio a materia est principium, secundum quod non haberetur nisi duplex species scientiarum speculativarum : scientia materialis et scientia omnino immaterialis. Ergo. *Resp. Conc. mai.; dist. min.:* si intelligitur abstractio a materia prima, *conc.;* si intelligitur abstractio a corporeitate, quae magis vel minus relinquitur, *nego. Dist. consq.*

4. Atqui corporeitas non potest relinqui magis vel minus. *Probo.* Essentia corporis non potest relinqui magis vel minus (stat in indivisibili). Atqui corporeitas est essentia corporis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Essentia metaphysica, *conc.;* essentia physica, *nego. Contradist. min.:* Nomine corporeitatis intelligitur hic essentia metaphysica, *nego;* essentia physica, i. e. extensum esse et id, quod sequitur extensum esse, *conc.*

Contra II p. 1. Si sub eodem gradu immaterialitatis inveniuntur diversae scientiae et in eadem scientia invenitur diversa immaterialitas, generica distinctio scientiarum speculativarum non sumitur ex recessu a materia neque specifica distinctio ex accessu ad determinatum gradum immaterialitatis. Atqui *a)* sub eodem gradu immaterialitatis inveniuntur diversae scientiae : Physica deductiva seu Philosophia naturalis et Physica inductiva, quae etiam ipsa complectitur diversas scientias ; *b)* in eadem scientia invenitur diversa omnino immaterialitas obiectorum, ut in Philosophia naturali, quae agit de corpore et de anima spirituali. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si sub eodem gradu immaterialitatis inveniuntur scientiae specifice distinctae, et in eadem scientia invenitur diversa immaterialitas obiectorum formalium, *conc.;* si inveniuntur tantum scientiae non specifice distinctae, et invenitur diversa immaterialitas obiectorum materialium tantum, *nego. Contradist. min.:* Sub eodem gradu immaterialitatis inveniuntur diversae scientiae specifice distinctae, et in eadem scientia invenitur diversa immaterialitas obiectorum formalium, *nego;* sub eodem gradu immaterialitatis inveniuntur scientiae non specifice distinctae, quarum altera pertinet ad alteram reductive sicut imperfectum ad perfectum (Physica deductiva et inductiva), aut scientiae, quae non sunt nisi partes unius eiusdemque scientiae (diversae scientiae, quas complectitur Physica inductiva), et in eadem scientia invenitur diversa immaterialitas obiectorum materialium, quatenus Philosophia naturalis agit de anima spirituali sub ratione entis mobilis, *conc.*

2. Atqui anima spiritualis non potest considerari sub respectu entis mobilis. *Probo.* Quod non pertinet ad genus entis mobilis, non potest considerari sub respectu entis mobilis. Atqui anima spiritualis non pertinet ad genus entis mobilis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod nullo modo pertinet ad genus entis mobilis, *conc.;* quod non pertinet simpliciter ad genus entis mobilis, pertinet tamen reductive, *nego. Contradist. min.* Anima spiritualis, tamquam substantia incompleta, non pertinet ad aliquod genus nisi reductive, et ita pertinet ad genus corporis : est enim forma corporis.

Bibliographia ad 230—233: *G. Calà Ulloa,* Il problema dell'astrazione, RFNS 34 (1942) 75—94. *T. Greenwoud,* La nature des mathématiques selon Aristote, RUO 1953, 216—228. *A. D. Sertillanges,* La science et les sciences spéculatives d'après S. Thomas d'Aquin, RSPhTh 10 (1921) 5—20. *M. Thiel,* De abstractione, Studia Anselmiana 7—8, Romae 1938, 99—119.

Ad 231. *Aristoteles* in Anal. post. I 28 de diversitate scientiarum agit. « Dicit ergo primo quod scientia dicitur una ex hoc, quod est unius generis subiecti [Μία δ' ἐπιστήμη ἐστὶν ἡ ἑνὸς γένους: 87 a 38]. Cuius ratio est, quia processus scientiae cuiuslibet est quasi quidam motus rationis. Cuiuslibet autem motus unitas ex termino principaliter consideratur . . . et ideo oportet quod unitas scientiae consideretur ex fine sive ex termino scientiae. Est autem cuius-

libet scientiae finis sive terminus genus, circa quod est scientia : quia in speculativis scientiis nihil aliud quaeritur quam cognitio generis subiecti, in practicis autem scientiis intenditur quasi finis constructio ipsius subiecti . . . Rationem diversitatis scientiarum non accipit ex diversitate subiecti, sed ex diversitate principiorum. Dicit enim quod una scientia est altera ab alia, quarum principia sunt diversa; ita quod nec ambarum scientiarum principia procedant ex aliquibus principiis prioribus, nec principia unius scientiae procedant ex principiis alterius, quia sive procederent ex eisdem principiis sive alia ex aliis, non esset diversa scientia. Ad huius ergo evidentiam sciendum est, quod materialis diversitas obiecti non diversificat habitum, sed solum formalis. Cum ergo scibile sit proprium obiectum scientiae, non diversificabuntur scientiae secundum diversitatem materialem scibilium, sed secundum diversitatem eorum formalem. Sicut autem formalis ratio visibilis sumitur ex lumine, per quod color videtur, ita formalis ratio scibilis accipitur secundum principia, ex quibus aliquid scitur. Et ideo quantumcumque sint aliqua diversa scibilia secundum suam naturam, dummodo per eadem principia sciantur, pertinent ad unam scientiam, quia non erunt iam diversa inquantum sunt scibilia» (*S. Thom.* l. c. lect. 41 n. 7 10 sq.). *S. Thomas :* « Sciendum tamen, quod quando habitus vel potentiae penes obiecta distinguuntur, non distinguuntur penes quaslibet differentias obiectorum, sed penes illas quae sunt per se obiectorum, inquantum sunt obiecta. Esse enim animal vel plantam accidit sensibili, inquantum est sensibile; et ideo penes hoc non sumitur differentia sensuum, sed magis secundum differentiam coloris et soni. Et ideo oportet scientias speculativas dividi per differentias speculabilium, inquantum sunt speculabilia. Speculabili autem, secundum quod est obiectum speculativae potentiae, aliquid competit ex parte potentiae intellectivae et aliquid ex parte habitus scientiae, quo intellectus perficitur. Ex parte quippe intellectus competit ei, quod sit immateriale, quia et ipse intellectus est immaterialis ; ex parte vero scientiae competit ei, quod sit necessarium, quia scientia de necessariis est, ut probatur I Posteriorum. Omne autem necessarium, inquantum huiusmodi, est immobile, quia omne quod movetur, inquantum huiusmodi possibile est esse et non esse, vel simpliciter vel secundum quid, ut videtur X Metaph. Sic igitur speculabili, quod est obiectum speculativae scientiae, per se competit separatio et a materia et a motu vel applicatio ad ea, et ideo secundum ordinem remotionis et a materia et a motu scientiae speculativae distinguuntur. Quaedam igitur sunt speculabilium, quae dependent a materia secundum esse, quia nonnisi in materia esse possunt ; et haec distinguuntur, quia dependent quaedam a materia secundum esse et intellectum, sicut illa in quorum definitione ponitur materia sensibilis, unde sine materia sensibili intelligi non possunt, ut in definitione hominis oportet accipere carnem et ossa : et de his est Physica sive scientia naturalis. Quaedam vero sunt quae, quamvis dependeant a materia secundum esse, non tamen secundum intellectum, quia in eorum definitionibus non ponitur materia sensibilis, ut linea et numerus : et de his est Mathematica. Quaedam vero sunt speculabilia, quae non dependent a materia secundum esse, quia sine materia esse possunt, sive numquam sint in materia, ut Deus et angelus, sive in quibusdam sint in materia et in quibusdam non, ut substantia, qualitas, potentia et actus, unum et multa et huiusmodi : de quibus omnibus est Theologia, idest divina scientia, quia praecipuum cognitorum in ea est Deus. Alio nomine dicitur Metaphysica, idest transphysica, quia post Physicam discenda occurrit nobis, quibus ex sensibilibus competit in insensibilia devenire » (In Boëth. de Trin. q. 5 a. 1).

Ad 232. *Aristoteles* in Met. VI 1 divisionem scientiarum speculativarum in tres species assignat : Τρεῖς ἂν εἶεν φιλοσοφίαι θεωρητικαί, μαθηματική, φυσική, θεολογική : 1026 a 18. Cf. S. Thom. lect. 1 n. 1166 ; In Phys. I lect. 1 (cit. ad 235).

PHILOSOPHIA NATURALIS

PROLEGOMENA

235. Quid sit Philosophia naturalis. Philosophia naturalis definitur: scientia perfecta (propter quid) entis mobilis (cf. n. 232). Quia ens mobile est corpus naturale[1] — nam solum corpus naturale est mobile motu physico seu sensili —, corpus naturale est Philosophiae naturalis obiectum materiale; obiectum autem formale «quod» est ens mobile seu mobile ut sic. Totum enim ordinem corporeum sub ratione mobilitatis sensilis considerat Philosophia naturalis. Ideo non obstante tanta varietate specierum corporearum, una tantum scientia est propter unitatem obiecti formalis «quod». Obiectum formale «quo» Philosophiae naturalis est infimus ille abstractionis modus, quo abstrahit a materia individua tantum.

Scientia «propter quid» circa ens mobile est scientia de proprietatibus entis mobilis per causam propriam et proximam uniuscuiusque proprietatis. Ita unam proprietatem ex altera deducit, sed ultimo omnia ex ipsa essentia entis mobilis demonstrat; ita est scientia perfecta per causas proprias et proximas et per causam ultimam in ordine entis mobilis. Sed haec scientia ita perfecta per causas in essendo non est possibilis, nisi postquam ex experientia per inductionem et per demonstrationem «quia» ex effectibus iam aliquo modo, etsi imperfecte, nota est essentia entis mobilis. Perfecta autem cognitio huius essentiae est finis ipsius Philosophiae naturalis, quatenus per eam nota fit essentia cum omnibus proprietatibus suis, prout inter se et ab essentia dependent, ita ut ordo in cognoscendo accurate respondeat ordini in essendo. Quare initio Philosophiae naturalis generalis ex proprietatibus entis mobilis imperfecte cognitis nitimur huius entis essentiam cognoscere, etsi imperfecte tantum. Quam cognitionem imperfectam eo iam perficimus, quod accuratius scrutamur intrinseca constitutiva entis mobilis. Tunc ex essentia eius, iam perfectius cognita, etiam huius entis proprietates perfectius cognoscere nitimur secundum ordinem, quo inter se et cum essentia conectuntur. Quo ipso ipsius essentiae cognitionem ultimo perfectam acquirimus.

---

[1] Corpus naturale distinguitur contra corpus mathematicum (trinam dimensionem), quod est obiectum Mathesecos.

A recentibus multis Philosophia naturalis vocatur Cosmologia seu scientia de mundo; mundi autem nomine universitatem rerum corporearum, i. e. mobilium motu physico seu sensili, intelligunt. Psychologiam tractant tamquam specialem scientiam.

236. Philosophiae naturalis habitudo ad scientias physicas experimentales. Hae scientiae (Physica experimentalis, Chimica, Mineralogia, Botanica, Zoologia) scientiam « quia » constituunt de ente mobili, cum Philosophia naturalis sit scientia « propter quid ». Ideo scientiae experimentales naturaliter sunt ordinatae ad Philosophiam naturalem tamquam initium et praeparatio eius. Quamquam enim Philosophia naturalis potius est deductiva, tamen etiam ipsa ab experientia incipiat necesse est. Veteres non separabant scientias experimentales a Philosophia naturali, sed omnes has scientias per modum unius tradebant sub titulo « Physicae » seu « Philosophiae naturalis ». Recentiore vero tempore, cum hae scientiae experimentales magnum incrementum acceperint, a Philosophia separantur, atque sub nomine Philosophiae naturalis non solet tradi nisi ea pars scientiae de ente mobili, quae potius deductiva est. Et in scientiis experimentalibus loco experientiae vulgaris, qua quasi sponte et sine arte observamus, invaluit experientia scientifica, qua data opera et arte observamus instrumentorum ope (ut ope microscopii) et ope experimenti[1]. Recentes scientiae experimentales multum conferunt Philosophiae naturali, inquantum accuratiorem, scientificam experientiam subministrant, quae vulgarem antecellit. Insuper scientifica experientia amplior est et ad plura se extendit, in quibus vulgaris deficit. Quare ex ea etiam Philosophia incrementum accipit.

237. Philosophiae naturalis divisio. Philosophiam naturalem dividimus in Philosophiam naturalem generalem et specialem. Philosophia naturalis generalis agit de ente mobili in communi, quae traditur ab Aristotele in octo libris Physicae auscultationis. Philosophia naturalis specialis agit de ente mobili in speciali. Haec dividitur in tres partes iuxta tres species motus. Cum enim motus sit triplex: localis, alterationis, augmentationis, prima pars Philosophiae naturalis specialis agit de ente mobili, inquantum est mobile motu locali. Hanc tradit Aristoteles in libris De caelo et De mundo, quia est de toto universo corporeo, inquantum eius partes per motum localem ordinantur ad invicem. Altera pars agit de ente mobili, inquantum est mobile motu alterationis terminante ad generationem et corruptionem, quam tradit Aristoteles in libris De generatione et corruptione. Tertia pars agit de ente mobili,

---

[1] Experimentum in eo consistit, quod conditiones ad observationem aliquam data opera et arte producuntur.

inquantum est mobile motu augmentationis, seu de ente mobili vivente ; solis enim viventibus motus augmenti proprie dicti convenit. Hanc partem Aristoteles tradit in libris De anima. Corpora enim viventia a non viventibus, a mineralibus, eo differunt primo, quod sunt animata seu praedita anima tamquam substantiali constitutivo eorum. Haec pars a recentibus Psychologia intitulatur.

Bibliographia ad 235—237 : *E. Barbado*, De habitudine Psychologiae rationalis ad experimentalem, Acta primi Congressus thomistici internationalis, Romae 1925, 93—102. *M. Fatta*, Cosmologia e scienze, RFNS 25 (1933) 91—96. *J. Gredt*, Qua ratione in docenda philosophia disciplinis subsidiariis utendum, Acta hebd. thomisticae, Romae 1924, 261—277. *R. Hain*, Metaphysica, Philosophia naturalis, Scientiae naturales, RUO section spéciale 2 (1933) 258*—273*. *P. Hoenen*, De valore theoriarum physicarum, Acta primi Congressus thomistici internationalis, Romae 1925, 61—74. *B. Jansen*, Naturphilosophie und Naturwissenschaften, PhJ 45 (1932) 261—289. Journées d'Études de la Société thomiste III, Philosophie et Sciences, Juvisy 1935. *J. Lemaire*, L'objet de la Cosmologie, RNSPh 19 (1912) 536—546. *G. M. Manser*, Die Naturphilosophie des Aquinaten und die alte und moderne Physik, DThFrib 16 (1938) 3—14. *J. Maritain*, Philosophie de la nature et sciences expérimentales, Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aq. 1 (1934) 77—93. *Id.*, Science et Philosophie, Acta secundi Congressus thomistici internationalis, Taurini—Romae 1937, 250—271. *Id.*, La Philosophie de la nature. Essai critique sur ses frontières et son objet, Paris s. a. *A. Michotte*, Phychologie et Philosophie, RNSPh 39 (1936) 208—228. *D. Nys*, Philosophie et Sciences dans l'étude du monde inorganique, RNSPh 1 (1894) 163—171 ; 197—213. *F. Renoirte*, Physique et Philosophie, RNSPh 39 (1936) 51—63. *F. J. Sheen*, Philosophy and Science, NSch 7 (1933) 109—133. *Y. Simon*, La science moderne de la nature et la philosophie, RNSPh 39 (1936) 64—77. *R. Valcanover*, La nuova fisica, Ant 14 (1939) 393—408. *S. Vanni-Rovighi*, Principi scientifici e principi filosofici, RFNS 28 (1936) 531—534. *H. Weyl*, Philosophie der Mathematik und Naturwissenschaft, Handbuch der Philosophie 2, München-Berlin 1927.

Ad 235 sqq. *S. Thomas* : « Quia liber Physicorum, cuius expositioni intendimus, est primus liber scientiae naturalis, in eius principio oportet assignare, quid sit materia et subiectum scientiae naturalis. Sciendum est igitur quod, cum omnis scientia sit in intellectu, per hoc autem aliquid fit intelligibile in actu, quod aliqualiter abstrahitur a materia ; secundum quod aliqua diversimode se habent ad materiam, ad diversas scientias pertinent. Rursus cum omnis scientia per demonstrationem habeatur, demonstrationis autem medium sit definitio, necesse est secundum diversum definitionis modum scientias diversificari. Sciendum est igitur quod quaedam sunt quorum esse dependet a materia, nec sine materia definiri possunt ; quaedam vero sunt, quae licet esse non possint nisi in materia sensibili, in eorum tamen definitione materia sensibilis non cadit. Et haec differunt ad invicem sicut curvum et simum. Nam simum est in materia sensibili, et necesse est quod in eius definitione cadat materia sensibilis, est enim simum nasus curvus ; et talia sunt omnia naturalia, ut homo,

lapis ; curvum vero, licet esse non possit nisi in materia sensibili, tamen in eius definitione materia sensibilis non cadit ; et talia sunt omnia mathematica, ut numeri, magnitudines et figurae. Quaedam vero sunt quae non dependent a materia nec secundum esse nec secundum rationem, vel quia numquam sunt in materia, ut Deus et aliae substantiae separatae, vel quia non universaliter sunt in materia, ut substantia, potentia et actus, et ipsum ens. De huiusmodi igitur est Metaphysica ; de his vero quae dependent a materia sensibili secundum esse sed non secundum rationem, est Mathematica ; de his vero quae dependent a materia non solum secundum esse sed etiam secundum rationem, est Naturalis, quae Physica dicitur. Et quia omne quod habet materiam mobile est, consequens est quod ens mobile sit subiectum naturalis philosophiae. Naturalis enim philosophia de naturalibus est ; naturalia autem sunt quorum principium est natura ; natura autem est principium motus et quietis in eo in quo est ; de his igitur, quae habent in se principium motus, est scientia naturalis. Sed quia ea, quae consequuntur aliquod commune, prius et seorsum determinanda sunt, ne oporteat ea multoties pertractando omnes partes illius communis repetere, necessarium fuit quod praemitteretur in scientia naturali unus liber, in quo tractaretur de iis quae consequuntur ens mobile in communi ; sicut omnibus scientiis praemittitur philosophia prima, in qua determinatur de iis quae sunt communia enti, inquantum est ens. Hic autem est liber Physicorum, qui etiam dicitur De physico sive naturali auditu, quia per modum doctrinae ad audientes traditus fuit, cuius subiectum est ens mobile simpliciter. Non dico autem corpus mobile, quia omne mobile esse corpus probatur in isto libro ; nulla autem scientia probat suum subiectum, et ideo statim in principio libri De caelo, qui sequitur ad istum, incipitur a notificatione corporis. Sequuntur autem ad hunc librum alii libri scientiae naturalis, in quibus tractatur de speciebus mobilium, puta in libro De caelo de mobili secundum motum localem, qui est prima species motus, in libro autem De generatione, de motu ad formam et primis mobilibus, scil. elementis, quantum ad transmutationes eorum in communi ; quantum vero ad speciales eorum transmutationes, in libro Meteororum ; de mobilibus vero mixtis inanimatis, in libro De mineralibus ; de animatis vero, in libro De anima et consequentibus ad ipsum » (In Phys. I lect. 1 n. 1—4). De divisione Philosophiae naturalis specialis secundum tres species motus cf. *S. Thom.*, De gen. et corr., Prooemium.

A. PHILOSOPHIA NATURALIS GENERALIS

Caput I

QUID SIT ENS MOBILE

Quaestio I : *Sitne ens mobile unum tantum an multiplex, seu de distinctione entis mobilis.*

Thesis 1 : *In mundo physico multiplex est distinctio substantiarum tum numerica tum generica et specifica.*

238. St. qu. 1. Mundi physici nomine intelligimus id, quod obiectum constituit Philosophiae naturalis, totum ens mobile seu illud phaenomenon extensum, sensilibus qualitatibus praeditum, quod est subiectum physicae transmutationis seu processus mundani, et dicimus hunc mundum physicum pluribus constitui substantiis tum numerice tum generice et specifice inter se distinctis.

2. Thesis est contra monismum. Monismus enim differentias tollit, quae inter diversas res intercedunt, docendo omnia esse unum.

Monismus potest considerari : 1. metaphysice, *a)* quatenus negat distinctionem inter Deum et mundum — pantheismus, *b)* quatenus negat distinctionem inter subiectum cognoscens et obiectum cognitum — idealismus ; 2. physice, quatenus negat distinctionem inter substantias mundanas. Haec thesis monismum spectat physice. Thesis I pars contra hylozoismum speciatim dirigitur, qui, negata distinctione numerica substantiarum physicarum, affirmat mundum esse organismum proprie dictum. Ita Stoici (Zeno Citiensis, c. 336—264, Cleanthes, c. 331—233, Chrysippus, c. 281—208) docebant totum mundum esse unum vivens, cuius anima esset Deus. Huc pertinet etiam Platonis doctrina, quae totum mundum una anima animari contendit. Recentes Monistae fere omnes mundum tamquam organismum unum considerant. II pars thesis speciatim ponitur contra Darwinistas et Evolutionistas eos qui, negatis differentiis genericis et specificis, docent omnia evolvi et constitui diversa modificatione accidentali et dispositione eiusdem subiecti specifici.

239. Prob. th. I p.: In mundo physico est distinctio substantiarum numerica. *Arg. I.* Ex experientia: Homines sunt substantiae inter se numerice distinctae. Atqui homines sunt substantiae in mundo physico (i. e. ad mundum physicum pertinentes). Ergo quaedam substantiae in mundo physico sunt numerice inter se distinctae, i. e. in mundo physico est distinctio substantiarum numerica.

Prob. mai. ex immediato testimonio conscientiae intellectivae: Unusquisque homo conscientiae testimonio immediate se percipit tamquam substantiam intelligentem et volentem. Quare omnes homines sunt substantiae intelligentes et volentes inter se distinctae; secus reflexione intellectus perfecta deberent se percipere tamquam partes unius substantiae.

Prob. min. ex immediato testimonio sensus communis et tactus: Sicut homines ope conscientiae intellectivae se percipiunt tamquam substantias intelligentes et volentes ad invicem distinctas, ita unaquaeque harum substantiarum intelligentium et volentium ope tactus et sensus communis se percipit etiam tamquam corpus, i. e. tamquam ad mundum physicum pertinentem (cf. n. 485).

Arg. II. Ex defectu activitatis altioris ex singulis mundi partibus non explicabilis: In illo toto multiplex est substantiarum distinctio numerica, cuius partes multiplices, diversis proprietatibus et activitatibus praeditae, coordinantur quidem ad invicem activitate mutua et tendentia finali, activitate tamen altiore, ex singulis partibus non explicabili, non uniuntur. Atqui mundi physici partes multiplices, diversae plantae, animalia, mineralia, corpora caelestia, variis proprietatibus et activitatibus praeditae, miro quidem modo subordinantur et coordinantur ad invicem activitate mutua et tendentia finali, activitate tamen altiore, ex singulis partibus non explicabili, non uniuntur. Ergo in mundo physico multiplex est distinctio substantiarum numerica.

Mai. eo patet, quod substantiam ex accidentibus eius propriis et activitate cognoscimus; agere enim sequitur esse. Ideo dicimus plantam esse unam substantiam, quia videmus diversarum partium vires activitate altiore copulari et elevari (cf. n. 437 sq.; 452, 1).

Min. ex experientia ostenditur: Non apparet in mundo corporeo activitas talis altior, sed mira conspiratio et mirus ordo omnium optime explicatur ex viribus et activitatibus unicuique propriis, supposita artificiosa rerum dispositione initio in mundo a creatore producta. Aliis verbis: mundus non est sicut planta, sed sicut machina, sane artificiosissima (cf. n. 362 prob. III p.); diversae partes se manifestant tamquam ea, quae per se sunt et per se agunt.

Prob. II p.: In mundo est distinctio substantiarum generica et specifica. Ex proprietatum diversitate: Substantiae, quae secundum proprietates distinguuntur, distinguuntur etiam secundum essentiam

seu generice et specifice. Atqui substantiae physicae distinguuntur secundum proprietates. Ergo distinguuntur etiam secundum essentiam.

Prob. mai. ex eo quod proprietas, seu id quod constanter apparet in aliqua substantia, ex eius essentia dimanat eamque manifestat extrinsecus. Essentias enim rerum ex harum proprietatibus extrinsecus apparentibus cognoscimus (cf. n. 77).

Prob. min. inductione : Viventia, quae movent seipsa, a non viventibus, a mineralibus, distinguuntur secundum proprietates, et plantae, quae vegetantur tantum, ab animalibus, quae etiam sensitiva vita sunt praedita ; a ceteris animalibus distinguitur homo intellectu et voluntate. Haec enim omnia sunt distinctiva, quae constanter insunt, quae proinde proprietatis rationem habent. Praeterea in ipsis generibus mineralium et plantarum et animalium apparent distinctiones secundum proprietates, inquantum apparent typi abrupte distincti et stabiles.

240. Schol. Unde sumatur iudicium de unitate et pluralitate substantiarum numerica. Utrum aliquod totum sit una substantia an plures, et quousque se extendat aliqua substantia, cognosci potest : *a)* quoad substantiam humanam testimoniis coniunctis conscientiae et sensus communis et tactus. Ita substantia humana cognoscitur tamquam distincta ab alia substantia humana, et percipiuntur omnes partes ad eam pertinentes, quae sensitiva vita praeditae sunt. Num vero praeterea aliae partes ad substantiam humanam pertineant, non sensitivae sed vegetativae tantum, id criterio isto cognosci nequit ; quare neque eo poteris accurate limites substantiae humanae determinare ; *b)* generaliter quoad omnes substantias physicas ex proprietatibus et activitatibus, quae in illo toto apparent. Si diversae partes suas habent proprietates et activitates, quin appareat communis aliqua proprietas et activitas altior, hae partes sunt plures substantiae.

241. Obi. *Contra I p.* 1. Totum heterogeneum, cuius diversae partes earumque vires elevantur ad activitatem altiorem unam, cuius finis est perfectio totius, est substantia una (cf. n. 437 sq.). Atqui mundus physicus est totum heterogeneum, cuius diversae partes earumque vires elevantur ad activitatem altiorem unam, cuius finis est perfectio totius. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Ab intrinseco elevantur ad activitatem essentialiter altiorem, *conc.* ; mere ab extrinseco elevantur ad activitatem accidentaliter altiorem, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui mundi physici partes ab intrinseco elevantur ad activitatem essentialiter altiorem. *Probo.* Mundi physici partes ab intrinseco elevantur. . . , si mirus ordo et mira conspiratio omnium partium non explicatur ex viribus et activitatibus unicuique propriis. Atqui mirus ordo et mira conspiratio omnium partium non explicatur ex viribus et activitatibus unicuique propriis. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Supposita artificiosa rerum dispositione initio in mundo a creatore producta, *conc.* ; non supposita, *nego. Contradist. min.*

Contra II p. vide n. 246.

Bibliographia ad 240: *D. Nys*, L'Individu dans le monde inorganique, RNSPh 10 (1903) 5—23.

Ad 239. *Aristoteles* in Phys. I 2—3 « disputat contra positionem Melissi et Parmenidis », qui posuerunt « omnia esse unum », et concludit, « quod impossibile est omnia entia esse unum » (Ἀδύνατον φαίνεται τὰ ὄντα ἓν εἶναι: 186 a 4. *S. Thom.* lect. 3 n. 1 5; lect. 4 n. 4). Ibidem contra Platonicos disputat, qui rationibus Parmenidis victi concedebant accidens esse non ens et tamen esse aliquid. « Improbat praedictam positionem quantum ad hoc, quod concedebat quod non ens est aliquid », et « ostendit ulterius quod non sequitur, si non ens quod est accidens non sit aliquid, quod omnia sint unum. Et hoc est quod dicit, quod inconveniens est dicere quod sequatur omnia esse unum, nisi aliquid sit extra ens, quia per ens non potest intelligi nisi substantia, quae vere est. Sed si substantia sit, nihil prohibet esse multa, sicut iam dictum est, etiam remota magnitudine et accidente; quia definitio substantiae dividitur in multa, quae sunt de genere substantiae, sicut homo in animal et bipes. Et ulterius sequitur quod secundum diversas differentias generis sint multae substantiae in actu. Et ultimo infert conclusionem principaliter intentam, quod non omnia sunt unum, sicut dicebat Parmenides et Melissus » (*S. Thom.* l. c. lect. 7 n. 4 6; cf. Arist., Met. I 5 8; S. Thom. lect. 9 12 [cit. ad 243]; In De gen. et corr. I lect. 2 sqq. Quoad homines cf. text. ad 514 518 530).

Quaestio II: *Quomodo intrinsecus sit constitutum ens mobile seu de principiis entis mobilis.*

§ 1. De principiis in communi

242. Quid sit principium, et quotuplex sit. Principium definitur: id « a quo aliquid procedit quocumque modo » (S. *Thom.*, S. th. I 33, 1). Procedit autem unum ab alio aut secundum intellectum seu secundum cognitionem aut secundum rem. Ita distinguitur principium cognitionis: id, unde aliquid cognoscitur, et principium rei. Principium autem rei est vel intrinsecum vel extrinsecum. Hanc divisionem Aristoteles expressit dicendo principium « primum, unde aliquid vel est vel fit vel cognoscitur » (Met. V).

Principia intrinseca iterum possunt considerari metaphysica et physica. Principia metaphysica sunt ea, quibus intrinsecus constituitur omne ens creatum; haec sunt potentia et actus. Principia physica sunt ea, quibus constituitur ens mobile seu corpus. Quatenus consideratur corpus in facto esse seu in fieri, distinguuntur principia compositionis, quae sunt materia et forma, et principia generationis, quae sunt materia et forma et privatio. Materia et forma sunt partes essentiales physicae, quibus constituitur corpus physicum. Praeterea corpus complectitur partes quantitativas seu integrales, quae ad totalitatem corporis pertinent, quin eius essentiam constituant.

243. Principiorum physicorum definitio. Principia physica definiuntur ab Aristotele: « Principia sunt, quae non sunt ex aliis neque ex

alterutris, sed omnia ex ipsis » (Phys. I 5). Principia dicuntur « non ex aliis », inquantum sunt principia simpliciter seu prima principia ; dicuntur « non esse ex alterutris », *a)* inquantum alterum non constituitur intrinsecus ex altero, licet forma dicatur ex materia (educitur ex materia) mere materialiter et subiective ; *b)* inquantum sunt prima contraria. Privatio enim formae (materia privata forma seu potentialitas materiae) et forma, quae sunt principia generationis, opponuntur inter se contrarie, i. e. privative, ac proinde se excludunt ad invicem. Etsi enim causae sunt sibi invicem causae, principia tamen, inquantum contraria, non sunt sibi invicem principia, quia ut sic mutuo se excludunt. Principia autem contraria ad invicem sunt, inquantum contrarietas sumitur late pro oppositione privativa.

Ad 242. *Aristoteles :* Πάντα γὰρ τὰ αἴτια ἀρχαί. πασῶν μὲν οὖν κοινὸν τῶν ἀρχῶν τὸ πρῶτον εἶναι ὅθεν ἢ ἔστιν ἢ γίγνεται ἢ γιγνώσκεται (Met. V 1, 1013 a 17 ; cf. S. Thom. lect. 1 n. 761 sq.).

Ad 243. *Aristoteles :* Δεῖ γὰρ τὰς ἀρχὰς μήτε ἐξ ἀλλήλων εἶναι μήτε ἐξ ἄλλων, καὶ ἐκ τούτων πάντα (Phys. I 5, 188 a 27 ; cf. S. Thom. lect. 10 n. 3).

§ 2. Quae sint principia entis mobilis

Thesis 2 : *Atomismus philosophicus, sive mechanicus sive dynamicus, non tantum quatenus ad omnia mundi phaenomena extenditur, sed etiam quatenus ad sola mineralia applicatur, est falsus.*

244. St. qu. Distinguitur atomismus physicus seu theoria atomica et atomismus philosophicus. Atomismus physicus corpora composita reducit in corpora simpliciora (e. g. moleculam in atomos), quin tamen determinet, utrum ultima corpora simplicia (elementa physica proprie dicta), quamvis ulterius in corpora resolubilia non sint, ex pluribus tamen principiis corporeis constituantur necne. Proinde insolutam quoque relinquit quaestionem de corporum mutabilitate essentiali nec quidquam statuit circa actualitatem, quae corporibus simplicibus convenit in corpore ex ipsis constituto.

Atomismus autem philosophicus contendit ultima illa corpuscula (atomos) ita esse simplicia, ut neque ex pluribus principiis coalescant ; sunt itaque parva entia extensa, essentialiter simplicia et immutabilia. Atomismus philosophicus aut pure mechanice concipitur aut dynamice. Secundum atomismum mechanicum seu purum (mechanismum) omnes atomi sunt eiusdem speciei, absque differentiis qualitativis (si figuram excipias), motu locali praeditae, nec alias vires habent nisi repulsivas, agentes in collisione atomorum. Diversitas autem rerum et omnia, quae in mundo fiunt, motu locali et diversa dispositione seu aggregatione locali atomorum explicantur. Hoc systema in antiquitate professi sunt Leucippus eiusque discipulus

Democritus (nat. ca. 460 a. Chr.), Epicurus (341—270), Lucretius (96—55). Saeculo XVII ista doctrina renovata est a Cartesio (1596—1650) et Gassendi (1592—1655), et deinde multos habuit asseclas. A diversis diversimode proponitur: sunt qui eam ad omnia mundi phaenomena extendant, ita ut ne intellectivam quidem vitam excipiant (monismus mechanicus — materialismus); alii vero, cum a materialismo abhorreant, docent praeter phaenomena psychica (vitam intellectivam et sensitivam) omnia mere mechanice contingere; alii tandem nonnisi rebus anorganicis mechanismi theoriam applicant. Sicut atomismus mechanicus ita etiam atomismus dynamicus seu mitigatus atomos statuit extensas, quoad essentiam simplices et immutabiles, quibus tamen varias qualitates et vires concedit, immo etiam veram mutabilitatem intrinsecam accidentalem; inter eos qui tale systema profitentur, aliqui eousque progrediuntur, ut admittant inter diversas atomos intercedere veri nominis differentias specificas. In atomismo dynamico permultae inveniuntur variationes, quas longum esset omnes enumerare.

245. Prob. th. I p.: Atomismus mechanicus est falsus. Ex diversitate substantiarum generica et specifica in mundo organico et anorganico: Si in mundo tum organico tum anorganico est distinctio substantiarum generica et specifica, atomismus mechanicus est falsus, non tantum quatenus ad omnia mundi phaenomena extenditur, sed etiam quatenus ad sola mineralia applicatur. Atqui in mundo tum organico seu in ordine corporum viventium tum anorganico seu in ordine mineralium est distinctio substantiarum generica et specifica. Ergo atomismus mechanicus est falsus, non tantum quatenus ad omnia mundi phaenomena extenditur, sed etiam quatenus ad sola mineralia applicatur.

Ad mai. Systema, quod totam rerum diversitatem et omnia, quae in mundo fiunt, motu locali et diversa dispositione seu aggregatione locali atomorum explicare nititur, diversitatem corporum specificam tollit et proprietates specificas ex intrinseca corporis essentia specifica profectas negat. Unum quod atomismus purus concedit, sunt proprietates omnibus corporibus communes, quae scilicet ratione corporeitatis conveniunt, ut extensio, impenetrabilitas. Quo fit ut omnis rerum diversitas evadat pure accidentalis.

Ad min. Maxima in mundo invenitur varietas typorum stabilium abrupte inter se distinctorum[1], qui in processu mundano semper iidem oriuntur; haec autem typorum con-

[1] Typi nomine intelligitur res secundum externam suam apparentiam. Haec apparentia complexione notarum constituitur. Typi igitur stabiles in mundo corporeo sunt stabiles notarum seu accidentium complexiones, quae in mundo corporeo apparent.

stantia et stabilitas ostendit eos vere proprietates esse ex essentiis specificis diversis profectas. Et haec diversitas et constantia typorum abrupte inter se distinctorum non tantum apparet in mundo organico, sed etiam in mundo anorganico. Etiam in mundo anorganico diversa corpora secundum typum suum externum non sensim fluunt alterum in alterum, sed abrupte inter se distinguuntur notis determinatis et stabilibus. Hae notae proprietates sunt, quae specificas distinctiones indicant. Typorum enim constantia non potest fundari nisi in differentiis specificis et in qualitatibus, proprietatibus, viribus, quae in his differentiis radicantur. Differentiae specificae puncta quietis constituunt in permutationibus materiae, et vires specificae has permutationes constanter ad eadem puncta quietis dirigunt.

Prob. II p.: Atomismus dynamicus est falsus. Ex differentiis specificis inter corpora simplicia et corpora composita: Si inter ultima corpora simplicia et corpora ex ipsis composita intercedunt differentiae specificae, atomismus dynamicus est falsus. Atqui inter ultima corpora simplicia et corpora ex ipsis composita intercedunt differentiae specificae. Ergo atomismus dynamicus est falsus.

Ad mai. Etiam secundum atomismum dynamicum ultima corpuscula, etsi dicuntur specifice differre i n t e r s e, sunt quoad essentiam simplicia et per consequens immutabilia. Quo fit, ut corpus ex ipsis compositum differre non possit essentialiter a componentibus, sed accidentaliter tantum; proprie loquendo non oritur novum ens, sed aggregatio entium seu unum per accidens tantum. Ortus itaque novarum proprietatum compositi ex singulis elementis non explicabilium, quae differentiam specificam ostenderent, non solum non iustificatur, sed prorsus impossibilis redditur.

Ad min. Inter elementa physica seu ultima corpora simplicia in alia corpora non resolubilia et corpus ex his elementis compositum intercedit differentia specifica, si in composito apparent proprietates ex singulis elementis non explicabiles. Hoc autem verificatur non tantum in viventibus, sed etiam in mineralibus. Etiam in anorganicis apparent typi, qui non simpliciter resultant ex typis componentium; compositum n o v u m typum exhibet, qui ostendit eius unitatem eiusque differentiam specificam a componentibus.

246. Coroll. 1. Ergo sunt ultima corpora simplicia, i. e. in alia corpora non resolubilia (elementa physica proprie dicta), specifice inter se distincta, quaecumque tandem illa sint. Veteres quattuor tantum elementa ponebant: terram, aquam, aëra, ignem. Haec non esse elementa patet. Recenti tempore nonaginta duo, immo plus quam nonaginta duo elementa (elementa c h i m i c a) numerantur, quae tamen etiam ipsa non sunt elementa physica stricte, cum componantur ex electronibus et nucleo aliquo ulterius resolubili.

2. Ergo corporum activitas non in solo motu mechanico consistit. Corpora enim specifice inter se distincta etiam proprietatibus seu viribus specificis praedita sunt, quibus ad invicem agunt, activitate ab intrinseco profecta, non tantum movendo localiter, sed etiam alterando, i. e. actione sua diversas qualitates in actum reducendo.

3. Ergo in omnibus corporibus naturalibus inest principium substantiale specificans teleologicum, quo determinantur, ut determinato modo sint (principium specificans) et determinato modo agant (principium teleologicum), ita ut non obstante mobilitate entis mobilis seu mundi corporei, tamen stabilitas habeatur in essendo et in agendo. Haec stabilitas in agendo leges naturae constituit, quae ex ipsis rerum essentiis proficiscuntur. Stabilitas autem in essendo typos constituit stabiles seu specificos. Hoc principium substantiale teleologicum est forma substantialis (cf. n. 253—256).

247. Schol. Philosophia naturalis mere mechanica atomismi puri non considerat nisi substratum quantitativum naturae: microstructuram et motum localem; negligit autem determinationes qualitativas tum accidentales (qualitates speciales) tum substantiales (formas substantiales). Sed microstructura est dispositio (causa materialis dispositiva) ad formam substantialem, et motus mechanici dispositiones constituunt pro diversis qualitatibus; ita motus molecularis irregularis est substratum caloris, vibrationes molares regulares sunt substratum soni. Ita etiam facile explicatur, quomodo diversae qualitates mechanice producantur, et quomodo altera alteram producat et quasi in alteram transmutetur: impulsus mechanicus vibrationes et undulationes producit, quibuscum diversae qualitates secundum legem naturalem conectuntur. Qui has vibrationes efficit, etiam qualitatem eis respondentem efficit. Et unus motus mechanicus secundum determinatam materiae dispositionem alium producit, quo etiam ei respondens qualitas alia oritur.

248. Obi. Atomismus purus optime explicat *a)* ortum viventium, *b)* ortum diversorum typorum in ordine mineralium. Ergo non est falsus.

a) 1. Doctrina, quae explicat primum ortum viventium sine miraculo, optime explicat ortum viventium. Atqui atomismus purus est doctrina, quae explicat primum ortum viventium sine miraculo. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Sine miraculo stricte dicto, *conc.;* sine interventu divino, *nego. Contradist. min.:* Sine miraculo tantum, *nego;* sine miraculo et sine interventu divino, *conc.* (cf. n. 603—606).

2. Atqui atomismus purus optime explicat primum ortum viventium sine interventu divino. *Probo.* Systema, quod explicat ortum viventium per vitam in omnibus atomis latentem, recte explicat ortum viventium sine interventu divino. Atqui atomismus purus explicat ortum viventium per vitam in omnibus atomis latentem. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si vita in omnibus atomis latens gratis supponitur, *nego;* si non gratis supponitur, *conc. Contradist. min.*

b) 1. Optime explicatur ortus diversorum typorum in ordine mineralium per microstructuram. Atqui ita atomismus purus explicat ortum diversorum

typorum in ordine mineralium. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Per microstructuram ex atomis viribus specificis praeditis, *conc.;* per microstructuram ex atomis viribus specificis non praeditis, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui atomi carent viribus specificis. *Probo.* Atomi, quarum qualitates explicantur ex motu mechanico, carent viribus specificis. Atqui qualitates atomorum ex motu mechanico explicantur. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Ex solo motu mechanico explicantur, *conc.;* non ex solo motu mechanico explicantur, *nego. Contradist. min.* (cf. coroll. 2).

Ad 245. *Aristoteles* atomistarum opinionem refert Phys. I 2, 184 b 21; 4, 187 a 22; 5, 188 a 22, et Met. I 3, 984 a 8; 4, 985 b 4 (cf. *S. Thom.*, In Phys. I lect. 2 n. 2; lect. 8 n. 4 sq.; lect. 10 n. 2), eamque Met. I 8 reprobat. «Primo improbat opiniones eorum, qui posuerunt unam causam materialem. Secundo eorum, qui posuerunt plures... Primo improbat opiniones praedictas in generali... triplici ratione. Prima ratio talis est: quia in rebus non solum sunt corporea, sed etiam quaedam incorporea, ut patet ex libro De anima. Sed ipsi non posuerunt principia nisi corporea, quod ex hoc patet, quia ipsi ponebant "unum omne" idest universum esse unum secundum substantiam, et esse unam naturam quasi materiam, et eam esse corpoream et habentem "mensuram" idest dimensionem; corpus autem non potest esse causa rei incorporeae; ergo patet quod in hoc deliquerunt insufficienter rerum principia tradentes. Et non solum in hoc, sed in multis, ut ex sequentibus rationibus apparet [Τῶν γὰρ σωμάτων τὰ στοιχεῖα τιθέασι μόνον, τῶν δ' ἀσωμάτων οὐ, ὄντων καὶ ἀσωμάτων: 988 b 24]. Deinde cum dicit "de generatione" [περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς ἐπιχειροῦντες τὰς αἰτίας λέγειν, καὶ περὶ πάντων φυσιολογοῦντες, τὸ τῆς κινήσεως αἴτιον ἀναιροῦσιν: l. c. 26], ponit secundam rationem... Quicumque habet necesse determinare de motu, oportet quod ponat causam motus; sed praedicti philosophi habebant necesse tractare de motu, quod ex duobus patet: tum quia ipsi conabantur dicere causas generationis et corruptionis rerum, quae sine motu non sunt, tum etiam quia de rebus omnibus naturaliter tractare volebant; naturalis autem consideratio requirit motum, eo quod natura est principium motus et quietis, ut patet secundo Physicorum; ergo debebant tractare de causa, quae principium motus. Et ita cum illam auferrent causam, patet etiam quod in hoc deliquerunt. Deinde... ponit tertiam rationem. Quaelibet enim res naturalis habet "substantiam", idest formam partis, "et quod quid est", id est quidditatem quae est forma totius. Formam dicit, inquantum est principium subsistendi, et quod quid est, inquantum est principium cognoscendi, quia per eam scitur quid est res; sed praedicti philosophi formam non ponebant esse alicuius causam, ergo insufficienter de rebus tractabant, in hoc etiam delinquentes, quod causam formalem praetermittebant» (*S. Thom.*, In Met. I lect. 12 n. 181 sqq.; cf. S. th. I 47, 1; C. g. II 39—41; Pot. 3, 16).

Thesis 3: *Dynamismus est falsus.*

249. St. qu. 1. Dynamismus cum atomismo philosophico in eo convenit, quod tamquam ultima mundi corporalis elementa ponit entia completa (non principia entis completi, quae ipsa sunt entia incompleta), essentialiter simplicia et immutabilia. Propterea ex hoc capite iisdem argumentis refutatur, quae contra atomismum attulimus. Differt autem dynamismus ab atomismo in eo, quod asserit entia illa esse inextensa, ita ut etiam partibus integralibus careant. Concipiuntur autem tamquam vires, vires centrales, dynamides, atomi dynamicae, etc.

2. Aliqua species dynamismi invenitur apud Leibniz (1646—1716), qui non admittit nisi substantias essentialiter simplices et inextensas, quas monades vocat ; corpora non sunt nisi aggregata harum monadum. Ipsae autem monades non possunt agere altera in alteram. Inde in mundo r e a l i , nullum ens vere extensum agnoscitur. Secundum Boscovich (1711—1787) corpora sunt aggregata entium essentialiter simplicium, inextensorum similium, quae ad invicem realiter distant et inter se agunt (per veram actionem in distans) secundum unicam legem istam : in distantiis minimis vis activa est repulsiva ; crescente distantia minuitur et demum totaliter evanescit ; crescente adhuc distantia vis activa fit attractiva, quae primo, aucta distantia, augetur, deinde minuitur et tandem iterum evadit repulsiva ; haec alternatio inter attractionem et repulsionem pluries repetitur, usquedum in maioribus distantiis vigeat sola vis attractiva. Secundum Kant (Monadologiae physicae) « corpora constant monadibus » (prop. II) ; « quodlibet elementum simplex, scilicet monas, non solum est in spatio, sed et implet spatium, salva nihilominus ipsius simplicitate » (prop. V) ; « monas spatiolum praesentiae suae definit non pluralitate partium suarum substantialium, sed sphaera actionis, qua externas utrimque sibi praesentes arcet ab ulteriori ad se invicem appropinquatione » (prop. VI). Non autem sufficit vis repulsiva, qua monades dissiparentur, sed requiritur etiam vis attractiva, ita ut habeatur aequilibrium inter has duas vires : « corpora per vim solam impenetrabilitatis (repulsionis) non gauderent definito volumine, nisi adforet alia pariter insita attractionis, cum illa coniunctim limitem definiens extensionis » (prop. X) [1]. Continuum hac ratione efformatum reale non est, sed apparens tantum, sicut apud Boscovich. Alii dynamismi fautores sunt Balmes (1810—1848), qui sequitur Leibniz, Carbonelle (1829—1889), qui sentit cum Boscovich, et Palmieri (1829—1909), qui potius Kantii systema amplectitur, quatenus docet entia simplicia, virtualiter tantum extensa et hac ratione spatium occupantia.

250. Prob. th. Ex impossibilitate spatii realis sine ulla corporum extensione continua : Doctrina, quae ponit spatium reale sine ulla corporum extensione continua, est falsa. Atqui dynamismus ponit spatium reale sine ulla corporum extensione continua. Ergo dynamismus est falsus.

Ad mai. Secundum se entia inextensa neque praesentia neque distantia sunt ad invicem localiter, cum sint extra genus quantitatis. Male conciperentur ad instar punctorum, cum puncta sint de ordine extensionis (cf. n. 275, 2). Entia inextensa praesentia vel distantia secundum locum non fiunt nisi per contactum cum partibus exten-

---

[1] Metaphysicae cum geometria iunctae usus in philosophia naturali, cuius specimen I. continet m o n a d o l o g i a m p h y s i c a m , Regiomonti 1756.

sionis vicinis vel distantibus. Hac vero ratione distantias reales non constitui, sed supponi per se patet. Neque sua activitate illa entia inextensa partem spatii definiunt nisi agant circa extensionem iam constitutam.

Ad min. Dynamismus ponit spatium reale, quatenus asserit entia inextensa ad invicem realiter distare, vel etiam activitate sua partem spatii occupare vel definire.

251. Coroll. Ergo ens mobile seu corpus per naturam suam componitur partibus quantitativis. Hae partes sunt partes integrales, non essentiales ; pertinent ad totalitatem substantiae corporeae, quin tamen eius essentiam constituant. Quantitas seu extensio est prima proprietas corporis (cf. n. 422). Etiam mobilitas corpori propria supponit quantitatem ; sola substantia extensa mobilis est motu physico seu successivo et per se sensibili. Quare ex refutatione dynamismi deducimus definitionem corporis descriptivam per primam corporis proprietatem : corpus est substantia extensa, ex partibus integralibus composita. Ita corpus distinguitur contra spiritum, contra substantiam ex partibus integralibus non compositam.

252. Obi. Doctrina, quae tamquam prima principia corporum ponit principia inextensa, non repugnat. Atqui dynamismus est doctrina, quae tamquam prima principia ponit principia inextensa. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Principia, quae sunt substantiae completae, inextensae tum per se tum per accidens, *nego ;* principia, quae sunt substantiae incompletae, per se inextensae, quae tamen extensae esse possunt per accidens, *conc. Contradist. min.* (cf. n. 272—275 ; 422, 1).

Thesis 4 : *Prima principia, realiter inter se distincta, quae intrinsecus essentiam corporis constituunt, seu principia intrinseca physica compositionis sunt materia prima et forma substantialis ; principia vero generationis sunt materia et forma et privatio.*

253. St. qu. 1. Iam Plato ad explicandum mundum physicum duplex statuit principium, materiam et formam. Sed materiam cum privatione confundebat, formam autem seu ideam non immanentem, sed transcendentem materiae posuit, ita ut eam materia aliquomodo participaret (μετέχειν). Platonem Aristoteles emendavit, distinguendo materiam a privatione et includendo formas in ipsas res. Aristotelem secuti sunt S. Augustinus (354—430) et scholastici omnes, qui, cum in quibusdam secundariis quaestionibus inter se dissentiant, in eo tamen conveniunt, quod asserunt essentiam omnem corpoream ex duplici principio, materia et forma, coalescere (Hylemorphismus). Materia prima definitur ab Aristotele : « id quod primum est uniuscuiusque subiectum ex quo in ito aliquid fit, non per accidens,

et si corrumpitur, ad hoc ultimum sane redit. » Explicatur definitio per partes: materia prima consideratur tamquam primum substratum mere potentiale quod prioritate naturae immediate primo actui i. e. formae substantiali cuiuscumque corporis praecedit; materia prima est deinde primum principium intrinsecum τοῦ fieri, quod manet in compositione cum forma substantiali, quo fit totum compositum substantiale et non accidentale; in corruptione compositi substantialis resolutio fit usque ad materiam primam (cf. n. 381—384). Alibi Aristoteles dicit materiam esse « quae neque quid neque quale neque quantum nec aliud huiusmodi dicitur, quibus ens determinatur. » Secundum hanc definitionem materia est principium mere potentiale quod omnem actum excludit.

2. Scholastici itaque post Aristotelem distinguunt materiam primam et secundam, formam substantialem et accidentalem. Materia prima est substantia corporea incompleta, potentialis, indeterminata, omnibus corporibus communis. Materia secunda est corpus seu substantia corporea completa, in aliqua determinata specie rerum constituta. Forma substantialis est substantia corporea incompleta, actualis, qua determinatur materia prima ita, ut ex ipsa et ex forma substantiali constituatur substantia completa corporea alicuius determinatae speciei. Forma accidentalis seu accidens ea est, qua actuatur et determinatur materia secunda. Cum forma substantialis tribuat esse primum seu substantiale seu esse simpliciter, forma accidentalis tribuit esse aliquod secundarium, accidentale, secundum quid. Forma igitur accidentalis est actus accidentalis accidentaliter determinans et actuans seu evolvens potentiam substantiae corporeae; forma vero substantialis est actus substantialis substantialiter determinans et actuans seu evolvens potentiam materiae primae. Quare forma substantialis definitur: actus materiae primae[1]. Materia prima definiri potest: principium substantiale mere potentiale, ex quo fieri potest quaelibet substantia physica seu corporea, sicut ex ligno fieri potest quodlibet artificiosum simulacrum.

Ex materia secunda et forma accidentali constituitur unum per accidens seu aggregatum duarum essentiarum inter se coniunctarum, ex materia prima autem et forma substantiali constituitur unum per se seu una essentia substantialis completa (cf. n. 180, 1). Quia materia prima et forma substantialis constituunt unam substantiam, etiam unam naturam substantialem constituant necesse

---

[1] Definitio valet de formis physicis, i. e. materiam informantibus, quae essentialiter ordinantur ad materiam informandam, non vero de formis a materia separatis (angeli), quae sunt substantiae completae, quibus repugnat, ne materiam informent. Harum formarum consideratio ad Philosophiam naturalem non pertinet.

est seu unum principium operandi substantiale. Quare sicut forma non est per se, ita neque operatur per se solam, sed una eademque operatio ex forma et materia egreditur, quamquam contingere potest, ut forma aliquam operationem sibi reservet specialem, quam non communicat cum corpore. (Anima humana spiritualis non communicat cum corpore intellectionem et volitionem.)

3. Productio substantiae physicae ex materia prima tamquam ex subiecto dicitur generatio (substantialis). Haec generatio mutatio est substantialis a privatione formae substantialis ad formam substantialem, sicut mutatio accidentalis est a privatione accidentis ad accidens, ut cum aliquid ex non albo fit album. Generationi opponitur corruptio. Corruptio (substantialis) est mutatio substantialis a forma substantiali ad privationem eius. Quia materia numquam est sine forma, corruptio unius est generatio alterius: corruptio aquae est generatio hydrogenii et oxygenii, corruptio seu mors hominis est generatio substantiarum chimicarum, quae componunt cadaver.

Corruptio unius et generatio alterius substantiae fit mediante alteratione, i. e. mediante motu seu transmutatione accidentali, qua producuntur accidentia seu proprietates substantiae generandae. His accidentibus materia redditur disposita pro una et indisposita pro altera forma. Ita cum per vim electricam resolvitur, i. e. corrumpitur aqua et producuntur hydrogenium et oxygenium, vis electrica alterat aquam, destruendo eius proprietates et producendo proprietates hydrogenii et oxygenii. Quare generatio etiam fieri dicitur mediante dispositione materiae.

In omni generatione tria distinguenda sunt: *a)* terminus ad quem — forma acquirenda, *b)* terminus a quo — privatio formae, i. e. carentia formae in subiecto, quod formam acquirit, *c)* subiectum, quod a termino ad terminum transit — materia prima.

Cum materia prima sit substratum omnis generationis et corruptionis, ipsa neque generatur neque corrumpitur, sed non oritur nisi per creationem. Ex quo deducimus materiae molem in mundo semper eandem permanere.

4. Duplex est genus formarum physicarum: quaedam sunt subsistentes seu immateriales (animae humanae), quae essentialiter quidem ordinantur ad materiam informandam, ita ut cum materia unam constituant essentiam, possunt tamen subsistere etiam separatae a materia: sunt immortales. Quae formae quoniam in esse sunt independentes a materia, etiam in fieri non dependent ab ipsa, i. e. non educuntur ex materiae potentialitate, sed creantur et infunduntur materiae, cum haec ad earum infusionem satis disposita est a generantibus. Quaedam vero formae sunt materiales vel non subsistentes, quae extra materiam subsistere non

possunt (formae mineralium, plantarum, animae brutorum) ; indisposito enim corpore in materiae potentialitatem redeunt. Ideo etiam in fieri dependent a materia, i. e. educuntur ex potentialitate materiae primae vi dispositionum praecedentium sicut forma accidentalis ex potentialitate materiae secundae. Sicut plasticus disponendo limum ex eius potentialitate formam artificiosam (accidentalem) educit, ita qui generat substantiam, disponit materiam sub aliqua forma substantiali iam exsistentem et efficit, ut vetus forma recedat accedatque nova novis dispositionibus consentanea.

254. Prob. th. I p.: Prima principia realiter inter se distincta, quae intrinsecus essentiam corporis constituunt, sunt materia prima et forma substantialis. *Arg. I.* Ex corporum mutabilitate substantiali : Quod est substantialiter mobile, est compositum ex materia prima et forma substantiali tamquam ex primis principiis realiter inter se distinctis. Atqui corpora sunt substantialiter mobilia. Ergo composita sunt ex materia prima et forma substantiali tamquam ex primis principiis realiter inter se distinctis.

Min. patet ex experientia. Videmus enim viventia mutari in non viventia (cum moriuntur et resolvuntur), et non viventia in viventia (nutritione et generatione), et in ordine mineralium videmus analysi et synthesi chimica unam substantiam transmutari in aliam specifice a prima distinctam novis apparentibus proprietatibus.

Prob. mai. Quod est substantialiter mobile, est compositum ex substrato substantiali secundum se omnino potentiali et omnino indeterminato et ex determinatione substantiali separabili ab ipso ; quod enim substantialiter movetur, amittit determinationem substantialem, remanente aliquo substrato substantiali omnino indeterminato, ex quo fit nova substantia. Corruptio enim non est annihilatio, neque generatio est creatio ; quare necesse est remaneat aliquid veteris substantiae, ex quo fiat seu generetur nova. Ex nihilo enim nihil fit viribus naturalibus. Atqui quod est compositum ex substrato substantiali secundum se omnino potentiali et omnino indeterminato et ex determinatione substantiali separabili ab ipso, est compositum ex materia prima et forma substantiali tamquam ex primis principiis realiter inter se distinctis. Nam substratum substantiale omnino indeterminatum et determinatio eius substantialis sunt ipsa materia prima et forma substantialis. Haec autem esse p r i m a principia seu principia ulterius non resolubilia in alia principia patet ex ipsa essentia materiae primae et formae substantialis : materia prima est omnino indeterminata et pura potentia ac proinde forma substantialis eius determinatio prima. Esse autem principia r e a l i t e r i n t e r s e d i s t i n c t a ex eorum separabilitate patet ; amittitur enim una forma et acquiritur alia, remanente materia. Iam vero non est maius signum realis distinctionis quam realis separatio.

Arg. II. Ex multitudine corporum intra eandem speciem: Quod habet simile sui secundum essentiam specificam, compositum est ex materia prima et forma substantiali tamquam ex primis principiis realiter inter se distinctis. Atqui corpus habet simile sui secundum essentiam specificam. Ergo corpus compositum est ex materia prima et forma substantiali tamquam ex primis principiis realiter inter se distinctis.

Min. ex experientia patet, qua constat exsistere plura corpora iisdem praedita proprietatibus seu eundem exhibentia typum, quae proinde conveniunt in essentia specifica, proprietatum radice.

Ad mai. Corpus habere simile sui secundum essentiam specificam idem est atque exsistere plura individua in eadem specie. Plura autem individua in eadem exsistere specie eo tantum explicari potest, quod ipsa determinatio specifica pluries ponitur. Haec determinatio, cum sit id quo substantia corporea in propria specie constituitur, merito forma substantialis vocatur. Sicut autem universaliter actus non multiplicatur ratione sui (cf. n. 657 *d*), ita neque forma substantialis; deberet enim esse principium distinctionis a seipsa. Duo corpora eiusdem speciei conveniunt in una determinatione specifica: specifice sunt unum; distinguuntur autem numerice seu individualiter, quatenus eadem determinatio specifica a pluribus subiectis habetur, ita ut una determinatio specifica differat ab altera eo quod sunt in diversis subiectis. Admittendum est itaque praeter formam substantialem aliud principium substantiale, substantialiter indeterminatum, pura potentia, ad cuius divisionem (quae fit sub quantitate discreta) multiplicatur etiam ipsa determinatio seu forma substantialis. Hoc alterum principium est materia prima. Haec principia esse prima eo patet, quod materia est potentia pura, forma autem actus eius substantialis primus. Distinguuntur autem realiter, quia ad invicem se habent sicut potentia et actus (cf. n. 657 *a*).

Prob. II p.: Principia generationis sunt materia et forma et privatio. Ex notione generationis: Si principia compositionis sunt materia et forma, principia generationis sunt materia et forma et privatio. Atqui principia compositionis sunt materia et forma. Ergo principia generationis sunt materia et forma et privatio.

Prob. mai. Quod fit, non debet iam esse. Necesse igitur est, ut materia careat forma generatione acquirenda. Sed carentia formae in subiecto ad hanc formam apto est privatio: subiectum hanc formam non habet, est tamen aptum ad eam habendam.

Materia et forma per se sunt principia generationis, privatio vero per accidens tantum tamquam aliquid negativi, a quo generatio procedit. Materia privata forma et forma inter se opponuntur oppositione privativa, et generatio procedit ex materia privata forma. Privatio igitur per accidens est principium generationis.

255. Coroll. 1. Ergo atomi non sunt prima corporum principia. Sermo hic est de atomis extensis, quae ipsae sunt parva corpuscula, nam atomos inextensas thesi praec. iam prorsus exclusimus. Inter atomismum physicum (cf. n. 244) et hylemorphismum per se nulla est oppositio. Si corpora conflantur ex atomis seu corpusculis, haec non possunt esse nisi principia proxima, in quae proxime resolvitur corpus maioris molis, et ipsas atomos, utpote parva corpora, necesse est componi ex materia prima et forma substantiali tamquam ex primis principiis. Quidquid igitur est de atomismo, certum est in eo non posse sistere processum scientificum, quippe qui natura sua ad ultimas causas seu prima principia tendit.

2. Ergo corpus definitur definitione essentiali physica : substantia composita ex materia et forma. Cum enim materia et forma sint prima principia physica corporis, ex hac compositione etiam eius differentia specifica desumenda est. Haec compositio est id, quo primo substantia corporea distinguitur ab aliis substantiis, i. e. a substantiis (completis) spiritualibus ; et est id, quod est radix proprietatum omnium, quae corpori secundum rationem genericam corporis conveniunt. Ideo etiam extensio et compositio ex partibus integralibus ex hac radice proveniunt.

256. Schol. 1. Contra doctrinam de substantiis compositis obiciunt substantiam esse positam in indivisibili.

Resp.: Substantia posita est in indivisibili, *dist.:* Quoad elementum negativum seu quoad exclusionem inhaerentiae, *conc.;* quoad elementum positivum, quoad essentiam, cui competit per se esse, *subdist.:* Haec essentia semper est physice incomposita, *nego;* non potest ei fieri additio vel substractio in notis essentialibus, quin perimatur species, *conc.*

2. Theoriae scientiae physicae hodiernae doctrinam de materia et forma potius illustrant et confirmant quam reiciunt. Ideis Physicae classicae seu mechanicae relictis, physica hodierna principium teleologicum in microstructura materiae anorganicae postulat ad unitatem et ordinem in systemate atomi explicandum. Quaelibet particula atomi, e. g. electron vel aliquod elementum nuclei, non iam actualiter sed virtualiter tantum invenitur in systemate atomi, quod habet unitatem intrinsecam et stabilem. Particula enim proprietates, quas habet in statu separationis extra systema atomi, perdit et novas proprietates stabiles acquirit. Totum igitur a principio altiore, cui partes in sua activitate subordinantur, dirigitur. Inveniuntur ubique certae leges et relationes stabiles, secundum quas diversa elementa intra atomum cohaerent et moventur. Haec stabilitas non explicatur ex principiis mere mechanicis vel ex attractione corporum, sed postulat principium activitatis altioris, quod, sicut per se tendit ad ordinem totius conservandum, ita etiam ex toto qua tali explicatur. Hoc principium te-

leologicum intelligitur ut principium formale totius seu ut forma substantialis[1].

Porro inquisitiones recentiores Physicae et Chimicae ostendunt in nucleo atomico materiae anorganicae inveniri veras mutationes substantiales, quod usque huc multi in dubium duxerunt. Agitur enim de mutationibus structurae nuclearis e. g. Natrii in Magnesium. Observatur etiam quaedam potentialitas in elementis atomi, quatenus electron et particulae nucleares, ut proton, neutron, meson, positron, hyperon, neutrino, valde mutabiles et labiles sunt vel per brevissimum tantum tempus exsistunt et iterum in potentialitatem recidunt, ex qua orta sunt. Heisenberg recte concludit : «Mutabilitas est proprium partis atomi»[2].

Principium mutabilitatis intrinsecum, quod est substratum omnino potentiale neque ullo modo quantitativum, ex quo illa elementa, indirecte sensibilia, oriuntur et in quod recidunt, est materia prima. Secundum Physicam hodiernam enim illa elementa nullomodo annihilantur, cum recidant, sed solummodo actualitatem perdunt[3].

257. Obi. 1. Quod conflatur ex atomis ulterius non resolubilibus, huius prima principia non sunt materia et forma. Atqui corpus conflatur ex atomis ulterius non resolubilibus. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Non resolubilibus in materiam et formam, *conc.* ; in alias atomos, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui atomus non est resolubilis in materiam et formam. *Probo.* Non est resolubile in materiam et formam, quod est una substantia. Atqui atomus est una substantia. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quod est una substantia simplex, *conc.* ; composita, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui nulla est substantia composita. *Probo.* Nulla substantia composita est unum per se. Atqui omnis substantia est unum per se. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Composita ex substantiis completis, *conc.* ; ex substantiis incompletis, *nego. Conc. min.* ; *dist. consq.* : Composita ex substantiis completis, *conc.* ; ex incompletis, *nego.*

4. Atqui repugnat substantia incompleta. *Probo.* Quod est positum in indivisibili non potest esse incompletum. Atqui substantia est posita in indivisibili. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quod est positum in indivisibili tum quoad elementum positivum tum quoad elementum negativum, *conc.* ; quoad elementum

---

[1] Cf. *B. Bavink*, Ergebnisse und Probleme der Naturwissenschaften, Leipzig 1941 p. 213; *Zeno Bucher*, Die Innenwelt der Atome, Donauwörth 1949 p. 290 sqq.

[2] *W. Heisenberg*, Die Physik der Atomkerne, Die Wissenschaft Band 100, Braunschweig 1947 p. 45 : «Vielmehr ist die Verwandelbarkeit geradezu ein charakteristisches Merkmal eines Elementarteilchens.» Cf. *W. Finkelnburg*, Einführung in die Atomphysik, ed. 5/6, Berlin 1958 p. 345.

[3] Hoc tamen principium non identificatur cum conceptione campi aetherei vel cuiusdam materiae imponderabilis vel alicuius huiusmodi, sed est mera potentialitas, quae in elementis minimis novissime cognitis et experimentis confirmatis clarius apparet. Cf. *H. Conrad-Martius*, Naturwissenschaft und Naturphilosophie, Hochland 43 (1950/51) 39 et 42; *Zeno Bucher*, l. c. p. 424 sq. et 193 sq.; *B. Bavink*, l. c. p. 189.

negativum tantum, *nego. Contradist. min.:* Quoad elementum negativum seu quoad exclusionem inhaerentiae, *conc.;* quoad elementum positivum seu quoad essentiam, cui competit per se esse, *subdist.:* Haec essentia semper est physice incomposita, *nego;* non potest ei fieri additio vel subtractio in notis essentialibus, quin perimatur species, *conc.*

Bibliographia ad 253–256: *J. Balta,* Estudio físico de la materia y de sus transmutaciones, CT 60 (1941) 191–228. *Bernhardin,* Widerstreitet die Elektronentheorie dem Hylemorphismus?, DThFrib 13 (1935) 219–223. *R. Bizzarri,* Forma e materia in relazione con la materia ed energia della fisica moderna, RFNS 12 (1920) 24–41. *W. Büchel,* Der Materiebegriff der modernen Physik, PhJ 58 (1948) 55–64. *Id.,* Idealismus oder Realismus, Zur Diskussion um die phil. Bedeutung der Quantenphysik, StZ 154 (1953/54) 255–264. *Z. Bucher,* Die Innenwelt der Atome, Donauwörth 1949. *F. Budde,* Physikalisches und philosophisches Denken, DThFrib 30 (1952) 51–72. *P. Descoqs,* Essai critique sur l'Hylémorphisme, Paris 1924. *D. Dubarle,* L'idée hylémorphiste d'Aristote, RSPhTh 36 (1952) 3–29; 205–230; 37 (1953) 3–23. *J. Endres,* Die Potenz-Akt-Lehre heute, DThFrib 27 (1949) 257–280. *A. Eucken,* Lehrbuch der chemischen Physik I, Leipzig 1938. *M. Fatta,* Ilemorfismo e fisica contemporanea, DThPlac 38 (1935) 523–536; 39 (1936) 143–152; 229–242. *G. Feldner,* Der Urstoff oder die erste Materie, JPhTh 12 (1898) 133–170; 289–332; 421–452. *G. Fraile,* En torno al problema de la materia, CT 61 (1941) 245–272; 62 (1942) 232–258; 63 (1942) 312–328. *P. Geny,* Utrum et quatenus doctrina hylemorphica cum recentiorum physicorum placitis componi possit, DThPlac 28 (1925) 65–82. *J. Gredt,* Die Lehre von Materie und Form und die Elektronentheorie, DThFrib 1 (1923) 275–288. *R. Hain,* De Hylemorphismo rite demonstrando, RUO Section spéciale 3 (1934) 229*–238*; 4 (1935) 156–181; 5 (1936) 47–57. *P. Hoenen,* De termino «forma materialis», Gr 16 (1935) 131–135. *Id.,* De constitutione corporum, Acta secundi Congressus thomistici internationalis, Taurini-Romae 1937, 173–196. *J. M. Marling,* Hylemorphism and the Conversion of Mass into Energy, NSch 10 (1936) 311–323. *J. A. McWilliams,* Theories of Matter, NSch 1 (1927) 297–306. *M. P. de Munnynck,* Les propriétés essentielles des corps bruts, RTh 8 (1900/01) 155–169. *Id.,* Utrum et quatenus Hylemorphismus cum theoriis physicis Recentiorum componi possit, Acta primi Congressus thomistici internationalis, Romae 1925, 121–127. *D. Nys,* L'hylémorphisme dans le monde inorganique, RNSPh 11 (1904) 35–57. *Id.,* Discussions sur certaines théories cosmologiques, III: Les preuves de la théorie scolastique, RNSPh 12 (1905) 316–338. *D. C. O'Grady,* A Few Notes on the Metaphysics of Matter, NSch 4 (1930) 46–52. *J. A. J. Peters,* Matter and Form in Metaphysics, NSch 31 (1957) 447–483. *P. Rossi,* La costituzione dei corpi secondo il tomismo e secondo la scienza moderna, RFNS 28 (1936) 525–530. *L. R. Schmieder,* Some More Casual Notes on the Nature and Structure of Inorganic Matter, NSch 14 (1940) 33–56. *A. D. Sertillanges,* Les principes de la nature selon saint Thomas d'Aquin,

RTh 17 (1909) 538—561. *H. Straubinger*, Quantenphysik und Metaphysik, PhJ 60 (1950) 306—322. *R. Valcanover*, I costituenti della materia, Ant 14 (1939) 207—218. *Id.*, Materia e Energia, l. c. 299—312. *C. F. v. Weizsäcker*, Zum Weltbild der Physik, Hirzel-Stuttgart 1954.

Ad 253 sq. « Postquam Philosophus ostendit quod in quolibet fieri naturali tria inveniuntur [scil. subiectum et terminus factionis et oppositum eius : Phys. I 7, 190 b 11. S. Thom. lect. 12 n. 12], hic ex praemissis intendit ostendere, quot sunt principia naturae . . . Primo ostendit duo esse principia naturae per se ; secundo ostendit tertium esse principium naturae per accidens . . . Circa primum utitur tali ratione. Illa dicuntur esse principia et causae rerum naturalium, ex quibus sunt et fiunt per se et non secundum accidens ; sed omne quod fit, est et fit ex subiecto [i. e. materia sive prima sive secunda] et forma ; ergo subiectum et forma sunt per se causae et principia omnis eius quod fit secundum naturam. Quod autem id quod fit secundum naturam, fit ex subiecto et forma, probat hoc modo. Ea in quae resolvitur definitio alicuius rei, sunt componentia rem illam ; quia unumquodque resolvitur in ea, ex quibus componitur. Sed ratio eius quod fit secundum naturam, resolvitur in subiectum et formam ; nam ratio hominis musici resolvitur in rationem hominis et in rationem musici ; si quis enim velit definire hominem musicum, oportet quod assignet definitionem hominis et musici. Ergo id quod fit secundum naturam, est et fit ex subiecto et forma. Et notandum est quod hic intendit inquirere principia non solum fiendi, sed etiam essendi ; unde signanter dicit : ex quibus primis sunt et fiunt. Et dicit "ex quibus primis", id est per se et non secundum accidens. Per se ergo principia omnis quod fit secundum naturam, sunt subiectum et forma [Φανερὸν οὖν ὡς, εἴπερ εἰσὶν αἰτίαι καὶ ἀρχαὶ τῶν φύσει ὄντων, ἐξ ὧν πρώτων εἰσί, καὶ γεγόνασι μὴ κατὰ συμβεβηκός, . . . ὅτι γίγνεται πᾶν ἔκ τε τοῦ ὑποκειμένου καὶ τῆς μορφῆς: Phys. I 7, 190 b 17] . . . Addit tertium principium per accidens . . . , scil. contrarietatem et privationem [στέρησις, 190 b 27], ut immusicum et infiguratum . . . Patet ergo secundum intentionem Aristotelis quod privatio, quae ponitur principium naturae per accidens, non est aliqua aptitudo ad formam vel inchoatio formae vel aliquod principium imperfectum activum, ut quidam dicunt, sed ipsa carentia formae vel contrarium formae, quod subiecto accidit . . . Manifestat praemissa principia. Et dicit quod natura quae primo subicitur mutationi, idest materia prima, non potest sciri per seipsam, cum omne quod cognoscitur, cognoscatur per suam formam ; materia autem prima consideratur subiecta omni formae. Sed scitur secundum analogiam . . . Sic enim cognoscimus, quod lignum est aliquid praeter formam scamni et lecti, quia quandoque est sub una forma, quandoque sub alia. Cum igitur videamus hoc quod est aër quandoque fieri aquam, oportet dicere quod aliquid exsistens sub forma aëris, quandoque sit sub forma aquae : et sic illud est aliquid praeter formam aquae et praeter formam aëris, sicut lignum est aliquid praeter formam scamni et praeter formam lecti. Quod igitur sic se habet ad ipsas substantias naturales, sicut se habet aes ad statuam et lignum ad lectum, et quodlibet materiale et informe ad formam, hoc dicimus esse materiam primam. Hoc igitur est unum principium naturae : quod non sic unum est "sicut hoc aliquid", hoc est, sicut aliquod individuum demonstratum, ita quod habeat formam et unitatem in actu ; sed dicitur ens et unum, inquantum est in potentia ad formam » (Ἡ δ' ὑποκειμένη φύσις ἐπιστητὴ κατ' ἀναλογίαν. ὡς γὰρ πρὸς ἀνδριάντα χαλκὸς ἢ πρὸς κλίνην ξύλον ἢ πρὸς τῶν ἄλλων τι τῶν ἐχόντων μορφὴν ἡ ὕλη καὶ τὸ ἄμορφον ἔχει πρὶν λαβεῖν τὴν μορφήν, οὕτως αὕτη πρὸς οὐσίαν ἔχει καὶ τὸ τόδε τι καὶ τὸ ὄν: Phys. I 7, 191 a 8. *S. Thom.* lect. 13 n. 1—4 9 ; cf. Arist., Met. VIII 1, 1042 a 32 ; S. Thom. lect. 1 n. 1688 sq. : « Generatio et corruptio substantialis

sunt principium veniendi in cognitionem materiae primae.») Λέγω γὰρ ὕλην τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἑκάστῳ, ἐξ οὗ γίγνεταί τι ἐνυπάρχοντος μὴ κατὰ συμβεβηκός. εἴτε φθείρεται, εἰς τοῦτο ἀφίξεται ἔσχατον. «Materiam id dico quod primum est uniuscuiusque subiectum, e quo quippiam eo fit pacto ut non per accidens insit; et si corrumpitur, ad hoc ultimum sane proficiscetur» (Phys. I 9, 192 a 31; cf. S. Thom. ib. lect. 15 n. 11; Spir. creat. a. 1 c). «Dicit [Aristoteles] quod post determinatam veritatem de principiis, dicendum est quod solum ista via omnis ... dubitatio antiquorum solvitur [Μοναχῶς οὕτω λύεται καὶ ἡ τῶν ἀρχαίων ἀπορία: Phys. I 8, 191 a 23] ... Primi qui secundum philosophiam inquisierunt veritatem et naturam rerum, ... dixerunt quod nihil neque generatur neque corrumpitur: quod est et contra veritatem et contra naturam ... Nescierunt hanc rationem solvere, ... si ens fit, aut fit ex ente aut ex non ente: et utrumque horum videtur esse impossibile, ... ex ente ... [:] ens iam est; ergo non fit ... Ex non ente ... [:] ex nihilo nihil fit. Et ex hoc concludebatur quod entis non erat generatio neque corruptio. Et ulterius [dicebant] quod non essent multa entia, sed unum ens tantum ... Solvit praedictam obiectionem ... Materia, quae est ens in potentia, est id ex quo fit aliquid per se: haec est enim quae intrat substantiam rei factae. Sed ex privatione vel forma praecedente fit aliquid per accidens ... Ultimo [dicit] quod ... haec natura manifestata, scil. materia, solvit omnem illorum ignorantiam» (*S. Thom.*, In Phys. I 8 lect. 14 n. 2 3 8 9). «Dicit [Aristoteles], quod simpliciter generatur aliquid quodam modo ex non ente, alio modo ex ente: oportet enim illud quod praeexsistit generationi, esse potentia ens, actu autem non ens. Et ita verum est quod dicitur utroque modo: scil. quod generatio simpliciter sit ex ente, et ex non ente» (Τρόπον μέν τινα ἐκ μὴ ὄντος ἁπλῶς γίγνεται, τρόπον δὲ ἄλλον ἐξ ὄντος ἀεί· τὸ γὰρ δυνάμει ὂν ἐντελεχείᾳ δὲ μὴ ὂν ἀνάγκη προϋπάρχειν: De gen. et corr. I 3, 317 b 15. *S. Thom.* lect. 6 n. 7; cf. Arist. l. c. II 1, 329 a 24; De an. II 1, 412 a 7; S. Thom. lect. 1 n. 213 sqq.; In Phys. II 1 lect. 2; Op. [31] De princ. nat.; Pot. 3, 8; S. th. I 76, 4). «Formae proprie non fiunt, sed educuntur de potentia materiae, inquantum materia quae est in potentia ad formam fit actu sub forma, quod est facere compositum» (*S. Thom.*, In Met. VII 8 lect. 7 n. 1423; cf. Virt. i. com. a. 11; S. th. I 65, 4; 90, 2 ad 2). Cf. text. ad 259 374—377 (generatio — corruptio) 378 382.

Thesis 5: *Materia prima est pura potentia, forma vero substantialis est actus substantialis primus.*

258. St. qu. 1. Distinguimus actum formalem seu actum essentiae — formam, et actum entitativum seu actum exsistentiae — exsistentiam. Actus formalis est actus determinans potentiam materiae atque ita constituens determinatam essentiam physicam; actus entitativus est id, quo aliquid formaliter est extra causas et extra nihilum seu id, quo est in rerum natura exsistens.

In thesi dicimus materiam primam esse puram potentiam absolute, ita ut careat quocumque actu substantiali sive formali sive entitativo, ac proinde forma sit eius actus substantialis simpliciter primus. Actus igitur entitativus est actus complens potentiam non solius materiae, sed essentiae constitutae ex materia et forma. Sicut enim materia est in potentia ad formam, ita essentia est in potentia ad exsistentiam.

2. Thesis est contra Scotum, qui defendit materiam primam ante formam habere aliquem actum entitativum, et generatim contra eos omnes, qui realem distinctionem inter essentiam et esse respuunt. Hi nimirum, cum non possint capere aliquid, quod sit reale nec tamen habeat aliquod esse sibi identificatum, ponunt materiam ex se iam habere aliquem actum metaphysicum, aliquod esse incompletum, quod per formam eiusque exsistentiam, quam secum identificatam habet, compleatur. Quare sicut materia et forma sunt substantiae incompletae, quae se complent ad invicem, ita in hac sententia materia et forma sunt etiam exsistentiae incompletae, quae se complent inter se.

3. Nostra sententia defenditur ab Aristotele, S. Augustino[1], S. Thoma eiusque schola, S. Bonaventura (1221—1274) aliisque bene multis.

259. Prob. th. Ex eo quod materia prima est subiectum formae substantialis : Materia prima est substratum suscipiens formam substantialem. Atqui materia prima, quae non est pura potentia, non potest esse substratum suscipiens formam substantialem. Ergo materia prima est pura potentia.

Prob. min. Forma substantialis est forma dans esse substantiale. Materia autem quae non est pura potentia, iam habet esse sub-

---

[1] *S. Augustinus :* « Ego vero, Domine, si totum confitear tibi ore meo et calamo meo, quidquid de ista materia docuisti me, cuius antea nomen audiens et non intelligens, narrantibus mihi eis qui non intelligerent, eam cum speciebus innumeris et variis cogitabam et ideo non eam cogitabam : foedas et horribiles formas perturbatis ordinibus volvebat animus, sed formas tamen et informe appellabam, non quod careret forma, sed quod talem haberet, ut si appareret, insolitum et incongruum aversaretur sensus meus et conturbaretur infirmitas hominis ; vere autem illud quod cogitabam, non privatione omnis formae, sed comparatione formosiorum erat informe ; et suadebat vera ratio, ut omnis formae qualescumque reliquias omnino detraherem, si vellem prorsus informe cogitare ; et non poteram, citius enim non esse censebam, quod omni forma privaretur, quam cogitabam quiddam inter formatum et nihil, nec formatum nec nihil, informe, prope nihil ; et cessavit mens mea interrogare hinc spiritum meum, plenum imaginibus formatorum corporum, et eas pro arbitrio mutantem atque variantem, et intendi in ipsa corpora, eorumque mutabilitatem altius inspexi, qua desinunt esse quod fuerant et incipiunt esse quod non erant, eundemque transitum de forma in formam per informe quiddam fieri suspicatus sum, non per omnino nihil (sed nosse cupiebam, non suspicari) ; et si totum tibi confiteatur vox et stilus meus, quidquid de ista quaestione enodasti mihi, quis legentium capere durabit? Nec ideo tamen cessabit cor meum dare tibi honorem et canticum laudis de iis, quae dictare non sufficit. Mutabilitas enim rerum mutabilium ipsa capax est formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles. Et haec quid est? Numquid animus? Numquid corpus? Numquid species animi vel corporis? Si dici potest : Nihil aliquid quod est et non est, hoc eam dicerem ; et tamen iam utcumque erat, ut species caperet istas visibiles et compositas » (Confess. XII 6).

stantiale. Ergo non potest hoc esse recipere a forma. Per esse substantiale, quocum identificatur, materia iam est substantia per se subsistens. Quare forma eam non substantialiter, sed accidentaliter tantum determinare potest tamquam forma accidentalis dans esse secundarium. Unius enim substantiae non est nisi unum esse substantiale.

At dicunt adversarii : Materia, quae non est pura potentia, habet esse substantiale incompletum. Ergo potest esse substratum suscipiens formam dantem esse substantiale, i. e. completionem primi esse substantialis.

Resp. : repugnare esse incompletum. Esse ex natura sua sistit in indivisibili. Omnis essentia, etiam essentia composita corporea, non habet nisi unum esse, quo partes eius omnes, sive essentiales : materia et forma, sive integrales, exsistunt. Hae partes, tamquam partes unius eiusdemque essentiae, unius eiusdemque entis, non sunt exsistentes nisi mediante toto, mediante esse totius. Esse respicit immediate totum ; partes respicit mediate, mediante toto. Esse reddit exsistens totum qua tale, et ita reddit etiam partes exsistentes. In partibus non est nisi mediate, mediante toto ; immediate est in toto. Pars, quae immediate haberet esse, esset per se absolute. Iam non posset esse pars alterius, sed constitueret essentiam in se perfecte terminatam, sive substantialiter tamquam substantia, sive accidentaliter tamquam accidens. Ubicumque igitur habetur multiplex esse, habetur etiam multiplicitas entium, multiplicitas essentiarum, et totum ita constitutum iam non est unum per se, sed unum per accidens tantum, sicut substantia cum accidentibus suis, aut homo cum vestimentis, aut acervus lapidum (cf. n. 707, 3).

260. Coroll. 1. Ergo materia prima est realiter distincta ab exsistentia neque dicit ordinem ad actum entitativum, ad exsistentiam, nisi mediante forma, ac proinde absolute repugnat materiam sine forma exsistere. Immo etiam forma ac proinde tota essentia physica est realiter distincta ab exsistentia. Non enim potest esse exsistentia identificata cum forma, quia omnis forma informans, essentialiter incompleta est, exsistentia autem semper est completa [1]. Thesis igitur nostra argumentum constituit physicum pro reali distinctione inter essentiam et exsistentiam.

2. Ergo unum est esse seu una exsistentia totius compositi, quod ideo est unum per se seu unum ens.

3. Ergo esse substantiale est esse absolute primum, et

---

[1] Etiam forma non informans seu essentia creata pure spiritualis ac proinde omnis essentia creata est realiter distincta ab exsistentia ; at hoc non est probandum in Philosophia naturali, sed in Metaphysica.

forma substantialis est forma dans esse absolute primum, ita ut, quidquid aliud superaddatur, sit accidens (ut color) aut substantia alteri substantiae accidentaliter unita (ut pileus).

4. Ergo exsistentia seu actus entitativus est actus ultimus, i. e. ultimo terminans et complens essentiam; quod enim ulterius superadditur, est nova essentia alteri accidentaliter coniuncta. Quare unum per se, unum ens, non est nisi cuius unum est esse.

5. Ergo, ut ex duabus substantiis incompletis resultet una essentia substantialis completa, requiritur, ut altera substantia incompleta sit pura potentia, altera vero eius actus primus (cf. n. 722—725).

6. Ergo non possunt duae formae substantiales simul informare eandem materiam (contra Scotum et S. Albertum). Forma enim superveniens formae iam non esset actus substantialis primus.

7. Ergo formae elementorum non manent actu in composito, quod substantiali mutatione ex ipsis oritur (ut cum ex hydrogenio et oxygenio fit aqua), manent tamen virtute, ut experientia docet, i. e. manent qualitates (vires) propriae elementorum, licet aliquomodo alteratae. Et haec est ratio, cur in resolutione compositi reappareant elementa (cf. n. 405—408).

261. Schol. ad solvendas difficultates. *a)* Inter merum nihil et actum datur tertium: realis potentia. Materia utpote pura potentia nullo modo significat actum seu perfectionem, sed omni ex parte potentialitatem, imperfectionem, est tamen ens reale, sed prorsus imperfectum, ultima linea realitatis, pura potentia realis, quae actuatur seu evolvitur per formam et exsistentiam.

b) Duplici modo potest aliquid esse reale seu exsistere in rerum natura: *α)* ut «quod», i. e. ut totum quod est, *β)* ut «quo», sive potentiale sive actuale, i. e. ut pars sive potentialis sive actualis, qua est totum. Materia et forma, essentia et exsistentia sunt partes, quibus est ens completum corporeum, seu quibus exercet essendi actum: materia est pars pure potentialis, forma pars actualis — actus primus; exsistentia est pars actualis — actus secundus; essentia est pars potentialis relate ad exsistentiam. Ideo in forma dicimus: materia exsistit, *dist.*: Ut quod, *nego*; ut quo, *subdist.*: Ut quo actuale, *nego*; ut quo pure potentiale, *conc.*

c) Materia et forma, essentia et exsistentia dependent ad invicem seu se sustentant ad invicem — causae sunt sibi invicem causae, et ita est totum seu exercet essendi actum: forma dependet a materia in ordine causae materialis, materia a forma in ordine causae formalis; similiter exsistentia dependet ab essentia in ordine causalitatis materialis, essentia ab exsistentia in ordine causae formalis. Influxus autem causalis, quo materia sustentat formam, est mere passivus seu potentialis; quare ad eum exercendum sufficit, ut materia sit realis potentia, nec requiritur, ut habeat aliquem actum.

262. Obi. 1. Pura potentia est merum nihil. Atqui materia prima non est merum nihil. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Nihil actu, *conc.;* nihil potentia, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui materia prima non est nihil actu. *Probo.* Non est nihil actu, quod exsistit in rerum natura. Atqui materia prima exsistit in rerum natura. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod exsistit ut quod, *conc.;* ut quo, *subdist.:* Ut quo actuale, *conc.;* ut quo potentiale, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui materia prima exsistit ut quo actuale. *Probo.* Ut quo actuale exsistit, quod suscipit formam. Atqui materia prima suscipit formam. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod suscipit ut pura potentia, *nego;* quod non suscipit ut pura potentia, *conc. Contradist. min.*

4. Atqui materia prima non suscipit formam ut pura potentia. *Probo.* Non suscipit formam ut pura potentia, quod causalitatem exercet in formam. Atqui materia causalitatem exercet in formam. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod causalitatem exercet mere materialem, *nego;* quod causalitatem exercet non mere materialem, *conc. Contradist. min.*

Bibliographia ad 258—261: *B. Baudoux,* De forma corporeitatis scotistica, Ant 13 (1938) 429—474.

Ad 259 sqq. *Aristoteles:* « Materia in se non potest sufficienter cognosci nisi per motum; et eius investigatio videtur praecipue ad Naturalem pertinere. Unde et Philosophus accipit hic de materia, quae in physicis sunt investigata, dicens: Dico autem materiam esse, quae secundum se, idest secundum sui essentiam considerata, nullatenus est neque quid, idest neque substantia, neque qualitas neque aliquid aliorum generum, quibus ens dividitur vel determinatur [Λέγω δ' ὕλην ἣ καθ' αὑτὴν μήτε τὶ μήτε ποσὸν μήτε ἄλλο μηθὲν λέγεται οἷς ὥρισται τὸ ὄν: Met. VII 3, 1029 a 20]. Et hoc praecipue apparet motu. Oportet enim subiectum mutationis et motus alterum esse, per se loquendo, ab utroque terminorum motus, ut probatum est in primo Physicorum. Unde cum materia sit primum subiectum substans non solum motibus, qui sunt secundum qualitatem et quantitatem et alia accidentia, sed etiam mutationibus, quae sunt secundum substantiam, oportet quod materia sit alia secundum sui essentiam ab omnibus formis substantialibus et earum privationibus, quae sunt termini generationis et corruptionis; et non solum quod sit aliud a quantitate et qualitate et aliis accidentibus . . . Materia enim non potest per se exsistere sine forma, per quam est ens actu, cum de se sit in potentia tantum; ipsa enim non est hoc aliquid nisi per formam, per quam fit actu » (*S. Thom.*, In Met. VII lect. 2 n. 1285 sq. 1292). *S. Thomas:* « Omnes antiqui, qui posuerunt materiam primam esse aliquid actu, . . . dixerunt quod fieri nihil erat nisi alterari; et Aristoteles eorum dubitationem solvit ponendo materiam esse in potentia tantum; quam dicit esse subiectum generationis et corruptionis simpliciter » (Spir. creat. a. 3). « Omne quod est actu; vel est ipse actus, vel est potentia participans actum: esse autem actu repugnat rationi materiae, quae secundum propriam rationem est ens in potentia. Relinquitur ergo quod non possit esse in actu nisi inquantum participat actum: actus autem participatus a materia nihil est aliud quam forma; unde idem est dictu, materiam esse in actu, et materiam habere formam. Dicere ergo quod materia sit in actu sine forma, est dicere contradictoria esse simul; unde a Deo fieri non potest » (Qdl. III a. 1; cf. Op. [31] De princ. nat.; Pot. 3, 5 ad 3; a. 8; q. 4, 1; Ver. 3, 5; Comp. 74; S. th. I 7, 2 ad 3; 15, 3 ad 3; 44, 2; 66, 1).

Ad 260. *Aristoteles:* Ἀδύνατον γὰρ οὐσίαν ἐξ οὐσιῶν εἶναι ἐνυπαρχουσῶν ὡς ἐντελεχείᾳ· τὰ γὰρ δύο οὕτως ἐντελεχείᾳ οὐδέποτε ἐν ἐντελεχείᾳ (Met. VII 13, 1039 a 3). Ad quae *S. Thomas:* « Impossibile est enim aliquam substantiam esse ex pluribus substantiis, quae sunt in ea actu. Duo enim, quae sunt in actu, numquam sunt unum actu . . . Et hoc ideo, quia actus habet virtutem separandi et dividendi. Unumquodque enim dividitur ab altero per propriam formam. Unde ad hoc, quod aliqua fiant unum actu, oportet quod omnia concludantur sub una forma, et quod non habeant singula singulas formas, per quas sint actu. Quare patet quod si substantia particularis est una, non erit ex substantiis in ea exsistentibus actu » (In Met. VII lect. 13 n. 1588). *S. Thomas:* « In substantiis compositis ex materia et forma est duplex compositio actus et potentiae : prima quidem ipsius substantiae, quae componitur ex materia et forma ; secunda vero ex ipsa substantia iam composita et esse ; quae etiam potest dici ex quod est et esse ; vel ex quod est et quo est » (C. g. II 54 ; cf. S. th. I 50, 2 ad 3). « Impossibile est quod unius rei non sit unum esse » (S. th. III 17, 2). « Ipsum esse est actus ultimus, qui participabilis est ab omnibus, ipsum autem nihil participat » (Q. d. an. a. 6 ad 2). « Nihil est simpliciter unum nisi per formam unam, per quam habet res esse : ab eodem enim habet res quod sit ens, et quod sit una ; et ideo ea quae denominantur a diversis formis, non sunt unum simpliciter, sicut homo albus » (S. th. I 76, 3 ; cf. C. g. II 58 ; Q. d. an. a. 11, et text. ad 530 630). « Vera mixtio . . . est secundum totum : sed mixtio ad sensum . . . secundum minima iuxta se posita » (S. th. I 76, 4 ad 4). « Miscibilia etsi sint in potentia in mixto, tamen non sunt in eo in potentia pure passiva. Manent enim virtute in mixto. Quod ex hoc potest patere, quia mixtum habet motum et operationes ex virtute corporum miscibilium ; quod non potest dici de his, quae sunt in potentia in materia prima » (In Met. I lect. 12 n. 196 ; cf. text. ad 406).

§ 3. Quomodo uniantur principia seu materia et forma ad constituendum ens mobile completum

Thesis 6 : *Materia et forma non mediante aliquo modo, sed immediate seipsis uniuntur formaliter, inquantum subsunt actioni unienti, a causa efficiente profectae.*

263. St. qu. Unio potest sumi quadrupliciter: *a)* effective pro actione uniente ab efficiente profecta ; *b)* dispositive pro dispositionibus, quibus subiectum est dispositum ad formam aliquam habendam, sicut corpus humanum organisatione speciali et qualitatibus specialibus est dispositum ad hoc, ut sit informatum anima humana ; *c)* formaliter pro ipsa unitate seu formalitate, qua aliqua plura quomodocumque unum constituuntur ; *d)* relative pro relatione, quae sequitur unitatem, quatenus unita ad invicem se respiciunt tamquam unita.

Unionem formaliter consideratam materiae ad formam esse modum substantialem distinctum a materia et forma docet Suárez, contra quem ponitur I pars thesis ; pars II est de unione effective considerata.

264. Prob. th. I p.: Materia et forma immediate seipsis uniuntur formaliter. Ex notione causae intrinsecae : Seipsis immediate uniuntur formaliter, quae sua ipsius entitate immediate ad invicem causalitatem exercent per modum partium. Atqui materia et forma sua ipsius entitate immediate ad invicem causalitatem exercent per modum partium. Ergo materia et forma immediate seipsis uniuntur formaliter.

Mai. patet : Quae partes sunt, uniuntur ; quae partes sunt ita, ut sua ipsius entitate immediate ad invicem causalitatem exerceant, immediate formaliter uniuntur.

Ad min. Materiam et formam esse partes constituentes totum seu substantiam completam, ex ipsa essentia patet materiae et formae ; materiam et formam ad invicem causalitatem exercere immediate sua ipsius entitate probatur : Forma causalitatem exercet in materiam, quatenus actuat materiam, materia in formam, quatenus eam recipit et sustentat. Atqui forma immediate sua ipsius entitate actuat materiam, et materia immediate sua ipsius entitate recipit et sustentat formam. Forma enim per essentiam suam est actus materiae seu evolutio eius, et materia per essentiam suam est potentia sustentativa formae. Nam haec est differentia inter causas intrinsecas (materiam et formam) et causas extrinsecas (efficientem et finalem), quod hae non ingrediuntur tamquam partes in id quod causant, illae autem partes sunt effectus ab ipsis constituti.

Prob. II p.: Materia et forma uniuntur, inquantum subsunt actioni unienti a causa efficiente profectae. Causae intrinsecae, licet per seipsas causent, non causant tamen nisi dependenter a causa efficiente, quae eas applicat.

Unio haec effective considerata seu actio uniens non differt ab actione eductiva ipsius formae, excepta generatione (et resurrectione) hominis. In generatione hominis actio uniens ex parte parentum est applicativa tantum materiae dispositae ad formam, ideo terminat actionem, qua disponitur materia ; ex parte autem Dei actio uniens coniungitur creationi animae. Deus enim creando infundit seu unit animam corpori.

265. Schol. De composito naturali. Materia et forma ad invicem causalitatem exercendo per modum partium, causant etiam seu constituunt totum compositum naturale. Hoc totum seu essentia corporea completa non est tertia realitas distincta a partibus unitis, sed est ipsa realitas partium unitarum. Totum enim sunt ipsae partes unitae simul sumptae, neque in causis intrinsecis, quae causant per modum partium, necesse est effectum (mediatum, ultimum, qui est totum constitutum) esse distinctum a causis. Ceterum, si diceretur compositum esse realitatem distinctam, induceretur

processus in infinitum. Haec enim nova realitas certe compositionem faceret cum partibus, ex quibus resultare dicitur. Sed ita aliud resultaret totum compositum, quod iterum deberet esse nova realitas distincta a tribus partibus, ex quibus resultaret etc.

266. Obi. 1. Quae uniuntur formaliter mediante causalitate, non uniuntur seipsis. Atqui materia et forma formaliter uniuntur mediante causalitate. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si causalitatem non exercent sua ipsius entitate, *conc.;* si causalitatem exercent sua ipsius entitate, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui materia causalitatem non exercet sua ipsius entitate. *Probo.* Non exercet causalitatem sua ipsius entitate, quod causalitate sua mutatur. Atqui materia causalitate sua in formam mutatur. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod mutatur transcendentaliter tantum, *nego;* non transcendentaliter tantum, sed suscipiendo novam entitatem a se distinctam, *conc. Contradist. min.:* Transcendentaliter tantum mutatur, *conc.;* non transcendentaliter tantum, sed suscipiendo novam entitatem seu modum substantialem distinctum a se et a forma, *nego.*

Ad 264. « Sicut dictum est, ultima materia, quae scil. est appropriata ad formam, et ipsa forma sunt idem. Aliud enim eorum est sicut potentia, aliud sicut actus. Unde simile est quaerere quae est causa alicuius rei, et quae est causa, cur illa res sit una ; quia unumquodque, inquantum est, unum est, et potentia et actus quodammodo unum sunt. Quod enim est in potentia, fit in actu. Et sic non oportet ea uniri per aliquod vinculum, sicut ea quae sunt penitus diversa. Unde nulla causa est faciens unum ea quae sunt composita ex materia et forma, nisi quod movet potentiam in actum » (Αἴτιον οὐθὲν ἄλλο πλὴν εἴ τι ὡς κινῆσαν ἐκ δυνάμεως εἰς ἐνέργειαν: Met. VIII 6, 1045 b 21. *S. Thom.* lect. 5 n. 1767 ; cf. Q. d. an. a. 8 ; Ver. 13, 4 ad 4 ; C. g. II 71 ; S. th. I 76, 6 et 7 ; Spir. creat. a. 2 ad 8).

§ 4. De principiis entis mobilis, inquantum sunt principia motus et quietis, seu de natura et de iis, quae opponuntur naturae, i. e. de arte et de violento

267. Multiplex acceptio naturae. « Nomen naturae primo impositum est ad significandam generationem viventium, quae dicitur nativitas. Et quia huiusmodi generatio est a principio intrinseco, extensum est hoc nomen ad significandum principium intrinsecum cuiuscumque motus. Et sic definitur natura in II Physic. Et quia huiusmodi principium est formale vel materiale, communiter tam materia quam forma dicitur natura. Et quia per formam completur essentia uniuscuiusque rei, communiter essentia uniuscuiusque rei, quam significat eius definitio, vocatur natura . . . Unde Boëthius in eodem libro [De duabus naturis] dicit quod natura est unumquodque informans specifica differentia: specifica enim differentia est quae complet definitionem, et sumitur a propria forma rei » (S. Thom., S. th. I 29, 1 ad 4). « Nomen naturae . . . videtur significare essentiam rei secundum quod habet ordinem ad propriam operationem rei » (Id., De ente et ess. c. 1). Aliquando natura sumitur etiam

pro universitate rerum, aliquando pro ipso Deo auctore naturae (natura naturans). Aristotelem secuti, hic consideramus naturam, prout est principium intrinsecum motus.

268. Naturae definitio. Natura definitur ab Aristotele: « principium et causa motus et quietis in eo, in quo est, primo et per se, et non secundum accidens » (Phys. II 1). Explicatur definitio: *a)* « principium et causa », i. e. principium sive passivum tantum sive etiam activum; in viventibus enim natura est principium motus et passivum et activum, quatenus vivens movet seipsum ac proinde habet naturam tamquam principium sui motionis; in non-viventibus est principium passivum tantum, quatenus non-vivens est mobile tantum ab alio ac proinde habet naturam tamquam principium, quo constituitur mobile ab alio; *b)* « motus et quietis », i. e. motus physici seu sensibilis et quietis possessivae termini; *c)* « in eo, in quo est »: natura est motus principium, quod est in eo ipso, quod movetur; in vivente est principium intrinsecum viventi, quo hoc movet seipsum, in non-vivente est principium intrinsecum non-viventi, quo hoc constituitur mobile ab alio; *d)* « primo et per se et non secundum accidens », i. e. natura est principium motus primum substantiale, quo excluduntur accidentia, quae non sunt nisi principia proxima et instrumentalia.

Definitio naturae etiam ita proponi potest: Natura est principium primum seu substantiale intrinsecum, quo res aliqua constituitur mota a se (natura in viventibus) aut mobilis ab alio (natura in non-viventibus).

269. Quibus conveniat ratio naturae. Ratio naturae convenit materiae et formae. Materia est principium passivum motus, forma est principium passivum in mineralibus, passivum et activum in viventibus. Compositum ex materia et forma strictissime non est natura, quia non est absolute primum principium, sed principiatum seu constitutum ex primis principiis motus et quietis, quae sunt materia et forma. Attamen communiter etiam compositum hoc vocatur natura, quia est primum principium « quo » motus, qui convenit supposito. Ita tota natura sua kalium (suppositum) constituitur mobile ab oxygenio.

270. Natura essentialiter differt ab arte. Ars dupliciter accipi potest: *a)* pro habitu intellectuali circa opera facienda, *b)* pro effectu ab arte producto, pro artefacto. Natura essentialiter differt ab habitu artis; nam natura est aliquid corporei, est substantia vel principium substantiae et primum principium omnis motus sensibilis; habitus artis est aliquid spirituale, accidens et secundum principium alicuius motus. Natura essentialiter differt ab arte-

facto; nam natura est substantia, artefactum autem, ut tale, est aliquid accidentale, forma accidentalis, ut forma serrae; natura est motus principium, quod est in eo, quod movetur, artefactum autem neque habet in se principium, quo constituatur motum a se, sed movetur ab alio, ab artifice, neque habet, ut artefactum, in se principium, quo constituatur mobile ab alio; constituitur enim mobile, ut natura est, non ut est artefactum, quamquam concedendum est artefactum ratione sui constitui facilius et aptius mobile. Multo magis a natura differt violentum. In naturali seu in re prout habet naturam, motus est ab intrinseco ac proinde omnino secundum inclinationem rei, in artefacto motus est ab extrinseco, in violento autem motus non tantum ab extrinseco est, sed etiam contra inclinationem rei, cui violentia infertur.

271. Motus naturalis microstructurae. Secundum determinismum physico-mechanicum omnis motus, causis et circumstantiis cognitis, accurate mensurari potest. Quia autem hoc in multis phaenomenis microstructurae fieri nequit, adhibetur computatio probabilitatis secundum leges statisticas. Multi tamen theoriis Idealismi inducti cognitionem imperfectam subiecti substituunt pro natura ipsius obiecti et in sententiam abeunt leges probabilitatis in natura atomi inesse, quia neque locus neque velocitas particulae in determinato temporis momento praevideri et praedeterminari possunt (relatio indeterminationis Heisenberg 1927), et ea sola realiter esse ponunt, quae experimentis manifestantur ut realitates cognitae. Quidam etiam particulis structurae atomicae quasi liberum arbitrium quoad motum attribuunt, quia leges motus experimentaliter determinare usque hodie non contingit. Ultra concludunt principium causalitatis extendi non posse ad facta corporum microstructurae.

At contra doctrina scholastica solutionem tum determinismi mechanici tum indeterminismi probabilistici reprobans statuit determinismum intrinsecum quatenus intrinseca agendi principia insunt in natura corporum, quorum elementa intra spatium minimae distantiae atomi aliter agunt et reagunt quam secundum leges motus mere mechanici et extrinseci. Motus enim atomici a principio naturae intrinseco proveniunt, quin tamen sint actiones liberae; resultant igitur necessario ex principiis naturae intrinsecis, nobis adhuc non satis notis, elementorum.

Bibliographia. *A. Breuer*, Objektiver Zufall als Erklärungsmöglichkeit des Indeterminismus in der Mikrophysik? FZPhTh 3 (1956) 257—286. *J. A. Weisheipl*, The Concept of Nature, NSch 28 (1954) 377—408. *Id.*, Natural and Compulsory Movement, NSch 29 (1955) 50—81.

Ad 268. *Aristoteles:* Οὔσης τῆς φύσεως ἀρχῆς τινὸς καὶ αἰτίας τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως καθ' αὑτὸ καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός (Phys. II 1, 192 b 21; cf. S. Thom. lect. 1 n. 5).

Quaestio III : *De distinctione entis mobilis a quantitate.*

Thesis 7 : *Essentia corporis a quantitate eius distinguitur realiter. Ipsa autem substantia corporea, antecedenter ad quantitatem, non habet extensionem aliquam entitativam, sed est entitas integraliter simplex, radicaliter tantum exigens partes. Sub quantitate tamen obtinet partes substantiales integrales, quae ut partes substantiales formaliter constituuntur a substantia tamquam a causa formali, ut partes integrales autem a quantitate.*

272. St. qu. Ut accurate determinemus, quid sit ens mobile, necesse est determinemus etiam de eius habitudine ad quantitatem. Aliqui enim essentiam entis mobilis seu corporis physici a quantitate omnino non distinguebant, alii vero hanc distinctionem perperam explicabant. Quare operae pretium est de hac distinctione speciatim disserere.

Secundum Cartesium « quantitas a substantia extensa in re non differt, sed tantum ex parte nostri conceptus, ut et numerus a re numerata » (Principia philosophiae II 8). Suárez et qui ipsum sequuntur, etsi concedunt hanc distinctionem, substantiae tamen tribuunt ante quantitatem extensionem aliquam entitativam. Existimat enim Suárez « duplicem distinctionem inter partes materiae, quae quantitati subsunt, considerandam esse : unam entitativam, alteram situalem. Materia enim quae est in capite sub quantitate capitis, et est res partialis distincta a materia quae est in pede, et situ distat ab illa. De situali ergo distinctione dubium non est, quin a quantitate radicaliter proveniat ; de entitativa vero id censeo falsum et impossibile. » Post pauca deinde subsequitur : « Dicendum ergo est, extensionem, quam confert quantitas, in hoc consistere, quod res affecta quantitate, ex vi illius nata est habere extensionem partium in ordine ad locum, ita ut ex natura talis accidentis occupare necessario debeat extensum locum. Unde ad usum terminorum distinguere possumus triplicem extensionem : una est entitativa, quae non pertinet ad effectum quantitatis, ut dictum est, sed potest inter partes substantiae et qualitatis reperiri sine quantitate. Alia dici potest extensio localis seu situalis in actu. Et haec est posterior quantitatis. Alia denique est extensio quantitativa, quae dici potest situalis aptitudine, et in hac ponimus rationem formalem quantitatis. Quae declaratur inter duas materias seu duo corpora, nam quod materia huius corporis substantialiter ac realiter sit distincta a materia illius, non habet a quantitate, . . . sed a sua propria entitate. Quod vero illae duae materiae ita sint affectae, ut necessario debeant extendi seu separari loco, id provenit formaliter a quantitate. Quod ergo in diversis corporibus seu materiis quasi totalibus conspicimus, intelligendum etiam est in partibus eiusdem corporis seu materiae inter se unitis » (Disp. met. 40 sect. 4). Secundum

hanc itaque sententiam, abstractione facta a quibusdam secundariis, in quibus auctores inter se dissentiunt, ante quantitatem substantia habet partes in potentia, i. e. partes unitas et componentes unum totum, sed nondum actu divisas et distinctas. Ex opposito autem quidam Thomistae eousque progressi sunt, ut assererent non solum substantiam corpoream ex se non habere partes, sed ne sub ipsa quidem quantitate obtinere.

273. Prob. th. I p.: Essentia corporis a quantitate eius distinguitur realiter. Ex eo quod essentia corporis secundum se excludit partium pluralitatem : Non identificatur cum essentia corporis, quod in sua ratione formali includit pluralitatem partium. Atqui quantitas in sua ratione formali includit pluralitatem partium. Ergo quantitas non identificatur cum essentia corporis.

Min. patet ex ipsa quantitatis essentia, quae in ordine partium consistit (cf. n. 183 ; 315—318).

Ad mai. In oppositione ad quantitatem essentia corporis independens est ab omni partium pluralitate ; hanc in sua ratione formali non solum non includit, sed positive excludit : t o t a servatur u b i q u e in toto corpore. Hoc autem non esset, si corporis essentia secundum seipsam totalitatem quantitativam implicaret. Independenter itaque a mentis consideratione seu realiter non est idem a quo corpus sortitur naturam specificam (essentia), et a quo habet multitudinem partium eiusdem rationis ac totum (quantitas) [1].

Prob. II p.: Substantia corporea antecedenter ad quantitatem non habet extensionem aliquam entitativam. Ex eo quod sine quantitate non habetur ordo partium : Si substantia corporea antecedenter ad quantitatem habet extensionem aliquam entitativam, quantitas est de ratione ipsius essentiae. Atqui quantitas non est de ratione ipsius essentiae. Ergo substantia corporea antecedenter ad quantitatem non habet extensionem aliquam entitativam.

Ad mai. Si substantia corporea antecedenter ad quantitatem habet extensionem aliquam entitativam, ordo partium est de ratione ipsius essentiae. Ordo autem partium aliud non est quam ipsa quantitas.

Prob. III p.: Substantia corporea antecedenter ad quantitatem est entitas integraliter simplex, radicaliter tantum exigens partes. Ex defectu ordinis partium: Si antecedenter ad quantitatem non habetur ordo partium, substantia corporea est integraliter simplex. Atqui antecedenter ad quantitatem non habetur ordo partium, ut patet ex I p. Ergo antecedenter ad quantitatem substantia corporea est integraliter simplex.

---

[1] Theologice haec prima pars constat ex iis, quae fides de SS. Eucharistiae Sacramento docet, in quo quantitas a substantia separatur.

Ad mai. Si non habetur ordo partium, nullae habentur partes; ordo enim partium integralium est ipsa earum distinctio secundum positionem.

Exigit tamen substantia partes (est radicaliter composita ex partibus integralibus), quia exigit quantitatem, sub qua obtineat partes, ut probatur IV p.

Prob. IV p.: Substantia corporea sub quantitate obtinet partes substantiales integrales. Ex ipsa quantitatis essentia: Illud obtinet partes integrales, quod intrinsecus afficitur quantitate. Atqui substantia corporea intrinsecus afficitur quantitate. Ergo substantia corporea sub quantitate obtinet partes integrales.

Min. patet ex experientia.

Mai. explicatur ex ipsa essentia quantitatis; est enim ordo partium in toto, qui ordo est secundum distinctionem mere numericam, quo habetur pluralitas partium integralium.

Prob. V p.: Partes substantiales integrales ut partes substantiales formaliter constituuntur a substantia tamquam a causa formali, ut partes integrales autem a quantitate. Ex natura partium integralium substantiae: Quod pertinet ad lineam substantialem, constituitur formaliter a substantia, quod autem ad lineam accidentalem pertinet, formaliter ab accidente constituitur. Atqui partes substantiales integrales tamquam partes substantiales ad lineam substantialem pertinent, tamquam partes integrales autem ad lineam accidentalem (quantitatis). Ergo partes substantiales integrales tamquam partes substantiales constituuntur formaliter a substantia, tamquam partes integrales autem formaliter ab accidente (a quantitate) constituuntur.

274. Coroll. Ergo definitio corporis descriptiva: Corpus est substantia extensa seu composita ex partibus integralibus (cf. n. 251), intelligenda est de substantia secundum se quidem integraliter simplici, radicaliter tamen composita ex partibus integralibus, seu de substantia, quae expostulat diffluere in partes integrales et affici quantitate.

275. Schol. 1. Distingue in partibus formalitatem substantialem et accidentalem. Haec constituitur formaliter a quantitate, illa a substantia; cum coniunguntur substantia et quantitas, tunc simul, eodem instanti, constituunt partes. Substantia constituit substantialitatem, quantitas accidentalitatem partis. Formalitas substantialis partium est substantialis pluralitas et unio substantialis ad constituendam unam substantiam; formalitas accidentalis partium est earum designatio secundum prius et posterius (= ordo) et unio ac-

cidentalis secundum extremitates, secundum puncta, lineas et superficies. Substantia autem non potest constituere pluralitatem substantialem partium earumque unionem substantialem nisi sub receptione quantitatis hanc pluralitatem ordinantis (= designantis secundum prius et posterius) seu constituentis in ratione prioris et posterioris unientisque partes secundum extremitates. Quantitas distinguit (partes substantiales), i. e. ordinat tollendo confusionem; substantia distinguit (partes substantiales), i. e. pluralizat substantialiter. Sed hoc ultimum est constituere formaliter partes substantiales. Quantitas ordinat seu tollit confusionem constituendo formaliter prius et posterius (partem post partem), in quo includitur etiam unio accidentalis secundum extremitates, substantia constituente pluralitatem substantialem partium.

2. Ad solvendas difficultates nota : *a)* substantiam dempta quantitate non confluere in punctum et esse in aliquo inextenso spatii puncto ; punctum enim reale est terminus lineae, sicut linea est terminus superficiei, superficies vero terminus corporis, quae omnia sunt aliquid per quantitatem constitutum neque inveniuntur nisi in corpore quanto ; quare corpus dempta quantitate nusquam esset, i. e. in nulla spatii parte, sicut angelus non operans ; cessat enim habitudinem positivam ad spatium habere — esset tamen in universo sicut pars eius [1] ; *b)* partes substantiae dempta quantitate uniri se totis, compenetrari, confundi inter se, haec omnia non ita esse intelligenda, quasi pars positive flueret in partem, sed cessare simpliciter relationem situs tum externi tum interni, qua pars post partem ponitur, sicut cessat relatio ad spatium ; et exinde partes esse unitas substantialiter tantum, quia sunt partes unius substantiae, quo ipso tamen cessant etiam formaliter esse partes inter se distinctae.

3. Corpora mathematice divisibilia sunt sine fine; non vero physice. Nam unaquaeque pars ex divisione resultans semper est quanta, ergo iterum divisibilis. Sed « in corpore naturali invenitur forma naturalis, quae requirit determinatam quantitatem sicut et reliqua accidentia » (S. *Thom.*, In Phys. I lect. 9), quod prohibet, quominus in dividendo usque in infinitum procedi possit.

276. Obi. 1. Corpus identificatur cum quantitate. Atqui substantia corporea est corpus. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Corpus physicum, *nego ;* corpus mathematicum, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui etiam corpus physicum identificatur cum quantitate. *Probo.* Quod habet partes ordinatas, identificatur cum quantitate. Atqui corpus physicum habet partes ordinatas. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Partes essentiales ordinatas, *nego ;* integrales, *subdist. :* Sub quantitate realiter distincta et de-

pendenter ab ea, *nego ;* antecedenter ad hanc quantitatem, *conc. Contradist. min.*

3. Atqui corpus physicum habet partes integrales ordinatas antecedenter ad quantitatem. *Probo.* Partes integrales ordinatae sunt partes, quae non possunt praeberi a quantitate. Atqui partes, quae non possunt praeberi a quantitate, habet corpus physicum ante quantitatem. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Partes integrales ordinatae accidentales, *nego ;* substantiales, *subdist. :* Ad eas tamen requiritur quantitas tamquam conditio, *conc. ;* ad eas non requiritur quantitas tamquam conditio, *nego. Contradist. min. :* Si quantitas neque requiritur tamquam conditio, *conc. ;* si quantitas requiritur tamquam conditio, *nego.*

4. Atqui ad habendas partes substantiales ordinatas quantitas realiter distincta non requiritur tamquam conditio. *Probo.* Partes substantiales ordinatae continentur in definitione corporis. Atqui ad habendas partes iam in definitione corporis contentas non requiritur tamquam conditio quantitas aliqua realiter a substantia distincta. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Continentur in definitione corporis radicaliter, *conc. ;* formaliter, *nego. Contradist. min.*

Bibliographia ad 272—275 : *P. Mielle,* La matière et l'étendue, RTh 5 (1897/98) 763—787 ; 6 (1898/99) 16—31.

A d 273. *Aristoteles* realem distinctionem quantitatis a materia et forma, quae substantiam corpoream constituunt, docet Met. VII 3 (τὸ γὰρ ποσὸν οὐκ οὐσία : 1029 a 15 — [ἡ ὕλη] . . . μήτε ποσόν : ib. 20 ; cf. S. Thom. lect. 2 n. 1283 sq.), eamque eo ipso adstruit, quod quantitatem praedicamentum a substantia distinctum habet (cf. etiam Phys. I 2, 185 a 29 sqq.). Philosophus « ponit rationem quantitatis dicens, quod quantum dicitur quod est divisibile in ea quae insunt [Ποσὸν λέγεται τὸ διαιρετὸν εἰς ἐνυπάρχοντα, ὧν ἑκάτερον ἢ ἕκαστον ἕν τι καὶ τόδε τι πέφυκεν εἶναι : Met. V 13, 1020 a 7]. Quod quidem dicitur ad differentiam divisionis mixtorum. Nam corpus mixtum resolvitur in elementa, quae non sunt actu in mixto, sed virtute tantum. Unde non est ibi tantum divisio quantitatis, sed oportet quod adsit aliqua alteratio, per quam mixtum resolvitur in elementa. Et iterum addit, quod utrumque aut singulum est natum esse "unum aliquid", hoc est aliquid demonstratum. Et hoc dicit ad removendum divisionem in partes essentiales, quae sunt materia et forma. Nam neutrum eorum aptum est esse unum aliquid per se » *(S. Thom.* l. c. lect. 15 n. 977). *S. Thomas :* « Impossibile est in materia intelligere diversas partes, nisi praeintelligatur in materia quantitas dimensiva ad minus interminata, per quam dividatur, . . . quia separata quantitate a substantia remanet indivisibilis, ut in I Phys. Philosophus dicit » (II Dist. 3, 1 a. 4). « Habet autem et hoc proprium quantitas dimensiva inter accidentia reliqua, quod ipsa secundum se individuatur. Quod ideo est, quia positio, quae est ordo partium in toto, in eius ratione includitur : est enim quantitas positionem habens . . . Remota quantitate, substantia omnis indivisibilis est, ut patet per Philosophum in I Phys. [cf. c. 2, 185 a 33 b 16] » (C. g. IV 65 ; cf. In Boëth. de Trin. q. 5, 3 ad 3 ; Qdl. IX a. 6 ; S. th. I 50, 2 ; III 77, 2).

Caput II

QUALE SIT ENS MOBILE, SEU DE PROPRIETATE ENTIS MOBILIS, QUAE EST MOTUS

Quaestio I : *De motu et actione et passione.*

§ 1. Quid sit motus

277. Duplex acceptio motus. Motus sumitur : *a)* pro quacumque operatione, etiam immanente ; ita intelligere et velle dicuntur motus, et motus etiam Deo tribuitur ; *b)* pro mutatione, quae definiri potest : transitus de uno statu in alium.

278. Quotuplex sit mutatio. Mutatio est aut extrinseca aut intrinseca, quatenus transitus est secundum denominationem extrinsecam tantum aut non secundum denominationem tantum, sed secundum rem. Exemplum mutationis mere extrinsecae sit columna, quae ex dextra fit sinistra, eo quod homo situm mutat. Mutatio intrinseca est aut metaphysica aut physica, quatenus terminus formalis [1] mutationis est totum ens aut forma tantum. Mutatio metaphysica est triplex : creatio, transsubstantiatio, annihilatio, quatenus terminus est totum ens aut producendum, sive ex nihilo sive ex alio, aut tollendum. Mutatio physica [2] est mutatio intrinseca habens subiectum reale sub mutatione permanens, quod acquirit et amittit formam sive substantialem sive accidentalem (cf. n. 253, 3). Mutatio physica est aut substantialis aut accidentalis, quatenus terminus formalis est forma substantialis aut accidentalis. Mutatio physica substantialis est duplex : generatio et corruptio, quatenus terminus ad quem est forma aut privatio formae. Generatio est a termino negativo ad positivum (ut a non-aqua ad aquam), corruptio est a termino positivo ad negativum. Ideo sunt mutationes instantaneae ; nam inter ens et non-ens non datur medium seu distantia. Mutatio accidentalis est aut instantanea aut successiva; instantanea est generatio et corruptio accidentalis, successiva est latio (motus localis), alteratio, augmentatio.

---

[1] Terminus formalis (terminus quo) est terminus, qui immediate attingitur.

[2] Mutatio physica tripliciter sumitur : *a)* late pro mutatione intrinseca habente subiectum reale ; *b)* strictius pro mutatione sensibili (sive per se sive per accidens) ; *c)* strictissime pro mutatione successiva (per se sensibili ; cf. n. 285).

279. Definitio motus. Motus sumptus pro mutatione physica seu intrinseca habente subiectum reale definitur ab Aristotele : « actus entis in potentia prout in potentia » ; est igitur « corrumpi » et « fieri », quod contingit in aliquo subiecto, quatenus subiectum amittit et acquirit formam sive substantialem sive accidentalem (cf. n. 208 sq.). Ad explicationem definitionis praenotetur rem posse considerari in triplici statu : *a)* in potentia tantum, sine aliqua reductione ad actum, *b)* in actu ultimo, *c)* medio modo, partim in actu partim in potentia. Cum est in potentia tantum, nondum movetur ; cum est in actu perfecto seu ultimo, cessat motus ; cum medio modo se habet, est in « moveri » seu in transitu de uno ad aliud. His praemissis explicatur definitio : Motus dicitur « actus », quatenus actus sumitur pro eo, quod distinguitur contra potentiam, abstrahendo ab actu perfecto vel imperfecto. Nam etsi motus includit aliquid potentiae, ponitur tamen in genere actus, non in genere potentiae, quia praecipuum officium motus est reducere mobile in actum, licet aliquid potentialitatis includat, quia id facit tamquam actus imperfectus. Invenitur autem in motu duplex habitudo, altera ad mobile seu subiectum recipiens motum, altera ad ulteriorem actum. Ad primam habitudinem significandam, in qua convenit motus cum aliis formis, quae omnes reducunt subiectum de potentia ad actum, informando illud, dicitur « entis in potentia ». Altera autem habitudine ad ulteriorem actum seu terminum motus distinguitur a reliquis formis, quae solum actuant subiectum, inquantum est in potentia ad eas, motus autem actuat subiectum non solum, ut est in potentia ad ipsum motum, sed etiam ut est in potentia ad ulteriorem actuationem seu terminum, et propterea dicitur entis in potentia « prout est in potentia». Motus (e. g. calefieri : motus ad calorem) ita actuat subiectum, ut debeat ulterius actuari : Quod movetur, motum est et movebitur (cf. n. 305, 3).

Ad accuratiorem explicationem definitionis notetur formam imperfectam dupliciter sumi posse : uno modo, inquantum est imperfecta in ratione formae comparative ad aliam perfectiorem (decem gradus caloris comparative ad centum) ; alio modo, inquantum non solum est imperfecta comparative ad aliam formam, sed etiam habet statum potentiae et imperfectionis, qui est « tendere » ad actum tamquam ad terminum, et hoc stricte requiritur ad rationem motus ; quantumcumque enim forma sit imperfecta in ratione informandi, si tamen non habet illum statum imperfectionis, qui est « tendere », non est motus, sed terminus motus.

Definitio motus salvatur etiam in motibus instantaneis. Nam motus est « fieri » in et ex aliquo subiecto. Ubicumque igitur salvatur ratio τοῦ fieri in et ex subiecto reali, salvatur etiam ratio motus. Iam vero ratio τοῦ fieri salvatur etiam in motibus instantaneis, quamquam in eis fieri et factum esse sunt in eodem instanti. Primum

enim instans rei, quae fit in instanti, virtualiter duplex est; potest enim in eo distingui duplex instans naturae : alterum, in quo forma concipitur fieri, alterum, in quo concipitur facta; ita in generatione hominis distinguimus unum instans naturae, in quo materia acquirit formam hominis, et aliud, in quo eam habet stabiliter. Materia acquirit animam, ut eam stabiliter habeat. In primo instanti est fieri seu motus, in secundo est factum esse seu terminus motus. In primo instanti materia constituitur in actu (acquirit animam), ut simul constituatur in potentia (ad animam stabiliter habendam). Corruptio est mutatio realiter distincta a generatione. Corruptionis terminus a quo est forma, terminus ad quem est privatio formae. Sed corruptio est aliquid negativi tantum, et ideo etiam realiter negative tantum a generatione distinguitur. Corruptio in definitione aristotelica motus non includitur nisi mediate. Definitio motus non salvatur in creatione, deficiente subiecto reali.

280. Quomodo motus successivus distinguatur a subiecto mobili et a terminis motus. Quattuor sunt distinguenda : *a)* subiectum, quod movetur ; *b)* forma, secundum quam fit motus, i. e. forma (v. g. albedo), quae tali motu amittitur vel acquiritur ; *c)* motus, i. e. modificatio subiecti, status viae et tendentiae subiecti secundum illam formam, secundum quam fit motus ; *d)* termini motus (terminus a quo et terminus ad quem), status perfectionis et quietis subiecti et formae. Subiectum mobile eiusque formam, secundum quam movetur, distingui realiter a motu et a terminis motus, ex eorum separabilitate ostenditur. Status enim motus est modificatio subiecti, quam modo habet, modo non habet ; similiter status quietis modificatio est, quae amittitur et acquiritur.

Nota. Motus est terminus analogus, quatenus dicitur de quattuor praedicamentis (cf. n. 208 sq.).

Bibliographia ad 277—280 : *G. Feldner,* Das Werden im Sinne der Scholastik, JPhTh 18 (1904) 411—457 ; 19 (1905) 419—465. *P. Glorieux,* « Fieri est factum esse », DThPlac 41 (1938) 254—278. *H. Hallez,* L'analyse métaphysique du mouvement, RNSPh 2 (1895) 129—138. *A. D. Sertillanges,* Sur la nature du mouvement d'après S. Thomas, RSPhTh 17 (1928) 235—240.

Ad 277. *S. Thomas :* « Quia motus est actus mobilis, secunda actio [quae scil. manet in agente], inquantum est actus operantis, dicitur motus eius ; ex hac similitudine, quod, sicut motus est actus mobilis, ita huiusmodi actio est actus agentis ; licet motus sit actus imperfecti, scil. exsistentis in potentia, huiusmodi autem actio est actus perfecti, idest exsistentis in actu, ut dicitur in III De anima [c. 7]. Hoc igitur modo quo intelligere est motus, id quod se intelligit, dicitur se movere. Et per hunc modum etiam Plato posuit quod Deus movet seipsum [Phaedr. c. 24 ‹loquitur de anima immortali› : οὕτω δὴ κινήσεως μὲν ἀρχὴ τὸ αὐτὸ κινοῦν] : non eo modo quo motus est actus imperfecti » (S. th. I 18, 3 ad 1).

Ad 278. Cf. text. cit. ad 208 sq.

A d 279. *Aristoteles :* Ἡ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια, ᾗ τοιοῦτον, κίνησίς ἐστιν (Phys. III 1, 201 a 10 ; cf. S. Thom. lect. 2 n. 2 sq.). Ἡ τοῦ δυνατοῦ, ᾗ δυνατόν, ἐντελέχεια, φανερὸν ὅτι κίνησίς ἐστιν (l. c. 201 b 4 ; cf. Phys. III 2, 202 a 7 ; 3, 202 b 26 ; VIII 1, 251 a 9 ; Met. XI 9, 1065 b 16). « Omnino impossibile est, aliter definire motum . . . , nisi sicut Philosophus hic definit » *(S. Thom.*, In Phys. III 1 lect. 2 n. 3).

A d 280. Cf. text. ad 282.

§ 2. De actione et passione earumque habitudine ad motum

281. Divisio actionis in transeuntem et immanentem. Actio est duplex : transiens et immanens. Utraque importat causalitatem agentis. Distinguuntur autem ad invicem eo, quod actio transiens quasi transit in rem exteriorem inferens ei passionem ; est mutatio vel perfectio alterius, scilicet passi. Actio autem immanens (metaphysica) non transit in aliud, sed manet in ipso agente tamquam perfectio eius. Actio immanens est actio cognoscitiva et appetitiva. Tamquam perfectio agentis est qualitas primae speciei : accidens bene disponens virtutem cognoscitivam vel appetitivam (cf. n. 473). Actio immanens potest esse virtualiter transiens, inquantum virtute pollet producendi aliquid ad extra.

282. De natura actionis transeuntis. Actio transiens (physica, praedicamentalis), quia transit ab uno in aliud, ab agente in passum, duo importat : *a)* esse causam seu habere dominium causale ; *b)* ipsam perfectionem vel mutationem passi ab agente causatam. Actio transiens, inquantum dicit causalitatem agentis (principiative), est in agente (« actio est in agente ») ; inquantum vero dicit mutationem vel perfectionem passi (terminative), est in passo (« actio est in passo »). Mutatio vel perfectio passi est de ratione actionis, quatenus dependet ab agente (« actio est ab agente »). Denominatur igitur aliquid agens (actione transeunte) a duobus simul : a causalitate, quae est in ipso (denominatio intrinseca), et ab effectu producto ad extra (denominatio extrinseca). Sola vero causalitas agentis ad rationem actionis transeuntis non sufficit ; ita Deus non dicitur creare vel conservare, nisi creatura in esse incipiat vel perduret, i. e. in tempore, quamvis entitative eius causalitas sit aeterna et immutabilis in se. Actio igitur transiens essentialiter utrumque complectitur : cum id quod est in agente, tum id quod est in passo ab agente. Secundum quod importat causalitatem agentis, est a motu (et universaliter a perfectione causata) distincta realiter propter diversitatem subiecti : motus est in passo, actio autem in agente. Inquantum vero actio est mutatio et actuatio passi ab agente dependens, a motu et a perfectione passi non distinguitur realiter, sed est ipsa haec actuatio passi tamquam dependens a causalitate agentis. Causalitas mediante actione formaliter transeunte solis agentibus corporeis convenit ; ideo actio formaliter trans-

iens est actio physica, i. e. corporea. Agentia spiritualia agunt ad extra actione formaliter immanente, virtualiter transeunte, i. e. agunt intellectu et voluntate seu intellectione practica.

283. De natura passionis. Actioni correspondet passio. Etiam passio duo importat: *a)* passivitatem passi seu recipere mutationem vel perfectionem ab agente; *b)* mutationem vel perfectionem ipsam ab agente causatam et in passo receptam. Passio itaque omnibus modis est in passo, et denominatur aliquid passum ab his duobus simul, scilicet a sua receptivitate et ab eo quod recipit ab agente. Utrumque passioni est essentiale. Passio secundum quod dicit receptivitatem passi, est a motu (et universaliter a perfectione recepta) distincta realiter sicut recipiens a recepto. Inquantum vero est mutatio et actuatio passi ab agente effecta, a motu et a perfectione passi non distinguitur realiter, sed est ipsa haec actuatio tamquam recepta in passo ab agente.

284. De relationibus inter agens et passum. Motus vel perfectio ab agente in passo causata essentialiter est effectus huius agentis (relatio transcendentalis); propterea respicit agens seu refertur ad agens relatione reali (praedicamentali) tamquam effectus ad causam. Haec relatio effectus ad causam etiam tunc habetur, quando agens non causavit nisi fieri effectus (mutationem seu motum), quin ulterius istum effectum in esse conservet, sicut parentes generant filium; etiam talis effectus manet essentialiter terminus mutationis ab agente effectae, et per consequens ad causam refertur relatione reali, si causa adhuc exsistit; ita filius ad parentes refertur relatione reali (praedicamentali) effectus ad causam, quamdiu vivunt parentes. Etiam agens ad passum refertur relatione reali causae ad effectum, dummodo actuale causalitatis exercitium ponat aliquid in agente cum ordine ad effectum producendum. Ista autem conditio verificatur in omni agente creato. Nullum enim agens creatum actu causa esse potest, nisi sub influxu actuali causae superioris (cf. n. 839—842). Immo etiam post causalitatis exercitium mutatum manet in ordine ad effectum a se productum: quod antea erat in eius potestate, postea ab eo produci iam non potest; ad hoc enim eadem numero actio redire deberet, quod fieri nequit (cf. n. 779—782). In omni itaque agente creato invenitur aliquid cum ordine ad effectum (relatio transcendentalis), etiamsi effectum a se dependentem non habuit nisi in ortu suo; propterea ad effectum refertur relatione reali (praedicamentali), dummodo exsistat effectus; ita parentes, vivente filio, ad eum referuntur relatione reali.

Bibliographia ad 281—284: *L. Farges*, Deux déviations de la théorie thomiste sur l'action transitive, RNSPh 23 (1921) 163—190.

A d 281 sqq. *Aristoteles* « primo ostendit quod moventis est aliquis actus, sicut et mobilis [Δεῖ μὲν γὰρ εἶναι ἐντελέχειαν ἀμφοῖν· . . . κινοῦν δὲ τῷ ἐνεργεῖν: Phys. III 3, 202 a 15]. Quidquid enim dicitur secundum potentiam et actum, habet aliquem actum sibi competentem; sed sicut in eo quod movetur dicitur mobile secundum potentiam inquantum potest moveri, motum autem secundum actum inquantum actu movetur, ita ex parte moventis motivum dicitur secundum potentiam, inquantum scil. potest movere, motus autem in ipso agere, idest inquantum agit actu. Oportet igitur utrique, scil. moventi et mobili, competere quendam actum » (*S. Thom.* l. c. lect. 4 n. 9. Cf. lect. 5 n. 2: « Aliquis actus est activi, et aliquis actus est passivi . . . Et actus quidem activi vocatur actio; actus vero passivi vocatur passio »). Idem vero docet, « quod idem sit actus moventis et moti [ἀλλ' ἔστιν ἐνεργητικὸν τοῦ κινητοῦ, ὥστε ὁμοίως μία ἡ ἀμφοῖν ἐνέργεια: l. c. 17]. Movens enim dicitur, inquantum aliquid agit, motum autem, inquantum patitur; sed idem est, quod movens agendo causat et quod motum patiendo recipit. Et hoc est quod dicit, quod m o v e n s e s t a c t i v u m m o b i l i s, idest actum mobilis causat. Quare oportet unum actum esse utriusque, scil. moventis et moti; idem enim est, quod est a movente ut a causa agente et quod est in moto ut in patiente et recipiente » (*S. Thom.* lect. 4 n. 10). Cf. lect. 5 n. 10: « Idem actus secundum rem est duorum secundum diversam rationem, agentis quidem secundum quod est a b e o, patientis autem secundum quod est in ipso » (cf. ad 193). « Una est via ad ascendendum et ad descendendum, sed differt ratione; et propter hoc dicuntur hi ascendentes et illi descendentes. Et ita est de movente et moto. Nam unus motus secundum substantiam est actus utriusque, sed differt ratione. Est enim actus moventis ut a quo, mobilis autem ut in quo. Et ideo actus moventis dicitur actio, mobilis vero passio. Sed si actio et passio sunt idem secundum substantiam, videtur quod non sint diversa praedicamenta. Sed sciendum quod praedicamenta diversificantur secundum diversos modos praedicandi. Unde idem, secundum quod diversimode de diversis praedicatur, ad diversa praedicamenta pertinet . . . Motus secundum quod praedicatur de subiecto in quo est, constituit praedicamentum passionis. Secundum autem quod praedicatur de eo a quo est, constituit praedicamentum actionis » (*S. Thom.*, In Met. XI lect. 9 n. 2312 sq.). « Sciendum enim est quod praedicatum ad subiectum tripliciter se potest habere . . . Tertio modo ut praedicatum sumatur ab eo quod est extra subiectum: et hoc dupliciter. Uno modo . . . Alio modo ut id a quo sumitur praedicatum, secundum aliquid sit in subiecto, de quo praedicatur. Et si quidem secundum p r i n c i p i u m, sic praedicatur ut agere. Nam actionis principium in subiecto est. Si vero secundum t e r m i n u m, sic praedicatur ut pati. Nam passio in subiectum patiens terminatur » (*S. Thom.*, In Met. V lect. 9 n. 891 sq.). *S. Thomas*: « Duplex est actio. Una quae procedit ab agente in rem exteriorem, quam transmutat; et haec est sicut illuminare; quae etiam proprie actio nominatur. Alia vero actio est, quae non procedit in rem exteriorem, sed stat in ipso agente ut perfectio ipsius; et haec proprie dicitur operatio, et haec est sicut lucere. Hae autem duae actiones in hoc conveniunt quod utraque non progreditur nisi ab existente in actu, secundum quod est actu » (Ver. 8, 6 c.). « Actio ex hoc quod est actio, consideratur ut ab agente; inquantum vero est accidens, consideratur ut in subiecto agente. Et ideo nihil prohibet quod esse desinat huiusmodi accidens, sine mutatione eius in quo est: quia sua ratio non perficitur prout est in subiecto, sed prout transit in aliud; quo sublato, ratio huius accidentis tollitur quidem quantum ad actum, sed manet quantum ad causam; sicut et subtracta materia, tollitur calefactio, licet maneat calefactionis causa » (Pot. 7, 9 ad 7). « Quaedam . . . significant secundum rationem suam,

ut ab alio ens, et non ut inhaerens, sicut praecipue patet in actione. Actio enim, secundum quod est actio, significatur ut ab agente ; et quod sit in agente, hoc accidit sibi inquantum est accidens. Unde in genere actionis denominatur accidens per id quod ab eo est, et non per id quod principium eius est ; sicut dicitur actione agens ; nec tamen actio est principium agentis, sed e converso. Et si per impossibile poneretur esse aliquam actionem quae non esset accidens, non esset inhaerens, et tamen denominaret agentem, et tunc agens denominaretur per id quod ab eo est, et in eo non est ut inhaerens. Sed quia cuiuslibet actionis principium est aliqua forma inhaerens, ideo aliquid potest dici agens duobus modis ; vel ipsa actione, quae denominat agentem et non est principium eius ; vel forma quae est principium actionis in agente, et secundum quid principium agentis » (I Dist. 32, 1 a. 1 c.). « Actio quae non est substantia agentis, inest ei sicut accidens subiecto » (C. g. II 9). « Nihil prohibet aliquid esse inhaerens quod tamen non significatur ut inhaerens ; sicut etiam actio non significatur ut in agente, sed ut ab agente ; et tamen constat actionem esse in agente » (Pot. 8, 2 c.). « Illud a quo aliquid denominatur, non oportet quod sit semper forma secundum rei naturam ; sed sufficit, quod significatur per modum formae, grammatice loquendo. Denominatur enim homo ab actione et ab indumento, et ab aliis huiusmodi, quae realiter non sunt formae » (Pot. 7, 10 ad 8) ; cf. In De an. III lect. 2 n. 592 sq. ; I Dist. 40, 1 a. 1 ad 1 ; II Dist. 40, 1 a. 4 ad 1 ; Pot. 7, 10 ad 1 ; 10, 1 c. ; C. g. II 1 ; S. th. I 37, 2 c. ; 54, 1 c.).

§ 3. De motu successivo

285. Quid sit motus successivus. Motus successivus est successiva progressio a termino ad terminum. Motus successivus dicitur motus physicus propriissime sumptus, quia ipse per se est sensibilis. Motus enim instantaneus sensibilis non est per se sensibilis. Non enim sentitur ipse motus instantaneus, sed uterque terminus tantum. Quia in motu instantaneo fieri et factum esse sunt in eodem instanti, ideo ipse motus non apprehenditur nisi intellectu.

286. Quomodo motus fiat successivus. Motus per se abstrahit a successione, est enim « fieri » tantum seu transitus (cf. n. 279 sq.), fit autem successivus seu continuus a distantia successive percurrenda. Haec distantia est *a)* in motu locali relatio unius quantitatis ad aliam (spatium), *b)* in motu augmenti relatio quantitatis minoris ad maiorem, *c)* in motu alterationis (intensionis) potentialitas a qualitate pedetentim seu successive actuanda.

Ex hac distantia motus quasi extenditur seu obtinet partes extra partes, sicut quantitas.

287. Coroll. 1. Ergo motus successivus omnis est inter duos terminos positivos. Nam inter ens et non-ens non datur medium seu distantia.

2. Ergo motus successivus non obtinetur nisi in ordine corporeo seu quantitativo, et mobile hoc motu non est nisi corpus seu

ens quantum. Nam distantia successive percurrenda est aliquid, quod sequitur quantitatem tamquam relatio fundata a quantitate, aut sequitur corporeitatem tamquam potentia pedetentim actuanda a qualitate. Angelus autem per accidens moveri potest localiter motu successivo, tangendo corpus extensum successive secundum extensionem eius, quia ipse angelus virtualiter extensus est.

A d 285 sqq. *Aristoteles* de motu successivo agit Phys. V 3. Cf. *S. Thom.* lect. 5 n. 4 ; insuper I Dist. 37, 4 a. 3.

§ 4. De distinctione et contrarietate motus

288. Distinctio generica et specifica motus desumitur ex diversitate specifica termini ad quem ; nam quae secundum essentiam suam ad aliud ordinantur, suam distinctionem et specificationem ab eo desumunt, ad quod ordinantur. Atqui motus secundum essentiam suam ordinatur ad terminum ad quem, est enim « fieri » eius. Ergo ab eo specificationem suam desumit.

Nota. Terminus specificans motum intelligitur terminus formalis per se seu immediate attactus a motu, non id quod per accidens, i. e. mediante alio, attingitur.

289. Coroll. Ergo divisio motus in instantaneum et successivum accidentalis est (cf. n. 278) ; ideo idem essentialiter motus potest esse instantaneus vel successivus, ut cum qualitas aliqua producitur per alterationem aut per generationem. Reliquae vero divisiones mutationis, quas l. c. attulimus, sunt essentiales ; terminus ad quem (formalis) generationis est forma, terminus creationis totum ens simpliciter, terminus transsubstantiationis totum ens ut ex alio.

290. Ad quae praedicamenta per se detur motus. Cum actione creata omnia praedicamenta fiant in et ex aliquo subiecto, ad omnia datur motus seu mutatio aliqua. Omnia enim oriuntur mutatione alicuius subiecti. Sed ad ea praedicamenta dicitur esse per se motus, quae ita immediate fiunt, ut ad ipsa immediate terminetur actio seu facere, cui correspondet fieri, seu motus, quo fit praedicamentum. Haec sunt : substantia, quantitas, qualitas, « ubi ». Ad cetera vero praedicamenta non est motus nisi per accidens ; quod ostenditur per singula discurrendo.

a) Ad relationem non datur motus per se. Relatio enim resultat posito fundamento et termino. Quare motus et actio per se est ad fundamentum et ad terminum, per accidens ad relationem. Resultantia relationis ex fundamento est quidem etiam ipsa aliqua mutatio,

sed haec non fit nisi mediante alia mutatione terminante in fundamento et termino, ad quam immediate est actio.

b) Ad actionem non datur motus per se. Ad actionem enim non datur actio, sed actio est per simplicem emanationem, positis omnibus ad agendum requisitis [1].

c) Ad passionem non datur per se motus. Id enim, quod immediate fit per actionem, est effectus, qui afficitur passione : effectus oritur affectus passione seu receptus in passo ab agente.

d) Situs, « quando », habitus resultant mediante « ubi », ad quod per se est motus localis, qui per accidens est ad situm et « quando » et habitum. Hoc ipso quod corpus acquirit « ubi » seu positionem in loco, habet etiam situm in eo ; et hoc ipso quod habet « ubi » seu positionem in ordine iuxtapositionis, habet etiam « quando » seu positionem in ordine successionis ; et applicatio vestium est per motum localem, quo vestimentum acquirit « ubi », ad quod sequitur habitus.

291. Ad quae praedicamenta detur per se motus successivus. 1. Non datur per se motus successivus ad substantiam. Nam motus ad substantiam est generatio, sed generatio non est motus successivus, quia fit a privatione formae ad formam, non a forma ad formam, ita ut una forma pedetentim converteretur in aliam ; non enim admittit essentia substantialis magis et minus seu latitudinem, sed in indivisibili sistit. Ad substantiam datur per se mutatio instantanea, quae est generatio, per accidens autem motus successivus alterationis, qui per se ad qualitates terminat, per accidens autem seu mediate ad substantiam.

2. Tria praedicamenta possunt per se terminare motum successivum : quantitas, qualitas, ubi. Nam haec praedicamenta habent conditiones ad terminandum motum successivum requisitas : in illis datur latitudo successive percurrenda, ut inter minorem et maiorem quantitatem mediat latitudo extensionis in plures partes divisibilis ; inter duo « ubi » seu duo loca mediat latitudo distantiae, quam corpus exhaurit, dum ab uno loco in alium pergit ; et in qualitatibus datur latitudo perfectionis, per quam subiectum transit, dum ab uno statu qualitatis ad alium procedit, ut inter minimum calorem et maximum sunt diversi gradus, per quos necessario transire debet subiectum, dum calefit ; et inter duas contrarias qualitates dantur plures mediae, quas subiectum percurrit, dum a contrario in contrarium transit, ut inter rubrum et caeruleum mediant diversi colores intermedii. Et haec praedicamenta fiunt ex terminis positivis, ut maior quantitas ex minore, unus locus ex alio, perfectior qualitas ex imperfectiore, una qualitas ex alia contraria.

---

[1] Datur tamen motus ad complementum seu actuationem potentiae operativae (praemotio, cf. n. 839, I), hoc autem complementum ponitur in praedicamento qualitatis.

292. Unde sumatur unitas numerica motus. Unitas et distinctio numerica motus desumitur ex tribus : ex unitate subiecti et termini specifici et temporis, ita ut ad hoc, ut motus sit idem numero, necesse sit illum habere idem subiectum, eundem terminum specificum et continuari eodem tempore absque interruptione ; ut autem varietur numerice, sufficit vel mutatio subiecti vel variatio termini vel interruptio temporis. *Prob.* : Motus tria dicit ; nam est accidens, est tendentia ad terminum et est aliquid continuum : inquantum accidens, petit unitatem subiecti, quia omne accidens individuatur a subiecto ; inquantum tendit ad terminum, petit unitatem termini, nam eadem via non potest ducere ad terminos disparatos ; inquantum vero est continuum, petit unitatem temporis, nam continui unitas solvitur interruptione ; continuum enim divisum non est amplius unum.

293. Contrarietas motus sumitur ex oppositione terminorum, ad quos tendit. Nam motus ab eo desumit contrarietatem, a quo sumit speciem ; sed sumit speciem a termino ad quem, ergo et contrarietatem. *Min.* constat ex dictis. *Mai.* vero probatur ; nam contrarietas motus est velut proprietas consequens speciem ; ergo ab eo sumitur, a quo species.

294. Idem mobile secundum diversas partes potest affici motibus contrariis. Quia diversae partes sunt diversa subiecta ; factum experientia patet.

295. Idem mobile etiam secundum eandem partem potest per accidens moveri motibus localibus contrariis. Exemplum sit homo, qui super terram ambulat versus occidentem, terra se vertente versus orientem.

296. Idem mobile non potest per se affici motibus contrariis secundum idem. Secus idem simul esset et non esset sub eodem respectu.

Ad 288 sqq. *Aristoteles* « concludit ex praemissis, quod cum motus sit de subiecto in subiectum, subiecta autem sint in aliquo genere praedicamentorum, necesse est, quod species motus distinguantur secundum genera praedicamentorum, cum motus denominationem et speciem a termino trahat, ut supra [Phys. V lect. 1 n. 6] dictum est » (*S. Thom.*, In Phys. V lect. 3 n. 2). « Cum motus [successivus] non sit neque in substantia neque in "ad aliquid" neque in facere et pati, ut ostensum est, relinquitur quod motus sit solum in istis tribus generibus, scil. quantitate, qualitate et ubi : quia in unoquoque horum generum contingit esse contrarietatem, quam requirit motus » (Λείπεται κατὰ τὸ ποιὸν καὶ τὸ ποσὸν καὶ τὸ ποῦ κίνησιν εἶναι μόνον : Phys. V 2, 226 a 24. *S. Thom.* lect. 4 n. 1 ; cf. In Met. XI lect. 12 n. 2376 sqq.). « Dicitur motus simpliciter unus, qui est unus numero secundum suam essentiam. Quis autem motus sit hoc modo unus, manifestum erit distinguendo ea quae requiruntur ad motum. Sunt enim numero tria circa

quae consistit unitas motus, scil. subiectum, quod movetur; et genus vel species, in qua est motus; et tempus, quando movetur » (Ὅ· [τὸ κινούμενον] καὶ ἐν ᾧ καὶ ὅτε: Phys. V 4, 227 b 23. *S. Thom.* lect. 6 n. 5). De contrarietate motus Aristoteles agit Phys. V 5; cf. S. Thom. lect. 8.

Quaestio II: *De mensura motus seu de tempore.*

§ 1. Quid sit duratio et tempus

297. Quid sit duratio. Duratio est exsistentia continuata. Duratio igitur includit duo: exsistentiam et huius continuationem. Sed aliter continuatur exsistentia rerum permanentium, aliter successivarum, sicut est motus. Harum enim exsistentia continuatur per iugem productionem novae exsistentiae, quia entia successiva partes complectuntur non permanentes, sed transeuntes. Harum igitur exsistentia continuatur per superadditionem exsistentiae ad exsistentiam. Quare earum duratio est exsistentia superaddita exsistentiae. Contra rerum permanentium exsistentia continuatur per conservationem unius eiusdemque exsistentiae. Rerum ergo permanentium duratio est ipsa exsistentia earum, conotans influxum eas in esse conservantem.

Nota. Inchoatio (inceptio ipsius esse) est exsistentia cum relatione reali ad causam efficientem et relatione rationis ad non-esse praecedens.

298. Quotuplex sit duratio. Res permanens, quatenus est permanens, habet esse suum totum simul, cum res successivae esse suum successive tantum nanciscantur. Sed simpliciter permanentes non sunt nisi res incorruptibiles: substantiae spirituales, quae ex natura sua postulant semper esse. Substantiae corporeae non sunt permanentes nisi secundum quid: tamquam corruptibiles; permanentes sunt temporaliter. In exsistentia sua iugiter dependent a motu successivo alterationis ad corruptionem ducente; mutatione substantiali iterum iterumque aliud esse acquirere possunt. Sub hoc respectu non sunt permanentes neque habent esse suum totum simul. At neque substantiae creatae spirituales sub omni respectu sunt permanentes. Permanentes sunt secundum esse substantiale tantum, non vero secundum esse accidentale operationum suarum. Hoc esse non habent nisi successive successione operationum suarum. Solum ens omnino immutabile, Deus, est ens sub omni respectu permanens, quod esse et operari suum habet totum simul, sine successione ulla. Exinde triplex duratio est distinguenda: 1. aeternitas, duratio entis omnino immutabilis;

2. aeviternitas (aevum), duratio eius quod substantialiter est immutabile, accidentaliter vero secundum activitatem suam mutabile ; 3. tempus, duratio eius quod est simpliciter mutabile. Quatenus haec mutabilitas est continua, constituit tempus continuum, tempus simpliciter ; quatenus est instantanea, constituit tempus discretum. Illa est duratio motus continui et substantiae corporeae iugiter dependentis a motu continuo alterationis ; haec est duratio activitatis substantiae spiritualis creatae, et consistit in pluralitate operationum intellectualium, quarum unaquaeque potest coexsistere longiori tempori continuo.

299. Quid sit tempus (continuum), et quotuplex sit. Tempus potest sumi ut duratio et ut mensura. Tempus continuum ut duratio est duratio motus continui et rerum in esse suo ab hoc motu dependentium, i. e. rerum corporearum. Cum autem duratio sit exsistentia continuata, tempus, ut duratio motus continui, consistit in exsistentia fluente huius motus, i. e. in exsistentia huius motus continuata per superadditionem exsistentiae ad exsistentiam. Tempus ut duratio rerum corporearum est harum rerum exsistentia, quae, iugiter dependens a motu continuo, mutabiliter, temporaliter conservatur. Tempus ut mensura est duratio aliqua determinata nobis nota, ope cuius alias durationes minus notas determinamus. Sicut mediante longitudine nota, ut mediante metro, longitudines minus notas determinamus comparando illam cum his, et indicando, quoties haec aut pars eius (decima, centesima etc.) contineatur in illis, ita mediante duratione temporis nobis nota durationes minus notas determinamus. Haec autem temporis duratio nobis nota, si agitur de mensurando tempore continuo, debet esse duratio determinata motus continui, quia tempus continuum in hoc motu fundatur. Exinde tamen specialis oritur difficultas pro mensura temporis. Mensura longitudinis, metrum, qua tale permanenter exsistit in rerum natura. Mensuram autem motus permanenter exsistere in rerum natura impossibile est, cum sit duratio motus, quae essentialiter in successione consistit neque simul qua talis in rerum natura exsistere potest. Quare necesse est, ut fictione intellectus tribuatur successioni motus esse simul, quod ei realiter convenire non potest. Necesse est, ut intellectus artificialiter constituat mensuram temporis, quatenus assumit motum per modum simultanei et distinguit seu numerat in eo partes eodem modo, sicut in metro partes decimas, centesimas etc. distinguit. Exinde Aristoteles tempus ut mensuram definivit : « numerus motus secundum prius et posterius » (Phys. IV 11). Motum apparentem solis assumimus per modum quantitatis permanentis, dicamus per modum lineae, distinguendo in eo secundum prius et posterius horas et minutas. Motum solis ita assumptum et partes eius comparamus cum motu et etiam cum quiete aliarum rerum, et ita indicamus, quamdiu duraverit earum

motus et quies. Idem agimus circa motum virgulae horologii nostri. Sed mensura temporis primaria est motus apparens solis, i. e. motus terrae nostrae circa axem suum et circa solem. Ceteri autem motus, quibus utimur ad tempus mensurandum, ut motus horologii, non sunt nisi mensura secundaria. Tempus ut mensura, speciatim prout est mensura primaria, tempus extrinsecum dicitur relate ad ceteros motus et res mobiles, quorum durationem mensurat. Ita tempori intrinseco opponitur, i. e. durationi unicuique rei temporali intrinsecae.

300. Quomodo oriatur conceptus temporis ut mensurae. Iste conceptus oritur ex motu, quatenus homo memoria retinet successionem motus, ut est successio in statibus suis internis; quo ipso assumit motum per modum simultanei, numerando in eo partes. Ita conficit mensuram ad ceteros motus seu successiones mensurandas, comparando eas cum ista.

301. Quae mensurentur tempore. Tempore mensuratur duratio rei omnis durantis mobiliter, sive sit ipse motus sive mobilis tantum et dependens in exsistentia seu duratione sua a motu. Tempore mensurari durationem (seu quantitatem) motus (quamdiu duraverit motus) eo patet, quod mensura eiusdem naturae est ac mensuratum. At etiam duratio rei mobilis, actu non motae, sed quiescentis, tempore mensuratur; cum enim quiescat ita, ut possit moveri, tempus huius privationis durationem mensurat, seu enuntiat, quanto (= quamdiu) motu res fuerit privata. Motus autem et privatio motus eadem mensura mensurentur necesse est. Hinc etiam ipsum esse substantiale substantiae corporeae est duratio mensurabilis tempore seu motu, quia hoc esse est mobile motu alterationis et corruptionis. Dependet enim iugiter ab alteratione ducente ad corruptionem.

Bibliographia ad 297—301: *P. M. Conen*, Aristotle's Definition of Time, NSch 26 (1952) 441—458. *H. Conrad-Martius*, Die Zeit, München 1954, 41—75. *A. J. Festugière*, Le temps et l'âme selon Aristote, RSPhTh 23 (1934) 5—28. *H. Hallez*, Le temps et la durée, RNSPh 3 (1896) 5—23. *C. T. Isenkrahe*, Der Begriff der Zeit, PhJ 15 (1902) 20—29; 304—314; 16 (1903) 30—35. *A. Maier*, Scholastische Diskussionen über die Wesensbestimmung der Zeit, Schol 26 (1951) 520—556. *A. Mansion*, La théorie aristotélicienne du temps chez les péripatéticiens médiévaux. Averrhoës, Albert le Grand, Thomas d'Aquin, RNSPh 36 (1934) 275—307. *J. Moreau*, Le temps selon Aristote, RNSPh 46 (1948) 57—84; 245—274. *D. Nys*, La notion de temps, Louvain 1913. *G. Wunderle*, Die Lehre des Aristoteles von der Zeit, PhJ 21 (1908) 56—89; 156—189. *F. Zigon*, Das Aevum, l. c. 483—496.

Ad 297 sqq. *S. Thomas*: «Tria praedicta nomina [aeternitas, tempus et aevum] significant durationem quamdam. Duratio autem omnis attenditur

secundum quod aliquid est in actu; tamdiu enim res durare dicitur, quamdiu in actu est et nondum est in potentia. Esse autem in actu contingit dupliciter. Aut secundum hoc, quod actus ille est incompletus et potentiae permixtus, ratione cuius ulterius in actum procedit, et talis actus est motus; est enim motus actus exsistentis in potentia, secundum quod huiusmodi, ut dicit Philosophus III Phys. Aut secundum quod actus non est permixtus potentiae nec additionem recipiens perfectionis, et talis actus est actus quietus et permanens. Esse autem in tali actu contingit dupliciter. Vel ita quod ipsum esse actu, quod res habet, sit sibi acquisitum ab alio, et tunc res habens tale esse est potentialis respectu huius actus, quem tamen perfectum accepit. Vel esse actu est rei ex seipsa, ita quod est de ratione quidditatis suae; et tale esse est esse divinum, in quo non est aliqua potentialitas respectu huius actus. Sic igitur patet quod est triplex actus. Quidam cui non substernitur aliqua potentia, et tale est esse divinum et operatio eius, et huic respondet loco mensurae a e t e r n i t a s. Est alius actus cui substat potentia quaedam; sed tamen est actus completus acquisitus in potentia illa, et huic respondet a e v u m. Est autem alius cui substernitur potentia et admiscetur sibi potentia ad actum completum secundum successionem, additionem perfectionis recipiens, et huic respondet t e m p u s. Cum igitur unicuique rei respondeat propria mensura, oportet quod secundum conditionem actus mensurati accipiatur essentialis differentia ipsius mensurae. Invenitur autem in actu, qui motus est, successio prioris et posterioris. Et haec duo, scil. prius et posterius, secundum quod numerantur per animam, habent rationem mensurae per modum numeri, quae tempus est. Unde dicit Philosophus IV Phys., quod tempus est numerus motus secundum prius et posterius [Ὁ χρόνος, ἀριθμὸς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον: c. 11, 219 b 1]. Et est numerus numeratus et non numerus simpliciter. Sicut enim dicimus, quod duo canes est numerus numeratus et duo est numerus simpliciter, ita etiam numerus prioris et posterioris in motu est numerus numeratus, qui est tempus. Ex quo patet quod illud quod est de tempore quasi materiale, fundatur in motu, scil. prius et posterius; quod autem est formale, completur in operatione animae numerantis, propter quod dicit Philosophus IV Phys., quod si non esset anima, non esset tempus [Ἀδύνατον εἶναι χρόνον ψυχῆς μὴ οὔσης: c. 14, 223 a 26] » (I Dist. 19, 2 a. 1; cf. In Phys. IV lect. 17 sqq.; lect. 23 n. 5 [cit. ad 303]; S. th. I 10, 1—6; I-II 113, 7 ad 5).

§ 2. Quomodo motus et tempus sint praesentia et exsistentia

Thesis 8: *Motus et tempus non sunt praesentia et exsistentia ratione partis, sed solum ratione indivisibilium suorum.*

302. St. qu. 1. M o t u s in thesi sumitur pro motu successivo continuo. Motus successivus continuus partes complectitur inter se continuatas. Cum enim motus omnis sit « fieri », motus successivus est « fieri » quasi extensum, quod « fieri » partialia comprehendit, quae inter se continuantur. Sed fieri est via ad terminum, ad « factum esse », et fieri partiale est via ad factum esse intermedium. Cum enim est motus successivus, semper aliquid fit, in quo tamen non sistit motus, sed ulterius progreditur. Quare unumquodque fieri partiale cum subsequente copulatur per factum esse seu mutatum esse inter-

medium. Hoc mutatum esse est etiam mutatum iri, quia ibi motus non sistitur. Hoc factum esse seu mutatum esse est indivisibile motus.

Tempus sumitur pro tempore continuo, ut est mensura motus et rerum mobilium. Nam tempus, ut duratio, est praesens et exsistens, sicut praesens et exsistens est exsistentia rei, cuius est duratio, ut patet ex n. 297—299. Cum autem tempus ut mensura sit ipse motus successivus, assumptus per modum simultanei, in quo numerantur partes, quaestio de modo, quo tempus hoc sit praesens et exsistens, eadem est ac quaestio circa modum, quo motus sit praesens et exsistens. Tempus habet partes: praeteritum et futurum, et indivisibilia: instantia, « nunc ». Sed ex dictis patet, has partes esse easdem ac partes motus, et indivisibilia eadem atque indivisibilia motus.

2. Docuit Durandus († 1334) tempus esse praesens et exsistens ratione partis. Contra quem ponitur thesis.

303. Prob. th. Ex eo quod motus et tempus sunt entia successiva: Pars, quae debuisset esse praesens, est ens successivum. Atqui repugnat ens successivum esse praesens ratione sui. Ergo motus et tempus non sunt praesentia et exsistentia ratione partis, sed solum ratione indivisibilium suorum.

Ad mai. Pars motus (temporis) est motus (tempus) ac proinde ens successivum.

Prob. min. Ens successivum esse praesens ratione sui est ens successivum esse simul. Atqui ens successivum esse simul repugnat. Ergo.

304. Coroll. Ergo tempus ut mensura formaliter est ens rationis, materialiter vero et fundamentaliter est reale et exsistit in rerum natura sicut motus. Tempus enim est ipse motus, sumptus fictione intellectus per modum simultanei, in quo numerantur partes: « numerus motus secundum prius et posterius ». Quare tempus ut mensura est ens rationis cum fundamento in re. Tempus vero ut duratio est reale formaliter; est enim ipsa exsistentia rerum. Tempus autem illud quod, ad instar spatii imaginarii, imaginamur tamquam exsistens in rerum natura, separatum ab omni re corporea, illimitatum, ceteras durationes omnes in se continens: tempus imaginarium, est ens rationis sine fundamento in re.

305. Schol. Quod movetur, motum est et movebitur. Quod movetur actu, iam attigit « mutatum esse » seu « factum esse » aliquod, ut verificari possit: movetur. Sed hoc mutatum esse est etiam mutatum iri, secus esset terminus finalis extrinsecus motus, in quo motus iam non salvatur, in quo proinde non verificaretur « movetur », sed tantummodo « motum est ». Ex quo apparet

continuum fluens, sicut etiam permanens, semper complecti partes (cf. n. 332—335).

306. Obi. 1. Quod habet partes, est praesens et exsistens ratione partis. Atqui tempus habet partes. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod habet partes exsistentes ratione sui, *conc.;* non exsistentes et praesentes ratione sui, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui partes temporis sunt exsistentes ratione sui. *Probo.* Quod fuit praesens, est exsistens et praesens ratione sui. Atqui pars fuit praesens. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod fuit praesens ratione sui, *conc.;* non ratione sui, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui pars fuit praesens ratione sui. *Probo.* Quod transivit per praesens, fuit praesens ratione sui. Atqui pars transivit per praesens. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod transivit per praesens ratione sui, *conc.;* non ratione sui, *nego. Contradist. min.*

4. Atqui pars transit per praesens ratione sui. *Probo.* Quod transit de futuro in praeteritum tamquam ab uno extremo in aliud, transit per praesens ratione sui. Atqui pars transit de futuro in praeteritum. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si praesens est capax hoc continendi, *conc.;* si non est capax, *nego. Conc. min.; dist. consq.:* Si praesens esset capax continendi partem, *conc.;* si non est capax, *nego.*

5. Atqui praesens est capax continendi partem temporis. *Probo.* Post instans praesens vel immediate sequitur aliud instans vel pars. Si aliud instans, duo instantia immediate sibi succedunt, et sic tempus componitur ex solis instantibus. Si pars, transacto instanti immediate praesens erit pars, et praesens est capax continendi partem temporis. *Resp. Conc. disiunctionem, eligo 2. membrum et dist.:* Post instans sequitur pars, exsistens ratione sui, *nego;* exsistens ratione instantis, *conc.*

6. Atqui instans non potest reddere exsistentem partem. *Probo.* Indivisibile non potest reddere exsistens divisibile. Atqui instans est indivisibile, pars divisibilis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si indivisibile non habet virtutem reddendi exsistens divisibile, *conc.;* si habet, *nego. Contradist. min.*

7. Atqui instans non habet virtutem reddendi exsistentem partem divisibilem. *Probo.* Nihil exsistit per suum non-esse. Atqui instans est non-esse temporis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod est non-esse essentiae et exsistentiae, *conc.;* quod est non-esse essentiae, sed non est non-esse exsistentiae, *nego. Contradist. min.*

Ad 303 sqq. *S. Thomas:* «Si motus haberet esse fixum in rebus, sicut lapis vel equus, posset absolute dici quod sicut etiam anima non exsistente est numerus lapidum, ita etiam anima non exsistente esset numerus motus, qui est tempus. Sed motus non habet esse fixum in rebus, nec aliquid actu invenitur in rebus de motu, nisi quoddam indivisibile motus, quod est motus divisio: sed totalitas motus accipitur per considerationem animae, comparantis priorem dispositionem mobilis ad posteriorem. Sic igitur et tempus non habet esse extra animam, nisi secundum suum indivisibile: ipsa autem totalitas temporis accipitur per ordinationem animae numerantis prius et posterius in motu, ut supra dictum est. Et ideo signanter dicit Philosophus quod tempus, non exsistente anima, est utcumque ens, idest imperfecte; sicut et si dicatur quod motum contingit esse sine anima imperfecte» (In Phys. IV lect. 23 n. 5; cf. lect. 18 n. 7 sq. [cit. ad 307 sqq.]). «Dicit [Aristoteles] quod non solum omne quod mutatur necesse est mutatum esse iam, sed etiam omne quod mutatum est necesse est prius mutari» (In Phys. VI lect. 8 n. 7; cf. In Met. IX lect. 7 fin.).

§ 3. De modo incipiendi et desinendi rerum

307. Termini durationis sunt indivisibiles. Termini durationis rerum sunt instantia indivisibilia, sicut termini lineae sunt puncta indivisibilia. Nam si essent divisibiles, iterum indigerent aliis aliisque terminis in infinitum.

308. Instans intrinsecum et extrinsecum. Instans intrinsecum est, in quo res iam est secundum essentiam suam, extrinsecum, in quo non est, cum tamen erat tempore praecedente aut erit tempore subsequente. Instans inceptionis intrinsecum dicitur « primum esse rei », instans inceptionis extrinsecum « ultimum non-esse rei ». Instans desitionis intrinsecum dicitur « ultimum esse rei », instans desitionis extrinsecum « primum non-esse rei ».

309. Entia successiva (motus, tempus) incipiunt et desinunt per instans extrinsecum. Nam in instanti successio, quae pertinet ad eorum essentiam, salvari non potest. Substantiae vero et alia entia permanentia incipiunt per instans intrinsecum, in quo eorum essentia, quae non complectitur successionem, iam salvatur. Corrumpuntur tamen per instans extrinsecum, in quo iam non sunt, cum toto tempore praecedente fuerint ; quia una substantia non corrumpitur per se, sed per accidens ad inchoationem alterius : corruptio unius est generatio alterius. Cum substantia, quae nova oritur, incipiat per instans sibi intrinsecum, in eo substantia, quae corrumpitur, iam esse non potest, secus duae formae substantiales essent in eadem materia. Substantia igitur corrumpenda desinit in tempore, quod praecedit illud instans [1], ita tamen, ut perduret usque ad illud instans, in quo iam non salvatur : Corruptio est in instanti, sed extrinseco ; et est in tempore, sed ita ut substantia corrumpenda perduret usque ad illud instans, in quo iam invenitur corrupta ; numquam materia ne per minimum quidem tempus est sine forma. Attamen si substantia per se desinit et non ad generationem novae, ut cum annihilatur, potest desinere in instanti sibi intrinseco. Si Deus subtrahit concursum suum conservativum in instanti aliquo, in illo adhuc res est, sed statim postea non est.

Bibliographia. *C. De Koninck*, Un paradoxe du devenir par contradiction, Acta et Comm. Pont. Academiae Rom. S. Th. Aq. Vol VII, III 1954, 133—188.

Ad 307 sqq. *Aristoteles* in IV Phys. c. 11 : « Assignat rationem eorum, quae dicuntur de nunc ; et primo eius, quod dicitur, quod nihil est tem-

[1] Non potest dici substantiam corrumpi in instanti, quod praecedit illud instans ; instantia enim non sunt sibi ad invicem immediata, secus tempus componeretur ex solis instantibus.

poris nisi nunc ; secundo eius, quod nunc dividit et continuat temporis partes . . . ; tertio eius, quod dicitur, quod nunc non sit pars temporis » (cf. VIII Phys. c. 8. *S. Thom.* lect. 18 n. 7 ; cf. VI lect. 7 n. 4 sqq. ; lect. 8 [vide ad 303 sqq.] ; IV Dist. 11, 1 a. 3 sol. 2 ad 2).

Quaestio III : *De mensura mobilis seu de loco.*

§ 1. Quid sit locus et praesentia in loco

310. Quid sit spatium. Aristoteles et S. Thomas spatium concipiunt tamquam intervallum. Spatium reale dividitur in internum et externum. Spatium internum alicuius corporis est ipsa eius quantitas seu extensio. Spatium externum est intervallum sive distantia inter duo corpora. Non igitur cum quantitate identificatur, sed eam consequitur. Sicut enim quantitas eidem corpori tribuit partes extra partes in se, ita plura corpora ponit alterum extra alterum secundum positionem. Hunc ordinem positionis sequuntur relationes distantiae et indistantiae : sunt corpora immediate ad invicem vicina, i. e. praesentia, et sunt corpora ad invicem plus minusve distantia, i. e. propinqua et remota. Spatium est aliquo corpore repletum ; sed potest esse vacuum. Spatium reale etiam in loco vacuo salvatur et in vacuo interposito inter duas quantitates ad invicem aliqua distantia separatas. Quamquam in eo non est realis quantitas, supponit tamen ex utraque parte realem quantitatem et est realis relatio in hac reali quantitate fundata. Spatium autem illimitatum illud, quod fingimus ultra et extra mundi corporei fines independens a quantitate reali, quod exstiterit iam ante mundi corporei creationem et exstiturum esset etiam sublato toto mundo corporeo, est spatium imaginarium, quod est ens rationis.

311. Quid sit locus. Locus definitur ab Aristotele : « corporis ambientis terminus (superficies) immobilis primus ». Locus enim ab omnibus concipitur tamquam id, quod continet locatum. Hoc autem est superficies prima corporis ambientis (corporum ambientium) immediate ambiens corpus locatum. Dicitur immobilis : *a)* ut distinguatur a vase, quod continet mobiliter, movetur enim cum re contenta, locus vero non movetur ; *b)* quia locus non est superficies, prout est huius vel illius corporis superficies, sed formaliter, prout designat determinatam positionem in universo corporeo. Quare superficies ita sumpta eadem manet, etiam variato corpore ambiente ; ita flante vento, variato aëre idem nihilominus manet locus corporis in aëre contenti.

Nota. Distingue locum proprium alicui rei, superficiem immediate ambientem eam (exemplum sit superficies aquae immediate

ambientis piscem), et locum communem, superficiem continentem et ambientem plures res (exemplum : interna concavitas camerae ambiens res in camera contentas). Locus proprius adaequate mensurat locatum.

312. Quid sit « ubi » latissime sumptum, et quotuplex sit. « Ubi » latissime sumptum est id, quo formaliter proxime aliquid constituitur in loco quocumque modo. Est igitur « ubi » praesentia quoad locum seu unio formalis cum loco. Quare tot modis erit « ubi », quot modis est praesentia quoad locum. Potest autem aliquid esse in loco : *a)* localiter, circumscriptive, i. e. ut commensuratum (circumscriptum, subiectum) loco — « ubi » circumscriptivum, praedicamentale. Hoc modo loco constituuntur naturaliter omnia, quae quantitate intrinsecus afficiuntur seu extenduntur, i. e. res corporeae. Ratione enim quantitatis suae res corporea extenditur in loco ita, ut superficies eius circumscribatur internae loci concavitati seu ut commensuretur loco. *b)* Potest aliquid esse in loco illocaliter, non circumscriptive, i. e. ut non commensuratum (circumscriptum, subiectum) loco — « ubi » non circumscriptivum. Quod ita est in loco, non extenditur per locum ita, ut habeat partes extra partes quoad locum singulaeque partes correspondeant singulis loci partibus, sed totum est in toto loco et in singulis eius partibus. « Ubi » non circumscriptivum est aut naturale : ubi spirituale, aut praeternaturale. « Ubi » spirituale est duplex : alterum per operationem, alterum per informationem. Substantia spiritualis completa (angelus) loco constituitur subiciendo sibi locum per operationem seu tangendo locum operatione sua ; substantia spiritualis incompleta (anima humana) loco constituitur informando corpus. « Ubi » aliquod praeternaturale est « ubi » eucharisticum, per conversionem substantiae panis et vini in corpus Christi, remanentibus panis et vini dimensionibus, quae tamen corpus Christi intrinsecus non afficiunt, sed quibus extrinsecus tantum coniungitur ; aliud « ubi » praeternaturale est « ubi » hypostaticum, quo Verbum divinum praesens est loco per unionem cum humanitate Christi.

Tum id quod est in loco circumscriptive, tum id quod est in loco non circumscriptive, ibi potest esse definitive (habere ubi definitivum) et non definitive (habere ubi non definitivum). Est definitive in loco, si definitur ad hunc locum, ita ut non possit simul esse in alio loco nec maiorem locum occupare. E. g. corpus duorum cubitorum definitive est in loco duorum cubitorum. Angelus definitive in illo loco esse dicitur, qui adaequat suam operandi vim, ita ut operationem suam ulterius extendere non possit. Virtus enim operativa angeli finita est ; quare non potest tangere operatione sua nisi determinatam extensionem, ultra quam operari non potest, nisi relinquendo contactum cum hoc loco et transferendo se ad alium.

Exinde patet Deum ne in toto quidem universo definitive esse, praesentiam sacramentalem corporis Christi non esse definitivam.

313. Quid sit « ubi » praedicamentale. « Ubi » praedicamentale definitur : circumscriptio passiva corporis a circumscriptione activa loci proveniens. Duo includit : unum quod pertinet ad distantiam vel indistantiam corporis locati relate ad cetera corpora, alterum quod pertinet ad continentiam passivam. Si removetur a corpore locato quodcumque corpus ambiens (facto vacuo), primum tantum remanebit — « ubi » inadaequatum. Unico tantum corpore exsistente etiam illud « ubi » inadaequatum peribit. Cum autem continentia illa passiva reducatur ad specialem indistantiam seu praesentiam corporis locati in loco tamquam in ambiente seu includente, « ubi » nihil aliud est quam indistantia et distantia fundamentalis : fundamentum relationis praesentiae et distantiae seu positio corporis in universo (cf. n. 195).

« Ubi » praedicamentale est accidens reale resultans in corpore ex circumscriptione loci. Sicut enim quantitate idem corpus obtinet partes extra partes sola positione distinctas, eodem modo plura corpora positione distinguuntur, ita ut unumquodque habeat suam positionem in universo corporeo. « Ubi » igitur ad quantitatem pertinet tamquam ab ea constitutum formaliter [1]. Proinde reale est sicut ipsa quantitas, et est fundamentum relationum realium distantiae et indistantiae. Hoc enim fundamentum non potest esse ipsa substantia neque quantitas secundum se, quia haec iugiter eadem manent, « ubi » autem mutatur per motum localem (cf. n. 355). Debet igitur esse determinatio aliqua superaddita, quae est «ubi». Etiam «ubi» inadaequatum est modus realis, fundamentum relationis propinquitatis et distantiae ad cetera corpora.

314. Quid sit situs, et quomodo se habeat ad « ubi ». Situs definitur : positio seu ordinatio partium in loco (sedere, stare etc.). Situs est determinatio quaedam, qua determinatur « ubi », quatenus ubi dicit tantummodo unam quantitatem esse intra aliam contentam (esse in loco), ita ut singulae partes unius respondeant singulis partibus alterius ; at qualis sit iste ordo partium, non determinat ubi, sed situs.

Situs distinguitur ab ubi realiter. Probatur : *a)* quia situs potest manere invariatus, variato ubi, sicut cum quis sedens vel stans transfertur in alium locum ; *b)* similiter manente eodem ubi potest variari situs.

---

[1] Quantitatem sequitur necessario aliqua partium configuratio et aliquis corporum ad invicem ordo ; quisnam autem in concreto sit ille ordo, ab aliis causis dependet.

Bibliographia ad 310—314 : *J. Müller*, Zur Analysis des Raumes, PhJ 16 (1903) 49—57; 292—299. *D. Nys*, Étude sur l'espace, RNSPh 6 (1899) 221—241. *N. v. Seeland*, Zur Frage von dem Wesen des Raumes, PhJ 11 (1898) 419—439; 12 (1899) 50—58. *A. Sesmat*, La théorie aristotélicienne du lieu, RTh 38 (1938) 477—500.

Ad 310. *Aristoteles* ostendens locum non esse confundendum cum spatio, concipit spatium tamquam « medium inter extremitates corporis continentis [seu intervallum intra concavitatem loci: Διάστημά τι τὸ μεταξὺ τῶν ἐσχάτων: Phys. IV 4, 211 b 7] » (*S. Thom.* l. c. lect. 6 n. 6 sqq.).

Ad 311. *Aristoteles:* Τὸ τοῦ περιέχοντος πέρας ἀκίνητον πρῶτον, τοῦτ' ἔστιν ὁ τόπος (Phys. IV 4, 212 a 20). Ἔστι δ' ὥσπερ τὸ ἀγγεῖον τόπος μεταφορητός, οὕτω καὶ ὁ τόπος ἀγγεῖον ἀμετακίνητον (l. c. 212 a 14 ; cf. S. Thom. lect. 6 n. 14 sqq.). « Dicit autem "primum", ut designet locum proprium, et excludat locum communem » (*S. Thom.* l. c. n. 16).

Ad 312. *S. Thomas:* « Diversimode esse in loco convenit corpori, et angelo, et Deo. Nam corpus est in loco circumscriptive: quia commensuratur loco. Angelus autem non circumscriptive, cum non commensuretur loco, sed definitive: quia ita est in uno loco, quod non in alio. Deus autem neque circumscriptive neque definitive: quia est ubique » (S. th. I 52, 2; cf. 8, 2; III 76, 5; C. g. III 68).

Ad 313 sq. Cf. textus citatos ad 195 sqq.

§ 2. De habitudine quantitatis ad ubi et situm

Thesis 9: *Effectus formalis primarius quantitatis seu eius ratio formalis est ordo partium in toto, effectus formalis secundarius est ubi et situs seu ordo partium in loco. Hic effectus secundarius distinctus est realiter et separabilis a primario.*

315. St. qu. 1. Effectus formalis primarius seu ratio formalis est constitutivum metaphysicum quantitatis. Quantitas enim utpote accidens definitur per ordinem ad subiectum, ad substantiam. Quare indicando, quid primo faciat in substantia formaliter (per modum causae formalis), indicatur eius essentia metaphysica.

Effectus formalis secundarius est omne id, quod forma secundarie causat tamquam causa formalis. Cum in thesi dicimus effectum secundarium quantitatis esse « ubi » et situm, non intendimus omnia enumerare, quorum quantitas est causa formalis, sed praecipua tantum, i. e. suprema genera seu praedicamenta illa omnino quantitativa, quae a quantitate tamquam a causa formali constituuntur.

2. Totius igitur nomine intelligimus in thesi subiectum, quod ordinatur a quantitate formaliter (per modum causae formalis); quantitas enim forma seu causa formalis est.

3. Ordo sumitur *a)* pro relatione sive reali sive rationis, *b)* pro speciali relatione secundum prius et posterius

(secundum processionem) et pro gradu faciente eam (pro eius fundamento).

Ordo hoc secundo modo sumptus, cum sit secundum prius et posterius, tot dicitur modis, quot modis dicitur principium. Sed principium dicitur dupliciter: *a)* secundum intellectum — id, unde aliquid procedit secundum intellectum; *b)* secundum rem — id, unde aliquid procedit secundum rem. Principium, unde aliquid procedit secundum rem, duplex est: α) mere negativum (terminus a quo negativus), sicut a privatione procedit seu incipit generatio (cf. n. 242 sq.); β) positivum. Quatenus unum procedit ab altero realiter tamquam a principio positivo, inter principium et principiatum ordo constituitur realis, secus rationis tantum est. Ordo realis iterum duplex est, inquantum aliquid procedit realiter ab altero: α) accipiendo esse ab eo, sive cum dependentia causali — ordo causalitatis secundum quattuor causas, sive sine dependentia — ordo originis in divinis; β) non accipiendo esse ab eo, sed mere incipiendo ab eo, sicut a puncto incipit linea (et generalius, ab indivisibili incipit quantitas continua) et ab una parte incipit alia et ab unitate numerus.

In thesi ordo intelligitur fundamentaliter, de ordine reali secundum prius et posterius, quod est per meram inceptionem unius ab alio, quin unum accipiat esse ab alio: ordo secundum positionem.

316. Prob. th. I p.: Effectus formalis primarius quantitatis est ordo partium in toto. *Arg. I.* Ex notione ordinis partium in toto: In eo consistit effectus formalis primarius quantitatis, quo concepto concipitur quantitas, et sine quo quantitas concipi nequit. Atqui concepto ordine partium in toto, concipitur quantitas, et sine hoc ordine concipi omnino non potest. Ergo in ordine partium in toto consistit effectus formalis primarius quantitatis.

Mai. patet ex indole effectus formalis primarii seu constitutivi essentialis, quod est id, sine quo omnino res concipi non potest, et quo sublato tollitur ipsa res.

Min. probatur ex communi usu loquendi hominum: Nomine quantitatis omnes intelligunt id, quod habet in se pluralitatem partium ordinatarum.

Arg. II. Ex eo quod ordine partium quantitas primo differt ab omnibus aliis rebus. Effectus formalis primarius seu essentiale constitutivum est id, quo res primo differt ab omnibus aliis rebus. Atqui id, quo quantitas primo differt ab omnibus aliis rebus, est ordo partium in toto. Ergo ordo partium in toto est effectus formalis primarius quantitatis.

Mai. patet ex indole essentialis constitutivi, quod est primum in re et radix omnium aliorum (propriorum), quae in re cernuntur.

Prob. min. a) Ordo partium in toto est id, quo quantitas distinguitur ab omnibus aliis rebus; hoc patet discurrendo per

singula praedicamenta; *b)* ordo partium in toto est id, quo primo distinguitur quantitas ab aliis rebus; ex eo probatur, quod cetera omnia, quae in quantitate apparent (ut ubi et situs), ex hoc tamquam ex prima radice fluunt, ut ex II p. et ex sequentibus patebit.

Prob. II p.: Effectus formalis secundarius quantitatis est ubi et situs seu ordo partium in loco. Ex habitudine inter ordinem partium in toto et in loco: Effectus formalis secundarius est quem producit forma secundarie, seu est ille qui sequitur primarium. Atqui ordinem partium in toto sequitur ordo in loco seu extensio localis. Partem enim esse post partem quoad locum, supponit partes esse ordinatas inter se quoad seipsas seu quoad totum, et hanc ordinationem partium inter se quoad totum sequitur ordinatio partium quoad locum, ita ut singulae partes respondeant singulis loci partibus. Ergo effectus formalis secundarius quantitatis est ordo partium in loco.

Prob. III p.: Effectus secundarius quantitatis distinctus est realiter et separabilis a primario. Ex natura ipsius ubi: Hoc est realiter distinctum et separabile, quod consistit in habitudine ad extrinseca, et quod non resultat nisi extrinsecis habitis. Atqui ordo partium in loco consistit in habitudine ad extrinseca nec resultat nisi habitis extrinsecis. Ergo ordo partium in loco est realiter distinctus et separabilis ab ordine partium in toto.

Prob. min. Ordo partium in loco est habitudo unius quantitatis relate ad aliam (alias) circumscriptam, quae habitudo sublatis aliis quantitatibus, cum corpus supponitur in vacuo, sublata tota mundi machina, non resultat.

317. Coroll. 1. Ergo quantitas essentialiter consistit in ordinata pluralitate partium accidentalium solo numero distinctarum. Et haec est ratio, cur quantitas possit formaliter extendere substantiam seu ponere partes substantiales extra partes, quia quantitas seipsa habet partes (suas accidentales) extra partes.

2. Ergo « quantitas dimensiva definitur esse quantitas positionem habens » (S. Thom., Qdl. I a. 21).

318. Schol. 1. Ordo partium in loco potest considerari indeterminate, et tunc est « ubi »; si autem consideratur determinate, tamquam ordo accurate determinatus, est situs. Similiter ordo partium in toto potest considerari indeterminate, et tunc est effectus formalis primarius quantitatis; si autem consideratur determinatus, tamquam ordo accurate determinatus, est figura. Situs dici potest figura externa, localis; et figura dici potest situs internus. Et ipse situs internus iterum sumi potest latius, indeterminate, et tunc est effectus formalis primarius quantitatis: positio se-

cundum prius et posterius, positio interna, indeterminata ; et potest sumi stricte pro situ interno determinato, et tunc est figura.

2. Effectus secundarius quantitatis (ubi et situs) describi potest generalius : ordo (fundamentalis) secundum prius et posterius seu ordo positionis unius quantitatis ad alias. Nam ordo partium in loco est ordo positionis unius quantitatis ad aliam circumscriptam et etiam ad alias distantes. Quare « ubi » potest etiam dici : indistantia (praesentia) et distantia fundamentalis. Distantia autem, si non sumitur fundamentaliter pro fundamento relationis distantiae, sed relative, pro relatione distantiae, constituit spatium externum (cf. n. 310).

Praeter « ubi » et situm ad effectum formalem secundarium quantitatis pertinent relationes distantiae et indistantiae, et relatio aequalitatis et inaequalitatis, quae concomitanter pertinet ad « ubi », nam ubi circumscriptivum est commensuratio cum loco. Ad effectum secundarium pertinet etiam impenetrabilitas, quae tamen est aliquid negativi (cf. n. 320), et mensurabilitas et divisibilitas, quae non superaddunt novas realitates, sed significant quantitatem cum ordine ad intellectum mensurantem (comparantem) et ad causam efficientem divisionem.

3. Corpus in spatio imaginario positum, sublata tota mundi machina, non haberet « ubi » neque situm (haberet tamen figuram), sicut tota mundi machina per modum unius considerata neque habet « ubi » neque situm, quia non est in loco, i. e. in alia quantitate contenta, neque ordinem habet ad aliam quantitatem.

Notetur tamen maximam differentiam intercedere inter quantitatem, ex qua naturaliter non resultat effectus secundarius, quia non datur alia quantitas, ad quam ordinem habere posset, et quantitatem corporis Christi eucharistici, ex qua praeternaturaliter non resultat effectus secundarius, non obstantibus quantitatibus aliis, ad quas naturaliter ordinem quantitativum haberet, si effectus secundarius non impediretur divinitus. Hoc possibile esse probare nequit ratio, quae solummodo probat effectum secundarium separari a quantitate, sublatis aliis quantitatibus ; quo ipso tamen ex ratione etiam ostenditur non apparere repugnantiam, quominus impediatur effectus secundarius, aliis quantitatibus non sublatis.

319. Obi. *Contra I et II p.* 1. Ordo partium in toto est relatio. Atqui effectus formalis primarius quantitatis non est relatio. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Ordo relative sumptus, *nego ;* ordo secundum positionem fundamentaliter sumptus pro fundamento relationis secundum prius et posterius, quod est per meram inceptionem unius ab alio, *conc. Conc. min. ; dist. consq.*

2. Atqui effectus formalis primarius quantitatis non est ordo secundum positionem fundamentaliter sumptus. *Probo.* Ordo secundum positionem est situs. Atqui effectus formalis primarius quantitatis non est situs (est enim effectus secundarius). Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Ordo secundum positionem

partium in toto, i. e. partium inter se quoad se, non quoad locum, est situs internus indeterminate sumptus, *conc.;* est situs externus seu situs proprie dictus, *nego. Contradist. min.* Vel ita : *Dist. mai.:* Ordo secundum positionem est situs sive externus sive internus, *conc.;* situs externus tantum, *nego. Contradist. min.:* Non est situs externus seu situs proprie sumptus, *conc.;* non est situs internus indeterminate sumptus, *nego.*

3. Atqui effectus formalis primarius quantitatis non est situs internus indeterminate sumptus. *Probo.* Si situs seu ordo partium in toto est effectus formalis primarius quantitatis, quantitas non salvatur in una parte. Atqui quantitas salvatur in una parte. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quantitas non salvatur in una parte tamquam quantitas totalis, *conc.;* tamquam quantitas partialis, *nego. Contradist. min.* (cf. n. 317, 1 ; 334, 2 ; 340).

Contra III p. Quod resultat necessario, non est effectus secundarius realiter distinctus et separabilis. Atqui effectus secundarius quantitatis necessario resultat ex primario. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Necessario absoluta necessitate, *conc.;* non absoluta, sed naturali tantum necessitate et extrinsecis habitis, *nego. Contradist. min.:* Resultat necessario extrinsecis non habitis, *nego;* extrinsecis habitis, *subdist.:* Resultat necessario absolute, *nego;* naturali tantum necessitate, *conc.*

Bibliographia ad 315—318 : *T. Greenwoud,* La notion thomiste de la quantité, RUO Section spéciale 1952, 228*—248*. *E. Minjon,* Das Wesen der Quantität, JPhTh 14 (1900) 47—55.

Ad 315. *S. Thomas:* « Ordo in ratione sua includit tria, scil. rationem prioris et posterioris; unde secundum omnes illos modos potest dici esse ordo aliquorum, secundum quos aliquis altero prius dicitur et secundum locum et secundum tempus et secundum omnia huiusmodi. Includit etiam distinctionem, quia non est ordo aliquorum nisi distinctorum. Sed hoc magis praesupponit nomen ordinis, quam significet. Includit etiam tertio rationem ordinis, ex qua etiam ordo in speciem contrahitur. Unde unus est ordo secundum locum, alius secundum dignitatem, alius secundum originem » (I Dist. 20 a. 3 sol. 1 ; cf. S. th. I 42, 3).

Ad 316 sq. *S. Thomas:* « [Quantitas dimensiva] definitur esse quantitas positionem habens ; unde et partes in subiecto ex hoc ipso distinctionem habent secundum situm, quod sunt subiectae dimensioni » (Qdl. I a. 21). « Quamvis non sit accipere ordinem partium corporis Christi secundum comparationem ad partes hostiae, tamen est accipere ordinem ipsarum partium ad invicem in corpore Christi secundum propriam quantitatem » (IV Dist. 10, 1 a. 3 sol. 3 ad 2). « Dividitur una pars lineae ab alia per hoc quod diversum habent situm, quod est quasi formalis differentia quantitatis continuae positionem habentis » (In Boëth. de Trin. q. 4 a. 1). « Esse in loco est accidens per comparationem ad extrinsecum continens » (S. th. III 76, 5 ad 3 ; 76, 7).

Thesis 10 : *Corpora sunt impenetrabilia naturaliter; at non apparet repugnantia, quominus praeternaturaliter inter se compenetrentur.*

320. St. qu. 1. Impenetrabilitas est aliquid negativi, quod sequitur ordinem quantitativum, quatenus ex eo quod pars est post partem et corpus post corpus, impeditur pars esse intra partem et corpus intra corpus. Potest distingui impenetrabilitas interna et externa seu localis. Impenetrabilitas interna sequitur effectum quantitatis primarium, ratione cuius partes sunt extra partes quoad se

absolute, ac proinde impenetrabiles inter se absolute. Tollere hanc impenetrabilitatem esset tollere ipsam quantitatem. Impenetrabilitas e x t e r n a (impenetrabilitas simpliciter seu localis) sequitur effectum quantitatis secundarium, quo partes ordinantur extra partes localiter et corpus extra corpus. Hoc enim ipso sequitur partem non posse suscipere partem localiter neque corpus aliud corpus. Quare impenetrabilitas localis potest considerari dupliciter: *a)* unius corporis relate ad aliud, *b)* partium eiusdem corporis inter se ita, ut localiter altera sit extra alteram. Consequenter etiam compenetratio localis potest considerari dupliciter: *a)* unius corporis cum alio, ut sint simul in eodem loco, *b)* partium eiusdem corporis inter se ita, ut localiter non sit altera extra alteram. Hoc ultimum obtinet in corpore eucharistico, cuius quantitas panis et vini non ordinat partes suas extra partes. Compenetratione locali partium inter se tollitur « ubi ». Tale corpus, similiter sicut corpus, a quo tolleretur quantitas, nusquam esset (cf. n. 275, 2). Hoc tamen non verificatur in corpore Christi, quod per transsubstantiationem illocaliter coniungitur quantitati panis et vini et obtinet ubi eucharisticum seu illocale (cf. n. 312), et quoad coelum retinet suum ubi locale seu effectum secundarium quantitatis. Thesi nostra intelligitur impenetrabilitas localis unius corporis relate ad aliud, et compenetratio localis unius corporis cum alio, ita ut sint simul in eodem loco.

2. Quidam veterum philosophorum corpora liquida, quae intra poros corporum solidorum suscipiuntur, vere compenetrari putabant. Contra Durandus tamquam probabile reputat compenetrationem duorum corporum ne divinitus quidem fieri posse.

321. Prob. th. I p.: Corpora sunt impenetrabilia naturaliter. *Arg. I.* Ex experientia.

Arg. II. Ex effectu secundario quantitatis: Effectus secundarius quantitatis est ordo unius corporis extra aliud. Atqui hunc ordinem naturaliter sequitur impenetrabilitas. Ergo corpora sunt impenetrabilia naturaliter.

Prob. II p.: Non apparet repugnantia, quominus corpora praeternaturaliter inter se compenetrentur. Ex separabilitate effectus quantitatis secundarii a primario: Si non apparet repugnantia, quominus tollatur ordo unius corporis extra aliud, non apparet repugnantia, quominus corpora praeternaturaliter inter se compenetrentur. Atqui non apparet repugnantia, quominus tollatur ordo unius corporis extra aliud. Ergo non apparet repugnantia, quominus corpora praeternaturaliter inter se compenetrentur.

Ad min. Ordo partium in loco seu « ubi » est effectus secundarius totalis quantitatis: ordo eius relate ad locum seu relate ad omnem quantitatem ambientem. Si tollitur ubi, tollitur ordo ad omnem quan-

titatem ambientem, ita ut corpus iam nullum habeat ordinem iuxtapositionis localis relate ad omnia corpora ambientia. Ordo unius quantitatis relate ad aliquam aliam, non relate ad totum ambiens, est effectus secundarius partialis. Si tollitur hic ordo, tollitur solummodo ordo iuxtapositionis localis unius quantitatis relate ad aliquam aliam. Iam vero si potest tolli effectus secundarius totalis seu ordo iuxtapositionis relate ad omnia corpora ambientia (cf. n. 318, 3), a fortiori tolli potest ordo iuxtapositionis localis unius quantitatis relate ad aliquam aliam seu ordo iuxtapositionis localis unius corporis relate ad aliquod aliud.

322. Coroll. Ergo impenetrabilitas non est resistentia, quae est aliquid activi et est diversa in diversis corporibus et superabilis ab agentibus creatis ; impenetrabilitas vero est aliquid negativi, quod adest ratione quantitatis: est enim incapacitas et repugnantia unius quantitatis ad recipiendum intra se aliam quantitatem seu incapacitas unius corporis ad recipiendum intra terminos loci ab ipso occupati aliud corpus. Impenetrabilitas igitur sequitur quantitatem tamquam aliquid negativi, resistentia vero eam sequitur tamquam positiva qualitas secundae speciei : Partes inter se cohaerentes resistunt divisioni, et plus minusve resistunt secundum corporis essentiam et etiam secundum diversum statum (solidum, liquidum, aëriformem) eiusdem corporis.

323. Schol. Incapacitas eadem est in omnibus corporibus neque ab ullo agente creato naturaliter superabilis. Cum igitur tollitur impenetrabilitas, praeternaturaliter corpori tribuitur capacitas ad recipiendum intra terminos loci ab ipso occupati aliud corpus.

324. Obi. *Contra I p.* 1. Non sunt impenetrabilia naturaliter, intra quae penetrari potest viribus naturae. Atqui intra corpora penetrari potest viribus naturae. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Intra quae penetrari potest, expellendo aliquam partem a loco, *nego ;* nihil expellendo, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui unum corpus potest naturaliter penetrare intra aliud, nullam eius partem expellendo a loco. *Probo.* Si unum corpus potest naturaliter imbibi ab alio (sicut aqua imbibitur a creta), unum corpus potest naturaliter penetrare intra aliud, nullam eius partem expellendo. Atqui hoc potest esse. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Per veram compenetrationem, *conc. ;* intrando intra poros eius, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui unum corpus potest vere compenetrari cum alio. *Probo.* Unum corpus potest vincere resistentiam alterius. Atqui unum corpus, quod potest vincere resistentiam alterius, vere potest compenetrari cum eo. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Resistentiam negativam, *nego ;* positivam, *conc. Contradist. min.*

Contra II p. Repugnat absolute corpora intrinsecus affecta quantitate non habere effectum formalem quantitatis. Atqui corpora compenetrata sunt corpora intrinsecus affecta quantitate, quae non habent effectum formalem quantitatis. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Effectum primarium, *conc. ;* secundarium, *nego. Contradist. min. :* Primarium, *nego ;* secundarium, *subdist. :* Totalem, *conc. ;* partialem, *nego.*

A d 321. *S. Thomas :* «In his, quae apud nos sunt, quae omnes esse corpora confitentur, ad sensum videmus, quod adveniente uno corpore ad aliquem locum, aliud corpus ab illo expellitur. Unde experimento patet talia corpora duo in eodem loco esse non posse.» Reiectis explicationibus insufficientibus huius impenetrabilitatis Doctor Angelicus viam Avicennae sequitur, qui « dicit, quod non potest esse causa huius prohibitionis, nisi illud cui primo et per se convenit esse in loco. Hoc autem est, quod natum est replere locum. Formae autem non competit esse in loco, nisi per accidens ; . . . similiter nec materia per se considerata, quia sic intelligitur praeter omnia illa genera, ut dicitur VII Metaph. Unde oportet quod materia, secundum quod subest ei per quod habet primam comparationem ad locum, hoc prohibeat. Comparatur autem ad locum, prout subest dimensionibus ; et ideo ex natura materiae subiectae dimensionibus prohibentur plura corpora esse in eodem loco. Oportet enim plura esse corpora, in quibus forma corporeitatis inveniatur divisa : quae quidem non dividitur nisi per divisionem materiae : cuius divisio cum sit solum per dimensiones, de ratione quarum est situs, impossibile est hanc materiam esse distinctam ab illa nisi quando est distincta secundum situm, quod non est quando duo corpora ponuntur esse in eodem loco ; unde illa duo corpora essent unum corpus, quod est impossibile. Cum igitur materia dimensionibus subiecta inveniatur in quibuscumque corporibus, oportet quaelibet duo corpora prohiberi ex ipsa natura corporeitatis, ne simul sint in eodem loco» (In Boëth. de Trin. q. 4 a. 3). « Corpus gloriosum non habebit ratione suae subtilitatis quod possit esse cum alio corpore ; sed poterit esse simul cum alio corpore ex operatione virtutis divinae» (IV Dist. 44, 2 a. 2 sol. 2 fin. ; cf. S. th. Spl. 83, 2—4 ; III 54, 1 ad 1 ; I 67, 2 c. ; C. g. III 101 med. ; 102 : Amplius. Omnis ; Qdl. I a. 21 et 22).

Thesis 11 : *Multilocatio absolute repugnat.*

325. St. qu. Multilocationem stricte intelligimus non pro quacumque praesentia in pluribus locis, sed pro praesentia circumscriptiva in pluribus locis. Thesis igitur minime asserit repugnare, quominus corpus aliquod simul in pluribus locis esse possit non circumscriptive, vel in altero loco circumscriptive, illocaliter vero in altero, sed solummodo repugnare, ne corpus sit in pluribus locis localiter. Et loquimur de repugnantia absoluta, ita ut ne per miraculum quidem corpus multilocari possit. Ita docent S. Thomas eiusque schola, S. Bonaventura (1221—1274), S. Anselmus, Vázquez (1551—1604) et alii ; possibilitatem multilocationis admittunt Scotus, Suárez et multi recentiores.

326. Prob. th. Ex limitatione essentiali effectus quantitatis tum primarii tum secundarii : Si corpus multilocaretur, aut « ubi » circumscriptivum, quo in loco aliquo localiter extenditur, ad alia loca extendendum esset, aut multiplex ubi circumscriptivum ei tribuendum esset. Atqui utrumque repugnat. Ergo multilocatio repugnat.

Mai. ex eo patet, quod ubi circumscriptivum est causa formalis locationis, id quo formaliter corpus est in loco localiter seu extenso modo.

Prob. min. quoad 1. p. (Non potest ubi circumscriptivum ad alia loca extendi) ex eo quod ubi circumscriptivum essentialiter est praesentia limitata, qua corpus definitive in illo loco praesens est, quem quantitate sua replet, qua essentialiter limitatur eius praesentia ad hunc locum.

Prob. min. quoad 2. p. (Corpus non potest suscipere simul plura ubi circumscriptiva.) Corpus quod susciperet plura ubi circumscriptiva, susciperet plures quantitates.

Multiplicatio enim effectus secundarii quantitatis (« ubi ») absoluta necessitate supponit multiplicationem effectus primarii. Forma enim producit essentialiter effectum formalem tum primarium tum secundarium communicatione suae ipsius entitatis. Quare non potest multiplicari effectus secundarius, nisi multiplicetur ipsa forma seu effectus primarius. Absurdum est eandem quantitatem, semel se extendendo quoad se, bis se extendere localiter seu constituere corpus in duobus locis localiter. Quantitas enim non est causa efficiens, sed causa formalis τοῦ ubi. Quantitas est forma, qua corpus habet ubi, similiter sicut albedo est forma, qua album habet similitudinem cum altero albo. Sicut igitur repugnat corpus aliquod habere hanc similitudinem sine albedine, ita repugnat corpus aliquod habere ubi circumscriptivum sine quantitate. Quare sicut ad multiplicandam similitudinem multiplicanda esset albedo, ita ad multiplicandum ubi multiplicanda esset quantitas. Potest quidem eadem similitudo extendi ad alios terminos, idem vero ubi circumscriptivum ad alia loca extendi non posse iam ostendimus. Impossibile est autem idem corpus suscipere plures quantitates ; secus plures causae formales eundem numero effectum producerent, quatenus idem corpus extenderetur a pluribus quantitatibus. Atqui repugnat plures causas producere eundem numero effectum ; effectus enim praecontinetur in causa neque potest idem numero effectus praecontineri in duplici causa propter limitationem causae, quae limitata est non tantum specifice, sed etiam individualiter (cf. n. 775 sq.). Praeterea, si corpus susciperet plures quantitates, essent duo accidentia solo numero distincta in eodem subiecto, quod repugnat (cf. n. 389, 2).

327. Schol. 1. Adversarii opponunt 1. multipraesentiam corporis Domini in ss. Eucharistiae sacramento. *Resp. :* in hoc ipso praestantiam doctrinae S. Thomae consistere, quod, reiecta multilocatione, a qua tantopere mens humana abhorret, tamen optime explicat multiprae sentiam corporis Domini. Corpus Christi, cuius quantitas exercet effectum secundarium quoad coelum (quoad locum in coelo), coniungitur illocaliter quantitati panis. Ratio igitur formalis remota, qua corpus eucharisticum est in loco, est quantitas aliena, ratio formalis proxima est unio illocalis cum quantitate aliena (« ubi » eu-

charisticum)[1]. Substantia panis et vini convertitur in corpus Domini, remanentibus eorum dimensionibus, quae tamen non adhaerent intrinsecus corpori Christi, sed sunt sine subiecto et extrinsecus tantum coniunctae corpori Christi, quod propterea ipsis non extenditur, sed est sub ipsis illocali modo. Ergo multiplicata mirabili illa conversione, corpus Domini diversis quantitatibus panis et vini in diversis locis exsistentibus coniungitur ibique praesentiam acquirit. Multipraesentia eucharistica aliquo modo illustrari potest multipraesentia angeli operantis in diversis locis ad invicem distantibus, intra sphaeram activitatis suae tamen contentis.

Opponunt 2. apparitiones Sanctorum. *Resp.* : De apparitionibus Sanctorum, quae factae leguntur simul in diversis locis, dicendum est eas factas fuisse vel ministerio angelorum, angelis personam Sanctorum gerentibus in corpore assumpto, vel etiam ipsos Sanctos in loco distante revera fuisse illocaliter, eo quod anima praeternaturaliter accepisset vim operandi extra corpus suum in loco distante, et ita ibi praesens fuisset in corpore assumpto.

2. Comparando compenetrationem corporum et statum illocalem eucharisticum cum multilocatione, dicimus Deum posse impedire effectum formalem secundarium formae, at non posse obtinere effectum formalem sine forma.

328. Obi. 1. Non repugnat corpus constitui in pluribus locis. Atqui multilocatio est, cum corpus constituitur in pluribus locis. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Localiter, *nego* ; illocaliter, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui corpus constitui in pluribus locis localiter non repugnat. *Probo.* Non repugnat corpus constitui in pluribus locis ratione quantitatis extensae localiter (ut patet in corpore eucharistico, quod constituitur in pluribus locis ratione quantitatis panis extensae localiter). Atqui corpus constitui in pluribus locis ratione quatitatis extensae localiter est corpus constitui in pluribus locis localiter. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Ratione quantitatis alienae, *conc.* ; ratione quantitatis suae, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui corpus constitui pluribus locis ratione suae quantitatis non repugnat. *Probo.* Si quantitas corporis miraculose potest accipere vim pluries se extendendi localiter in diversis locis, non repugnat corpus constitui in pluribus locis ratione suae quantitatis. Atqui quantitas corporis miraculose potest . . . Ergo. *Resp. Conc. mai.* ; *dist. min.* : Si extensio localis non esset effectus formalis quantitatis, *conc.* ; si est . . . , *nego. Dist. consq.*

4. Atqui extensio localis non est effectus formalis quantitatis. *Probo.* Effectus formalis quantitatis est ordo partium in toto. Atqui extensio localis non est ordo partium in toto. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Effectus formalis primarius, *conc.* ; secundarius, *nego. Conc. min.* ; *dist. consq.* : Effectus formalis primarius, *conc.* ; secundarius, *nego.*

5. Atqui si extensio localis est effectus formalis secundarius tantum quantitatis, multilocatio non repugnat. *Probo.* Tunc Deus potest tribuere eidem quantitati duplicem effectum secundarium. Atqui si Deus potest tribuere eidem quantitati duplicem effectum secundarium, multilocatio non repugnat.

---

[1] Haec unio illocalis est relatio transcendentalis ad species eucharisticas, quam corpus Christi acquirit ex quacumque transsubstantiatione.

Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Posset tribuere, si effectus secundarius formae posset multiplicari non multiplicato primario, *conc.* ; si effectus secundarius non potest multiplicari non multiplicato primario, *nego. Conc. min.* ; *dist. consq.*

Ad 326. *S. Thomas* : « Aliquod corpus esse localiter in aliquo loco, nihil est aliud quam corpus circumscribi et comprehendi a loco secundum commensurationem propriarum dimensionum. Quod autem comprehenditur a loco aliquo, ita est in ipso loco, quod nihil eius est extra locum illum : unde ponere quod sit localiter in hoc loco, et tamen sit in alio loco, est ponere contradictoria esse simul. Unde, secundum praemissa, hoc a Deo fieri non potest » (Qdl. III a. 2 ; cf. IV Dist. 44, 2 a. 2 sol. 3 ad 4).

Quaestio IV : *De divisione motus et continui per partes.*

Thesis 12 : *Continuum non constat solis indivisibilibus tamquam ultimis elementis.*

329. St. qu. 1. Nomine continui intelligimus tum continuum permanens, i. e. quantitatem continuam, tum continuum fluens, i. e. motum successivum et tempus, quantitatem fluentem.

2. Distinguimus indivisibilia continui fluentis : mutata esse, instantia ; et indivisibilia continui permanentis : punctum, quod est indivisibile omni ex parte ; lineam, quae est indivisibilis secundum latitudinem et profunditatem ; superficiem, quae est indivisibilis secundum profunditatem tantum. Punctum, quod est indivisibile omni ex parte, nonnisi reductive est quantitas ; in linea autem et superficie salvatur simpliciter essentia quantitatis (cf. n. 185, 2).

3. Aliqui scholastici docuerunt continuum ex solis indivisibilibus tamquam ex ultimis elementis componi : tempus ex instantibus, corpus ex superficiebus, superficiem ex lineis, lineam ex punctis, ita ut ultima elementa, quibus constaret continuum, essent instantia et puncta inextensa. Ita Arriaga (1592—1667) et Oviedo (1602—1651). Ex recentibus hanc doctrinam defendunt Bolzano (1781—1848) et Cantor (1845—1918). Aristoteles Phys. VI 1 propugnat thesim nostram, quae ab omnibus fere philosophis diversarum scholarum admittitur.

330. Prob. th. Ex eo quod continuum est in infinitum divisibile : Non constat solis indivisibilibus tamquam ultimis elementis, quod constat partibus semper divisibilibus. Atqui continuum constat partibus semper divisibilibus. Ergo continuum non constat solis indivisibilibus tamquam ultimis elementis.

Prob. min. Constat partibus semper divisibilibus, cuius partes divisae semper sunt eiusdem rationis ac totum. Atqui partes continui divisae semper sunt eiusdem rationis ac totum : pars enim lineae est linea, pars superficiei superficies, pars corporis corpus, et pars motus et temporis motus et tempus. Et quamquam corporis natura prohibet, quominus divisio per actualem scissionem in indefinitum

protrahatur, cum omne corpus secundum naturam suam determinatam aliquam minimam quantitatem postulet, sine qua esse non potest, tamen divisio per signationem partium semper minorum in indefinitum continuari potest, quin umquam ad indivisibilia perducat.

Thesis etiam eo probatur, quod punctis ad invicem additis se tangentibus numquam constituitur ne minima quidem linea, sicut etiam lineis se tangentibus non potest constitui superficies et superficiebus corpus. Si vero non se tangunt, certo non continuum, sed discretum constituunt. Idem dicatur de indivisibilibus motus et temporis.

331. Obi. 1. Si continuum non constat solis indivisibilibus tamquam ultimis elementis, continuum quodcumque infinitum numerum partium complectitur. Atqui hoc repugnat. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Complectitur infinitum numerum partium in actu, *nego* ; in potentia, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui continuum neque complectitur infinitum numerum partium in potentia. *Probo.* Repugnat continuum transiri non posse. Atqui continuum, quod complectitur infinitum numerum partium in potentia, pertransiri non potest. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Si pertranseundo eius partes in potentia essent reducendae in actum, *nego* ; si hae partes non sunt reducendae in actum, *conc. Contradist. min.*

Ad 330. *Aristoteles* : Ἀδύνατον ἐξ ἀδιαιρέτων εἶναί τι συνεχές (Phys. VI 1, 231 a 24 ; cf. S. Thom. lect. 1 [v. infra ad 338] ; In Phys. I lect. 9 n. 9 ; Pet. 4, 1 ad 5).

Thesis 13 : *In omni continuo sunt partes in actu, realiter quidem positione distinctae, non autem ipsius constitutivae ; hae partes entia non sunt nisi in potentia.*

332. St. qu. 1. Quicumque continuum obiective in rerum natura esse concedunt, aliquo modo etiam in eo partes admittunt. Agitur autem de partibus ad invicem unitis seu de partibus unius eiusdemque continui. Ubi primum enim divisione separantur, proprie loquendo rationem partis amittunt et fiunt plura continua totalia ; partes amplius non dicuntur nisi in ordine ad totum, cuius divisione obtinentur. De partibus igitur ad invicem unitis quaeritur, quomodo sint in continuo. In ipsa enim natura quantitatis continuae, sive permanentis sive fluentis, implicatur aliqua pluralitas partium ad invicem distinctarum realiter, quae propterea dicuntur esse in actu, sicut ipsum totum. Ex altera autem parte contendimus ipsum continuum eiusmodi partibus non constitui : non sunt causae intrinsecae continui, sicut materia et forma sunt causae intrinsecae essentiae corporis naturalis ; propterea formaliter continuum his partibus non componitur, sed potius e contrario partes naturam quantitatis continuae sequuntur atque ex ea resultant. Minus stricte tamen continuum dicitur partibus componi, quatenus scilicet has partes complectitur. Quamvis asseramus in continuo haberi partes in actu, negamus tamen eas esse in actu separatas tamquam plura entia seu tamquam plura

continua, sive permanentia sive successiva, quia secus deperiret unitas continui ; plura entia vel plura continua non sunt nisi in potentia. In microstructura atomica continuum consistit in cohaerentia campi electroenergetici, quo particulae nucleares et electrones conglobantur.

2. Ex eo quod partes continui secundum diversam considerationem inveniuntur in actu vel in potentia explicatur, saltem magna ex parte, diversus modus loquendi auctorum, qui modo asserunt continuum partes non habere nisi in potentia, modo autem defendunt tales partes esse actu in continuo. Aliqui tamen actualitatem partium exaggerare videntur, ut Ioannes a S. Thoma et Balmes ; Gutberlet continuum construere conatur ex elementis indivisibilibus infinite parvis eiusdem generis ; multi vero auctores, qui continuum constituere nituntur ex ultimis elementis actualibus, videntes ex una parte talia elementa esse debere indivisibilia et simplicia, ex altera autem parte ex simplicibus et inextensis non constitui extensum, vel etiam propter impossibilitatem numeri infiniti, realitatem continui omnino negant. Ita Bayle (1647—1706), Leibniz, Kant (praecriticus), Renouvier (1815—1903), Lachelier (1832—1918).

333. Prob. th. I p. : In omni continuo sunt partes in actu realiter positione distinctae. Ex ipsa essentia quantitatis continuae : Continuum est ordo partium secundum prius et posterius. Atqui ordo partium est distinctio partium, qua secundum prius et posterius distinguuntur realiter seu fiunt actu (cf. n. 273). Ergo in continuo sunt partes in actu realiter positione distinctae.

Mai. quoad continuum permanens patet ex dictis n. 315-318, quoad continuum fluens ex eo, quod est ens successivum, quod essentialiter in successione consistit seu in ordine partium successivarum, ut patet ex iis, quae de motu successivo dicta sunt n. 285—287.

Min. ex eo patet quod ordo partium continui in eo consistit, quod altera est extra alteram ; hoc autem idem est ac partes distingui realiter secundum prius et posterius seu secundum positionem vel successionem.

Nota. Argumentum per reductionem ad absurdum ex eo conficitur, quod continuum, cuius partes essent in potentia tantum, esset continuum in potentia tantum.

Prob. II p. : Partes continui non sunt ipsius continui constitutivae. Ex natura partium continui : Partes constitutivae reddunt rationem eius quod constituunt. Atqui partes continui non reddunt rationem continui. Ergo partes continui non sunt ipsius continui constitutivae.

Ad min. Explicare naturam continui ope partium eius, quae ipsae quoque continuae sunt (et hoc in infinitum), est explicare idem per idem.

Prob. III p.: Partes continui entia non sunt nisi in potentia. Ex unitate continui: Continuum est ens unum. Atqui ens unum non habet partes in actu ut entia. Ergo continuum non habet partes in actu ut entia, sed in potentia tantum.

Mai. patet ex ipsa ratione continui, quod est quantitas una.

Min. ex eo ostenditur, quod ens et unum convertuntur, quatenus eadem est rerum dispositio in entitate et unitate.

334. Coroll. 1. Ergo partes continui numerum vel multitudinem non constituunt nisi in potentia; actu sunt unum continuum. Cum autem continuum in infinitum sit divisibile, multitudo illa potentialis est infinita.

2. Ergo in continuo non habentur ultimae partes minimae.

3. Ergo partes continui secundum se sunt partes indeterminatae seu indefinitae.

4. Ergo continuum habet partes in actu mere materialiter, quatenus dato continuo actu habetur subiectum (materia) divisibile in plura eiusdem rationis.

335. Schol. In continuo heterogeneo actu habetur numerus determinatus partium distinctarum, non tamen ratione ipsius continui, sed ratione aliarum determinationum (cf. n. 408, 2).

336. **Obi.** 1. Partes continui realiter distinctae sunt infinitae. Atqui partes continui non sunt infinitae. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* in actu, *nego;* in potentia, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui partes realiter distinctae sunt infinitae in actu. *Probo.* Partes in actu faciunt multitudinem in actu. Atqui partes realiter distinctae sunt partes in actu. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Partes in actu mere materialiter, *nego;* partes in actu ut entia, *conc. Contradist. min.*

3. Atqui partes continui sunt in actu ut entia. *Probo.* Quae continuum constituunt, sunt in actu ut entia. Atqui partes continuum constituunt. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quae constituunt proprie, *transeat;* quae constituunt improprie tantum (cf. st. qu.), *nego. Contradist. min.*

Bibliographia ad 332-335: *G. L. Calisse,* Divisibilità e continuità, RFNS 1 (1909) 430—441; 556—569.

Ad 333. *S. Thomas:* «Quantum dicitur, quod est divisibile in ea, quae insunt [ποσὸν λέγεται τὸ διαιρετὸν εἰς ἐνυπάρχοντα: Met. V 13, 1020 a 7]. Quod quidem dicitur ad differentiam divisionis mixtorum. Nam corpus mixtum resolvitur in elementa, quae non sunt *actu* in mixto, sed virtute tantum. Unde non est ibi tantum divisio quantitatis, sed oportet quod adsit aliqua alteratio, per quam mixtum resolvitur in elementa» (in l. c. lect. 15 n. 977). «Respondendum est ad eum qui interrogat, an contingat infinita transire sive in tempore sive in magnitudine, quod quodammodo contingit et quodammodo non contingit. Cum enim sint infinita in actu, non contingit ea transire; cum autem sint infinita potentia, contingit. Et sic cum in continuo non sint infinita media nisi in potentia [ἐν δὲ τῷ συνεχεῖ ἔνεστι μὲν ἄπειρα ἡμίση, ἀλλ' οὐκ ἐντελεχείᾳ ἀλλὰ δυνάμει: Phys. VIII 8, 263 a 28], contingit infinita transire: quia illud

quod continue movetur, secundum accidens transivit infinita, scil. in potentia » (in l. c. lect. 17 n. 7 ; cf. VI lect. 11 n. 4). « Omne continuum habet partes seiunctas, ita quod haec sit una pars, et haec alia ; et dividitur in partes diversas et distinctas loco, id est positione, in his quae positionem habent » (In Phys. VI lect. 1). « Linea unius pedis est in potentia in linea bipedali, sed tunc est in actu, quando dividitur a toto . . . In continuo aliud est in actu, sicut pars separata, et aliud in potentia, scilicet pars in continuo exsistens non separata » (In De sensu et sensato, lect. 15 n. 217 sq.). « Pars in toto non est in actu, sed in potentia, maxime in continuis. Sic enim aliquid est ens, sicut est unum. Unum autem est, quod est in se indivisum, et ab aliis divisum : pars autem prout est in toto, non est divisa in actu, sed in potentia tantum : unde non est actu ens neque una, sed in potentia tantum » (In Phys. VII lect. 9 ; cf. In Met. VII lect. 16). « Duo quae sunt in actu, nunquam sunt unum actu ; sed duo quae sunt in potentia, sunt unum actu, sicut patet in partibus continui » (In Met. VII lect. 13 n. 1588). « Unitas rei consequitur esse ipsius : partes autem alicuius homogenei continui ante divisionem non habent esse actu, sed potentia tantum ; et ideo nulla illarum habet unitatem propriam in actu ; unde actu non est accipere ipsarum numerum, sed potentia tantum » (IV Dist. 10, 1 a. 3 sol. 3 ad 1 ; cf. In Met. V lect. 9 n. 897 ; In De Caelo et Mundo I lect. 3).

Thesis 14 : *In continuo dantur indivisibilia actu, non tantum terminantia, sed etiam continuantia, quae tamquam positivae realitates a partibus distinguuntur realiter.*

337. St. qu. Dari indivisibilia in continuo fluente iam probatum est (n. 302—305). Quaestio igitur de continuo permanente hic agitatur. Qui in hoc continuo concedunt partes in actu, solent etiam concedere indivisibilia actu, non tantum terminantia, sed etiam continuantia, quibus partes inter se copulantur.

338. Prob. th. I p. : In continuo dantur indivisibilia actu non tantum terminantia, sed etiam continuantia. Ex natura continui : Illud actu datur in continuo, secundum quod actu datur contactus et coniunctio partium. Atqui contactus unius quantitatis ad aliam est penes extremitates indivisibiles ; similiter coniunctio partium eiusdem quantitatis est secundum extremitates seu indivisibilia. Nam sicut quantitas non coniungitur quantitati seipsa, i. e. penetrative, sed penes extremitates, ita pars iungitur parti non seipsa seu penetrative, sed penes extremitates. Ergo in continuo dantur indivisibilia actu non tantum terminantia, sed etiam continuantia.

Prob. II p. : Indivisibilia tamquam positivae realitates a partibus distinguuntur realiter. Ex effectu formali proprio indivisibilium : Sunt realitates positivae distinctae realiter a partibus, quae habent effectum formalem positivum realiter distinctum a partibus. Atqui indivisibilia habent effectum formalem positivum realiter distinctum a partibus. Ergo a partibus distinguuntur realiter.

Prob. min. Effectus indivisibilium est contactus et coniunctio im-

pediens penetrationem. Atqui contactus et coniunctio impediens penetrationem est effectus formalis positivus distinctus a partibus.

339. Coroll. Ergo contigua sunt, «quorum extrema» seu indivisibilia «sunt simul»; continua vero sunt, quorum partes termino seu indivisibili communi copulantur, «quorum extrema sunt unum» (Arist., Phys. V 3).

340. Schol. Sicut ipsae partes continui, ita etiam indivisibilia continuantia non constituunt numerum vel multitudinem actualem. Etiam indivisibilia continuantia actu non sunt in continuo nisi materialiter: dato continuo, quolibet modo in eo partes designari possunt, et quolibet modo dividi potest; quae partium designatio vel divisio necessario fit in aliquo indivisibili. Propterea indivisibilia continuantia secundum se indeterminata sunt seu indefinita, et secundum hoc omnino recte dicuntur esse in potentia.

341. Obi. 1. In continuo non datur, quod non est pars continui. Atqui haec indivisibilia non sunt partes continui. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod non est pars neque pertinet ad continuum, *conc.;* quod non est pars, pertinet tamen ad continuum tamquam positiva realitas a partibus distincta, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui haec indivisibilia non pertinent ad continuum tamquam positivae realitates distinctae. *Probo.* Ad continuum non pertinet tamquam positiva realitas distincta, quod est aliquid negativi. Atqui haec indivisibilia sunt aliquid negativi. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod est aliquid mere negativi, *conc.;* quod non est aliquid mere negativi, sed habet effectum formalem positivum, *nego. Contradist. min.*

Ad 338. *Aristoteles* «probat quod continuum non componatur ex indivisibilibus per modum eius quod est consequenter. Non enim punctum consequenter se habebit ad aliud punctum, ita quod ex eis constitui possit longitudo, idest linea; aut unum nunc alteri nunc, ita quod ex eis possit componi tempus [οὐδ' ἐφεξῆς ἔσται στιγμὴ στιγμῆς ἢ τὸ νῦν τοῦ νῦν: Phys. VI 1, 231 b 6]: quia consequenter est unum alteri, quorum non est aliquid medium eiusdem generis, ut supra expositum est. Sed inter duo puncta semper est linea media: et sic si linea composita est ex punctis, ut tu das, sequitur quod semper inter duo puncta sit aliud punctum medium. Et similiter inter duo nunc est tempus medium. Non ergo linea componitur ex punctis, aut tempus ex nunc, sicut consequenter se habentibus» (*S. Thom.* in l. c. lect. 1 n. 5; cf. In De an. III lect. 3 [n. 609, ed. Pirotta]).

Ad 339. *Aristoteles:* Ἅπτεσθαι [λέγεται ταῦθ'] ὧν τὰ ἄκρα ἅμα (Phys. V 3, 226 b 23). Συνεχές, ὅταν ταὐτὸ γένηται καὶ ἓν τὸ ἑκατέρου πέρας (l. c. 227 a 11; eadem: Met. XI 12, 1068 b 26 1069 a 5; cf. S. Thom., In Phys. V lect. 5 n. 28). *S. Thomas:* «Dicit [Aristoteles] quod continuum est cum utriusque . . . sit unus et idem terminus, sicut partes lineae continuantur ad punctum» (In Met. XI lect. 13 n. 2412).

Ad 340. *S. Thomas:* «Quod autem dictum est de superficie, intelligendum est in linea, puncto, unitate. Haec enim in continuo non sunt in actu, nisi solum quantum ad illa quae terminant continuum» (In Met. III lect. 13 n. 509). «Punctum non ponitur in definitione lineae communiter sumptae. Manifestum est enim quod in linea infinita, et etiam in circulari non est punctum nisi in potentia» (S. th. I 85, 8 ad 2).

Quaestio V : *De conditionibus ad movendum requisitis.*

§ 1. De conditionibus ad movendum requisitis in genere

342. Conditiones ad quemcumque motum requisitae. 1. Distinctio inter agens et passum. Quidquid movetur, ab alio movetur, nec quidquam movet seipsum. Ad hoc enim idem secundum idem deberet esse simul in actu et in potentia, nam quod se movet, et movet et movetur ; quare inquantum movet, deberet esse in actu (nihil enim agit nisi quod est actu), inquantum vero movetur, esset in potentia (cf. n. 656 ; 749, 5).

2. Subiectum proportionatum agenti. Proportio inter agens et passum. Haec proportio deesse potest duplici ex capite : aut ex parte subiecti, ex parte passi, cui deest potentia passiva ad suscipiendam formam introducendam ab agente (resistentia negativa), aut ex parte agentis, cuius virtuti passum non est proportionatum. Exemplum primi est impenetrabilitas, exemplum secundi maximum pondus disproportionatum virtuti motrici debili.

3. Applicatio ; actio enim in distans repugnat (cf. th. seq.).

343. Conditio specialis requisita in corporibus ad alterandum et ad movendum localiter alia corpora mechanice, i. e. mediante impulsu ab extrinseco in se recepto. Conditio haec specialis est oppositio et dissimilitudo saltem in gradu inter agens et passum seu aequilibrium destructum, quatenus agens et passum praedita sunt qualitatibus seu viribus oppositis (elementa chimica, quae ad invicem affinitatem habent), aut quatenus agens habet qualitatem eandem, sed in gradu intensiore quam passum (inaequaliter calida, calidum et frigidum), aut quatenus unum corpus, quocum communicatus est motus mechanicus, impingit in aliud, quod quiescit aut alio modo movetur. Inter ea enim, quae sunt similia et in specie et in gradu, non habetur actio, ut inter duo aeque calida et inter ea, quae eodem modo localiter mechanice moventur. Tota actio corporum in hoc genere consistit in producendo aequilibrio, quo producto actio cessat (cf. n. 356—358).

Conditio haec specialis ad subiectum proportionatum reducitur.

344. Actio et reactio. Conditionibus datis ad movendum in agente, eo ipso etiam in passo hae conditiones datae sunt, si agens est subiectum proportionatum activitatis passi. Tunc mutua est actio et passio ; ita cum kalium applicatur oxygenio et acidum metallo. Contra, si agens non est subiectum proportionatum activitatis passi, actio mutua non est ; ita cum spiritus agit in corpus, corpus nequit agere in spiritum. Mutua haec actio actio et reactio vocatur, mutua passio passio et repassio.

Actio et reactio, passio et repassio inter se non subordinantur, sed coordinantur ; ideo utraque actio vocari potest actio et reactio, utraque passio passio et repassio. Causae enim istae seu vires inter se non sunt subordinatae, sed coordinatae ; ideo applicatione seu contactu aeque immediate utraque reducitur in actum secundum. Quare etiam quoad durationem et intensitatem eodem modo se habent : quousque durat actio, durat etiam reactio, atque eadem intensitate. Perdurat autem usque ad aequilibrium productum, si conditio actionis fuit aequilibrium destructum.

345. Resistentia. Resistentia generalissime considerata illud significat in passo, quod opponitur actioni agentis tamquam impedimentum efficientiae eius. Resistentia duplex distinguitur : negativa et positiva. Resistentia n e g a t i v a est incapacitas et repugnantia ad aliquid recipiendum seu defectus potentiae passivae. Haec resistentia simpliciter constituit subiectum non proportionatum formae introducendae (cf. n. 342, 2), ac proinde a nullo agente creato superabilis est. Exemplo sit incapacitas auri ad recipiendum influxum corrosivum acidi sulfurici. Resistentia p o s i t i v a est reactio. Haec est in genere causae efficientis. Exemplum sit resistentia qualitatum contrariarum ad invicem. Propter hanc resistentiam corpus, quod agit in alterum sibi oppositum alterando aut mechanice movendo, tantum virtutis amittit, quantum producit in altero, atque ita mutuis actionibus et passionibus ad aequilibrium tenditur (cf. n. 358).

Ad 342. *Aristoteles* « proponit, quod necesse est omne quod movetur ab aliquo alio moveri » (ἅπαν τὸ κινούμενον ἀνάγκη ὑπό τινος κινεῖσθαι : Phys. VII 1, 241 b 24. *S. Thom.* lect. 1 n. 2). Idem probat Phys. VIII 4 ; S. Thom. lect. 7 n. 4. *S. Thomas :* « Subiectum in quod agitur, ordinem habet et ad agens quod reducit ipsum de potentia in actum, et ad actum in quem reducitur. Sicut ergo subiectum aliquod est in potentia ad aliquem determinatum actum, et non ad quemlibet, ita non potest reduci de potentia in actum determinatum nisi per agens aliquod determinatum » (C. g. III 102).

Ad 343. *Aristoteles* « concludit quasi inducendo, quod omnes philosophi posuerunt principia contraria secundum aliquem modum » (τἀναντία πως πάντες ποιοῦσι τὰς ἀρχάς : Phys. I 5, 188 a 26. *S. Thom.* lect. 10 n. 2).

Ad 344 sq. *S. Thomas :* « In aliqua actione potest esse resistentia dupliciter. Uno modo ex parte agentis, quando scil. ex contrario agente virtus ipsius debilitatur ; alio modo ex parte ipsius effectus, quando ex contraria dispositione impeditur effectus. In omni actione, ubi agens non patitur, prima resistentia non habet locum, sed secunda solum ; unde in operationibus divinis non attenditur difficultas secundum resistentiam ad agentem, sed secundum impedimentum effectus. Magis autem impeditur effectus per subtractionem potentiae recipientis quam per rationem contrariae dispositionis, quia contraria dispositio non impedit effectum nisi inquantum facit potentiam indispositam. Et ideo maior difficultas est in creatione, ubi omnino materia non praeexsistit, quam ubi in praeexsistenti materia est aliquid quod effectui contrariando repugnat » (IV Dist. 11, 1 a. 3 sol. 3 ad 2).

§ 2. De actione in distans

Thesis 15: *Actio in distans absolute repugnat.*

346. St. qu. 1. Quantitatem sequitur distantia et indistantia seu praesentia. Haec habetur *a)* inter partes eiusdem quantitatis, *b)* inter diversas quantitates. Indistantia seu praesentia inter diversas quantitates contactus dicitur; ea enim se tangunt, quorum extrema sunt simul. Indistantia inter duas partes eiusdem quantitatis continuae stricte non dicitur contactus, sed continuum.

Cum distantia et praesentia seu contactus sequantur quantitatem, per se dicuntur de quantitate et de rebus quantis. At per accidens etiam de iis, quae non sunt quanta, seu de substantiis spiritualibus dicuntur, quatenus haec ingrediuntur ordinem quantitatis, tangendo quantitatem operatione aut informatione. Qui contactus dicitur contactus virtutis, ut distinguatur a contactu molis, quo res quantae se tangunt ad invicem.

Thesis igitur nostra, quae negativa est, positive etiam ita enuntiari potest: Absoluta necessitate requiritur contactus inter agens et passum, si passum est quantum seu extensum; si etiam agens est quantum, hic contactus erit contactus molis; si agens non est extensum, i. e. si est substantia spiritualis, erit contactus virtutis tantum. Quo tamen minime negatur, ut per se patet, posse unum mediante altero agere in tertium, sicut sol per medium agit in terram; nam etiam ita inter singula agentia ad invicem subordinata habetur contactus.

2. Thesis communiter admittitur praesertim quoad agentia corporea, non tantum a philosophis, sed etiam a recentibus rerum naturalium peritis (Faraday, Maxwell), paucis exceptis, ut sunt ii qui, cum admittant vacuum inter atomos, atomis tamen largiuntur vires attractivas, quibus trans vacuum agerent inter se. Ex philosophis, qui actionem in distans propugnant, nominentur Bolzano et Schwertschlager.

347. Prob. th. 1. Probatur physice quoad agentia corporea: *a)* ex experientia: Interposito medio ad transmittendam corporis activitatem inepto cessat actio; quod ostendit corpus non agere in corpus distans nisi agendo in corpus intermedium, quocum contactum habet. Crescente distantia minuitur actionis intensitas; quod iterum ostendit corpus non agere in corpus distans nisi agendo in corpora interposita. Corpora naturali nisu tendunt ad contactum, ut ad invicem agere possint; hinc cum chimicam ineunt mixtionem, in minimas scinduntur particulas, quae possint coniungi et ita agere inter se. Solo contactu corpora ultimo determinantur, ut ad invicem agant;

ante contactum non possunt esse determinata nisi in actu primo tamquam ea, quae ad invicem agere possunt, ut corpora, quae ad invicem affinitatem chimicam habent. Probatur *b)* ex modo essendi corporis : Quod subditur loco in esse, loco etiam subditur in agere ; agere enim sequitur esse. Atqui corpus subditur loco in esse, ut patet ex dictis n. 312. Ergo etiam in agere, et actio in distans repugnat.

2. Probatur thesis metaphysice quoad agens quodcumque : ex habitudine inter agens et passum : Ut agens agat in corpus extensum, necesse est habeat extensum sibi subiectum in actu secundo. Atqui agens non habet extensum sibi subiectum in actu secundo, nisi virtute sua tangat illud. Ergo requiritur contactus inter agens et corpus passum, et actio in distans repugnat.

Mai. patet ex eo, quod passum dicit subiectionem et dependentiam ab agente.

Prob. min. Extensio essentialiter est ordo positionis. Virtus autem agentis non habet hunc ordinem sibi subiectum, nisi ipsa virtus ingrediatur hunc ordinem seu habeat etiam ipsa positionem in eo per contactum. Ostenditur hoc ex intrinseca coniunctione, quae requiritur inter agens et passum. Si passum est extensum, haec coniunctio haberi nequit nisi per contactum. Ut enim agens intrinsecus coniungatur cum ordine positionis, necesse est intrinsecus ingrediatur hunc ordinem, quod est per positionem in eo seu per contactum. Sine contactu virtus agentis omnino extrinsecus manet passo.

348. Coroll. Ergo contactus pertinet ad causalitatem aut tamquam immediata praeparatio ad actionem (pertinet ad actum primum proximum) aut tamquam aliquid in actione ipsa inclusum (pertinet ad actum secundum). Tamquam contactus molis pertinet ad actum primum proximum : Moles debent esse simul, ut incipiat actio. Tamquam contactus virtutis pertinet ad ipsam actionem (ad actum secundum) : Contactus enim virtutis est per ipsam actionem virtutis agentis.

349. Schol. 1. Si energiam, quae per spatium diffunditur, tamquam substantiale quid concipimus, actio in distans corporum, quae per energiam campi gravitationis infinite extenduntur, explicari potest, quin exsistentia aetheris postulari debeat.

2. Cum distantia spatium significet, de actione in distans proprie sermo esse non potest, nisi quatenus supponitur esse spatium et locus, in quo agens et passum constituantur. Spatio igitur non exsistente, certo haberi nequit praesentia localis. Quare si Deus angelum creasset ante mundi corporei constitutionem, fuisset quidem Deus intime coniunctus et praesens angelo, sed coniunctione et praesentia mere causali. Coniunctio enim intima inter causam et effectum absolute est de ratione causalitatis. Et ex hac coniunctione conatu-

raliter resultat necessitas coniunctionis localis, passo in loco exsistente.

3. Agens creatum in distans agere potest tamquam instrumentum Dei. Sed haec revera non est actio in distans, cum Deus ubicumque praesens sit, qui tamquam causa principalis producit in subiecto distante ab instrumento effectum aliquem tamquam dependentem ab instrumento.

350. Obi. 1. Est actio in distans, cum pomum in arbore suspensum movet puerum. Atqui pomum in arbore suspensum movere puerum non repugnat. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Est actio, quae est causalitas finis, *conc.* ; actio stricte sumpta seu actio, quae est exercitium causalitatis efficientis, *nego. Conc. min.* ; *dist. consq.* : Actio, quae est causalitas finis, *conc.* ; actio stricte sumpta seu actio, quae est exercitium causalitatis efficientis, *nego.*

2. Atqui etiam actio stricte sumpta est in distans. *Probo.* Corpus saepe agit in corpus efficienter sine contactu, ut sol in terram. Atqui haec est actio in distans stricte sumpta. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Sine ullo contactu, *nego* ; sine contactu immediato, cum contactu tamen mediato, *conc. Contradist. min.*

3. Atqui est actio efficiens sine ullo contactu. *Probo.* Est actio efficiens agentis spiritualis in corpus. Atqui haec actio est sine ullo contactu. Ergo. *Resp. Conc. mai.* ; *dist. min.* : Sine contactu molis, *conc.* ; sine contactu virtutis, *nego. Dist. consq.*

4. Atqui agens spirituale agit etiam sine contactu virtutis. *Probo.* Quod non subditur loco, agit etiam sine contactu virtutis seu agit in distans. Atqui agens spirituale (Deus, angelus) non subditur loco. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quod non subditur loco, sibi tamen locum subicere debet per contactum virtutis, *nego* ; quod neque sibi locum subicere debet per contactum virtutis, *conc. Contradist. min.*

5. Atqui agens spirituale non debet per contactum sibi subicere locum seu quantitatem in quam agit. *Probo.* Non debet sibi subicere per contactum locum seu quantitatem, in quam agit, cui naturaliter haec quantitas subicitur sine contactu. Atqui agenti spirituali naturaliter subicitur corpus seu quantitas sine contactu. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Cui subicitur in actu primo tantum, *nego* ; etiam in actu secundo, *conc. Contradist. min.*

6. Atqui etiam in actu secundo agens spirituale habet sibi subiectum corpus seu quantum sine contactu. *Probo.* Quod sibi subicit corpus in actu secundo per determinationem intellectus sui seu per imperium practicum intellectus sui, habet corpus sibi subiectum in actu secundo sine contactu. Atqui agens spirituale subicit sibi corpus per imperium intellectus sui. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Per imperium, quod est sine contactu, *conc.* ; per imperium, quod est cum contactu, *nego. Contradist. min.*

Bibliographia ad 346—349 : *I. Chianale,* Notae in quaestionem quam vocant « de actione in distans », Gr 7 (1926) 44—72.

Ad 347. *Aristoteles* : Τὸ δὲ πρῶτον κινοῦν, . . . ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως, ἐστὶν ἅμα τῷ κινουμένῳ. . . διότι οὐθὲν αὐτῶν μεταξύ ἐστιν (Phys. VII 2, 243 a 3). *S. Thomas* : « Dicit ergo primo, quod movens et motum sunt simul. Sed aliquid dicitur movere dupliciter. Uno modo sicut finis movet agentem ; et tale movens aliquando distans est ab agente quem movet ; alio modo sicut movet id quod est principium motus ; et de tali movente hic intelligit. Et propter hoc addidit : non sicut cuius causa, sed unde est principium motus. Item movens sicut principium motus quoddam est immediatum et quoddam remotum. Intelligit autem hic de immediate movente,

et ideo dixit primum movens, ut per primum significetur immediatum mobili, non autem id quod est primum in ordine moventium. Et quia in quinto dixerat ea esse simul, quae sunt in eodem loco, posset aliquis credere ex hoc quod dicit quod movens et motum simul sunt, quod quando unum corpus movetur ab altero, quod oporteat ambo esse in eodem loco: et ideo ad hoc excludendum subiungit, quod simul dicit hic, non quidem esse in eodem loco, sed quia nihil est medium inter movens et motum, secundum quod contacta vel continua sunt simul, quia termini eorum sunt simul vel quia sunt unum. Et quia in praecedenti demonstratione processerat solum de motu locali, posset aliquis credere quod hoc haberet veritatem solum in huiusmodi motu, et ideo ad hoc removendum subiungit, quod hoc dictum est communiter, quod movens et motum sunt simul, et non specialiter de motu locali; quia hoc est commune in omni specie motus, quod movens et motum sunt simul, modo exposito» (in l. c. lect. 3 n. 1; cf. S. th. I 8, 1).

B. PHILOSOPHIA NATURALIS SPECIALIS

Pars I

DE CAELO ET DE MUNDO SEU DE ENTE MOBILI MOTU LOCALI

Caput I

DE IPSO MOTU LOCALI

351. Quid sit motus localis, et quotuplex sit. Motus localis est motus ad « ubi ». Cum motus localis sit ad acquirendum ubi, ipsum ubi in motu locali est in statu motus seu « fieri ».

Cum duplex sit ubi, adaequatum et inadaequatum, motus localis duplex est, adaequatus et inadaequatus. Motus localis adaequatus est, cum corpus movetur de loco in locum; motus localis inadaequatus est, cum corpus movetur in vacuo ad ubi inadaequatum. Sublato ubi, etiam inadaequato, motus localis omnis impossibilis evadit. Corpus igitur solitarium sublata tota mundi machina non posset moveri localiter [1], et res mundanae eo tantum moventur localiter, quod localem habitudinem mutant ad invicem (cf. n. 318, 3).

352. Quomodo efficiatur motus localis. Causa efficiens motus localis est impulsus. Impulsus duplex est: *a)* actio seu motio virtutis motricis; *b)* huius motionis participatio transiens recepta in re mota: vis mechanica. Haec est participatio imperfecta virtutis motricis, quae tamquam entitas vialis communicatur cum corpore moto. Ideo reductive pertinet ad secundam speciem qualitatis. Est vis instrumentaria omnino ab extrinseco communicata, quae non habet esse fixum in corpore moto. Quo opponitur virtuti motrici

---

[1] Si hoc corpus solitarium supponeretur aliter et aliter disponere partes suas, secundum figuram tantum moveretur, non secundum « ubi » neque secundum situm, quia non habet ubi neque situm

attractivae massarum, quae in essentia corporis radicatur, et virtuti attractivae electromagneticae, quae est proprietas electronum. Nullum corpus potest moveri localiter, quin cum eo communicetur haec vis mechanica. Tamquam vis instrumentaria est id, quo causa movens movet proxime; vis motrix, quae huic causae inest, eiusque actio sunt principium remotum motus localis. Postquam recepit in se vim mechanicam corpus, etiam separatum a causa movente, movetur in determinata directione et cum determinata velocitate, atque in perpetuum ita moveretur, nisi a resistentia frictionis et ponderis (attractionis terrae) impediretur (lex inertiae). Corpus motum, recepta vi mechanica, per eam etiam capax evadit alia corpora movendi, in quae impingitur.

353. Resistentia vincenda in corporibus movendis localiter. Resistentia (positiva) vincenda est duplex: *a)* resistentia molis, abstrahendo a pondere et a resistentia frictionis, quae provenit ex eo, quod corpus motum non movetur in vacuo, sed in contactu cum corporibus ambientibus. Etiam abstrahendo a pondere et a resistentia frictionis, eodem impetu recepto, maior moles lentius movetur quam minor; *b)* resistentia ponderis (attractionis terrae) et frictionis.

354. Motus localis ceteris motibus supponitur. Nam motus augmenti supponit alterationem; fit enim augmentum mediante nutritione, quae est per alterationem; motus autem alterationis contactum seu approximationem supponit corporum, oppositis qualitatibus praeditorum, approximatio autem est per motum localem.

355. Theoria relativitatis Einsteiniana. A Relativistis motus localis concipitur mere relative tamquam mutatio relationis distantiae. Haec theoria per se primo est theoria mathematico-physicalis, quae intra limites huius considerationis recta dici possit. Revera in mundo nostro corporeo omnia moventur multiplici modo. Non tantum corpora, quae quiescentia videntur, moventur motu corporum caelestium, in quibus insunt; etiam ille, qui motus observare et mensurare nititur, movetur; et lux, quae nobis apparere facit motus et positiones corporum inter se, movetur. Quae cum ita sint, theoria relativitatis tradere nititur formulam pro mensurationibus mathematico-physicalibus, quae haec omnia in se complecteretur. Sed aliqui theoriam hanc ita proponunt, ac si obiectivam realitatem integraliter referret et proinde philosophum cogeret ad essentialiter mutandum conceptum motus localis.

Contra hos philosophi est genuinum motus localis conceptum vindicare: Motus localis non est quid mere relativi, neque essentialiter est mutuus. Dato motu locali, in omnibus corporibus necessario

est mutatio distantiae, sed non in omnibus necessario est mutatio τοῦ ubi et vis mechanica (qualitas fluens) hanc mutationem proxime efficiens. Si corpus aliquod movetur, i. e. « ubi » seu positionem suam in mundo corporeo ac proinde etiam relationem distantiae ad cetera corpora omnia mutat, haec corpora quidem etiam ad ipsum relationes suas distantiae mutant, sed non mutant relationes distantiae ad invicem, quia ipsa non mutant ubi seu positionem suam. Si tollimus totum universum corporeum et supponimus esse duo tantum corpora, tunc etiam corpus motum non mutaret relationem distantiae nisi ad illud unicum alterum. Sed hoc per accidens est ; semper enim corpus motum ita intrinsecus determinatum est, ut mutaret relationem suam distantiae ad omnia alia corpora, si plura alia darentur, id quod non obtinet in altero corpore quiescente. Eodem instanti, quo orirentur alia corpora, corpus motum positionem suam relate ad omnia mutaret, non vero corpus quiescens. Semper igitur, saltem in abstracto, distinguere possumus corpus motum a quiescente. Corpus motum est illud, in quo inest vis fluens mechanica et in quo mutatur ubi. Sed etiam multoties in concreto, quodnam in individuo sit illud corpus, quod movetur, determinare possumus aut experientia sensili aut ratiocinio et experimento scientifico (cf. n. 489).

Cum igitur mera relativitas motus localis non recte asseratur, neque relativitas temporis et spatii, quae exinde deducitur, recte affirmatur. Datur mensura temporis et distantiarum, quae absolute valet, et haec mensura etiam a nobis multoties cognosci potest certitudinaliter. Errores, qui ex motu locali et ex propagatione lucis, quae tempore per spatium propagatur, contingunt, pro relationibus terrestribus ordinariis ita parvi sunt, ut non percipiantur, ac proinde non sunt nisi errores mere negativi. In observationibus autem astronomicis momentum habent, sed corrigi possunt, quatenus motus cognoscitur et determinatur.

Bibliographia ad 351—355 : *G. Gianfranceschi*, Sulla relatività generale di Einstein, Gr 3 (1922) 259—265. *J. Gredt*, Bewegung, Zeit und Raum in der Einstein'schen Relativitätstheorie. Eine prüfende Untersuchung nach aristotelisch-thomistischen Grundsätzen, DThFrib 2 (1924) 432—446. *Id.*, Theoria relativitatis Einsteiniana philosophice excussa secundum principia aristotelico-thomistica, Acta primi Congressus thomistici internationalis, Romae 1925, 105—119. *Id.*, Philosophie der Mechanik, DThFrib 8 (1930) 33—39. *E. Hartmann*, Raum und Zeit im Lichte der neuesten physikalischen Theorien, PhJ 30 (1917) 1—24. *Id.*, A. Einsteins allgemeine Relativitätstheorie, l. c. 363—387. *J. Maritain*, La metafisica dei fisici, ossia la simultaneità secondo Einstein, RFNS 15 (1923) 313—330. *D. Nys*, N'y a-t-il dans l'univers que des mouvements relatifs?, RNSPh 24 (1922) 170—194. *J. Pouquet*, La théorie de la relativité. Essai de conciliation avec le bon sens,

APh VII cah. III, Paris 1930, 1—110. *F. Renoirte*, La critique einsteinienne des mesures d'espace et de temps, RNSPh 26 (1924) 267—298. *A. Rozwadowski*, De motus localis causa proxima secundum principia S. Thomae, DThPlac 42 (1939) 104—113. *D. Schacherl*, Einige Bemerkungen zum Einsteinschen Relativitätsprinzip, DThFrib 6 (1919) 202—205. *J. Schneider*, Die Einsteinsche Relativitätstheorie und ihre philosophische Beleuchtung nach thomistischen Prinzipien, DThFrib 9 (1922) 60—77; 131—143; 153—180; 233—246. *A. Sesmat*, La théorie aristotélicienne du mouvement local, RPh 39 (1939) 1—23. *F. Spielmann*, Kritische Betrachtungen zur Relativitätstheorie, PhJ 32 (1919) 260—270. *L. Urbano*, Einstein y Santo Tomás, DThPlac 18 (1925) 26—64; 669—719. *F. Vial*, Les arguments de M. Einstein, RSPhTh 11 (1922) 589—603. *F. Warrain*, Critique de la théorie de la relativité de l'espace et du temps, Acta primi Congressus thomistici internationalis, Romae 1925, 85—90. *A. Weber*, Zur Relativitätstheorie, PhJ 33 (1920) 61—71. *Id.*, Über Raum und Zeit, PhJ 35 (1922) 105—120. *J. A. Weisheipl*, Space and Gravitation, NSch 29 (1955) 175—223.

Ad 351. *Aristoteles:* Ἡ μὲν οὖν κατὰ τόπον [κίνησις] φορά (Phys. VII 2, 243 a 8). Aristoteles « dividit modos quibus aliquid movetur [localiter] ab altero et dicit, quod sunt quattuor, scil. pulsio, tractio, vectio et vertigo » (*S. Thom.*, In Phys. VII 2 lect. 3 n. 4; Arist.: 243 a 17).

Ad 352. De mente Aristotelis et S. Thomae circa causam motus localis rei proiectae controversia inter auctores habetur, quia uterque docet rem proiectam ab aëre moveri (cf. Phys. VIII 10, 267 a 2 sqq.; S. Thom. lect. 22 n. 3 sq.; Arist., De caelo III 2, 301 b 22 sqq.; S. Thom., In De caelo et m. III lect. 7 n. 6 sqq.). Nihilominus uterque vim impulsivam a causa proiciente tribui aëri aut rei proiectae aperte tradit: « Est ergo dubitatio quomodo proiecta continue moventur, etiam postquam non tanguntur a movente. Videtur enim, quod moveantur nullo movente ipsa . . . Ponit suam solutionem et dicit, quod, si secundum movens movet motum a primo movente, necesse est hoc dicere, quod primum movens, scil. proiciens, det secundo moventi, scil. aëri vel cuicumque tali corpori, quod est natum movere corpus proiectum, ut possit movere et ut possit moveri; utrumque enim habet aër vel aqua a proiciente, et quod moveat et quod moveatur » (*S. Thom.*, In Phys. VIII 10 lect. 22 n. 1 3; Arist.: 267 a 2). « Imprimit ergo motor violentus lapidi solum motum: quod quidem fit dum tangit ipsum. Sed quia aër est susceptibilior talis impressionis, tum quia est subtilior, tum quia est quodammodo levis, velocius movetur per impressionem violenti motoris, quam lapis; et sic, desistente violento motore, aër ab eo motus ulterius propellit lapidem, et etiam aërem coniunctum; qui etiam movet lapidem ulterius, et hoc fit quousque durat impressio primi motoris violenti » (*S. Thom.*, In De caelo et m. III lect. 7 n. 6; Arist., De caelo III 2, 301 b 22).

Ad 354. *Aristoteles* statuit, quod motus localis est primus inter omnes, quia augmentatio non potest esse sine alteratione, et haec requirit motum localem (Ἀδύνατον γὰρ αὔξησιν εἶναι ἀλλοιώσεως μὴ προϋπαρχούσης. . . ταῦτα δ' ἄνευ φορᾶς οὐκ ἐνδέχεται ὑπάρχειν: Phys. VIII 7, 260 a 29 b 4. Cf. S. Thom. lect. 14 n. 2 sqq.). *S. Thomas:* « Nullum corpus agit nisi tangendo vel movendo » (S. th. I 45, 5). « Primus motuum est motus localis, unde et causa aliorum exsistit » (C. g. III 102; cf. 82: Amplius. Primum).

Caput II

DE ENERGIA ET ENTROPIA MUNDI SEU DE ACTIVITATE CORPORUM MECHANICE CONSIDERATA

356. Notio energiae. Energia definitur: facultas praestandi laborem. Labor autem praestatur, quoties superatur aliqua resistentia positiva (cf. n. 345). Energia ne confundatur cum potentia agendi. Potentia agendi est rei proprietas, quae permanenter inest, utpote in essentia fundata; ex potentia agendi, tamquam ex actu primo, dimanat actus secundus seu ipsa actio. Energia vero facultatem praestandi laborem significat, quae non necessario fundatur super virtutem propriam rei, sed etiam transeunter inesse potest per modum entitatis fluentis seu vialis (virtus instrumentaria, e. g. vis mechanica).

357. Aequivalentia energiarum. Diversae energiae una ab alia producuntur, ita ut in mundo contingat continua quaedam energiarum transmutatio (cf. n. 247). Quae transmutatio fit secundum determinatam omnino proportionem — aequivalentia energiarum; ita determinata motus mechanici quantitas producit semper eandem determinatam caloris quantitatem, seu tantus motus mechanicus aequivalet tanto calori.

358. Principium conservationis energiae. Omne corpus, quantum in eo est, semper in eodem statu perseverat; ideo neque superaddere neque detrahere sibi potest aliquam energiam, e. g. accelerare vel retardare motum suum, ex quiete in motum, ex motu in quietem transire, calefacere et refrigerare seipsum. Cum vero ab alio e statu suo exturbatur, necesse est illud corpus, quod influit in aliud superaddendo aliquam energiam, propter reactionem passi (cf. n. 344 sq.) tantum de sua amittere, quantum cum altero communicat. Unde quaedam energiae translatio fit, quantitate eius eadem semper manente. Quod illustretur exemplis: Corpus calidum refrigeratur alia corpora calefaciendo, communicando suum calorem cum ipsis. Tantum caloris amittit, quantum cum aliis communicat, nec potest amittere calorem nisi communicando eum cum aliis vel transmutando in aliam aequivalentem energiam, sicut calor vaporis inclusus in machina transmutatur in aequivalentem motus mechanici quantitatem. Corpus mechanice motum non potest suum motum cum alio communicare (impellere illud), nisi amittendo tantam motus quantitatem, quantam cum altero communicat. Si vero tanta fuerit massa corporis, in quod impingitur, quocum motum mechanicum communicare non valeat, tunc motus visibilis mechanicus transit in vibratorium, in calorem,

et producitur quantitas caloris aequivalens motui mechanico amisso. Ita fit, ut in omnibus processibus physicis quantitas energiae eadem maneat, licet qualitative mutetur. Energia mundi augeri vel minui non potest nisi interventu entis, quod super energiam physicam omnino eminet eique dominatur[1].

359. Lex entropiae. Secundum legem entropiae omnes formae energiae tendentiam manifestant sese transformandi in energiam caloris, haec vero sese diffundendi modo uniformi in medium ambiens; aliis verbis: Entropia mundi iugiter crescit. Entropia aliud non est quam illa pars energiarum, quae reducta est ad statum restrictae transmutabilitatis (reversibilitatis) in alias formas energiae; status autem transmutabilitatis limitatae, qui ipse facillime diffunditur uniformiter. Processus igitur mundanus seu mutua corporum activitas, qua agunt inter se alterando et movendo mechanice, in tensione energiarum consistit, quae iugiter minuitur. Lex entropiae est lex statistica, quae contrarium excludit non quidem certitudine proprie dicta, sed summa probabilitate.

360. Massa et energia. In processu diffissionis nuclei atomici duo novi nuclei minoris ponderis oriuntur, quorum tamen summa minor est pondere totius, ut quaedam pars massae totius amissa esse videatur, quae energiae potentiali ex hoc processu exortae correspondet. Ex hoc facto scientia physica atomica concludit massam ex processu diffissionis amissam transformatam esse in energiam, ideoque massam et energiam esse identificandam ($E = m\ c^2$).

Massa in sensu theoriae atomicae determinatur per resistentiam inertiae et gravitationis et concipitur ut mensura mathematica. Secundum philosophiam vero scholasticam massa est quantitas materiae secundae seu molis. Energia autem non est aliquid substantiale, sed est accidens, quantitative stabile, qualitative multiplex (energia cinetica, potentialis, elastica, thermica, chimica, electrostatica, nuclearis etc.), necessario ab aliqua substantia materiali dependens.

Quod igitur in processu diffissionis nuclei atomici amittitur, est massa in sensu scientiae atomicae, i. e. sunt proprietates inertiae et gravitationis, quae mensurantur ut mensurae mathematicae; nihil tamen prohibet, quin exsistat quoddam ens materiale illis proprietatibus privatum. In hoc statu tamen massa non iam experimentaliter mensurari potest. Energia, quae in processu diffissionis nuclei se manifestat in materia ponderabili duarum partium nuclei, utpote accidens, non potest esse transformata ex massa i. e. ex substantia materiae secundae. Potius stricte concludi debet quandam massam amittere

[1] Potentiae animae cum agunt physice movendo, non augent quantitatem energiae physicae, cum ipsae non agant nisi mediante energia physica seu mediantibus viribus physicis et chimicis (cf. n. 450, 2).

posse proprietates inertiae et gravitationis, quin tamen desinat esse vera materia i. e. substantia corporis.

Bibliographia ad 356—360: *F. Dessauer*, Leben, Natur, Religion, Bonn 1924. *D. Günther*, Der experimentelle Beweis für die Gültigkeit des Energieerhaltungsprinzips im Tier- und Menschenkörper, PhJ 33 (1920) 321—333. *A. Holländer*, Physik und Metaphysik, DThFrib 29 (1951) 314. *E. Meyerson*, Idendité et Réalité[4], Paris 1932. *M. Plank*, Das Prinzip der Erhaltung der Energie[5], Leipzig-Berlin 1924. *Id.*, Religion und Naturwissenschaft, Leipzig 1938. *B. Thum*, Zur Deutung des Prinzips von der Erhaltung der Energie, Studia Anselmiana 7—8, Romae 1938, 143—160. *Id.*, Scholastische Kosmologie und Naturwissenschaften, DTh Frib 27 (1949) 17—40.

Caput III

DE COSMOGONIA SEU DE FORMATIONE MUNDI PER MOTUM LOCALEM

Thesis 16: *Cosmogonia per viam evolutionis summa probabilitate gaudet; nulla tamen evolutio cosmogonica potest rationabiliter defendi, nisi quae admittit in nebula primitiva statum ab initio inditum tensionis teleologicae maxime artificiosae.*

361. St. qu. 1. Nomine cosmogoniae non intelligimus creationem ex nihilo, sed mundi formationem, supposita prima rerum productione, et supponimus materiam primitivam non habere a se neque exsistentiam, cum sit ens contingens, neque motum, cum sit ex se indifferens ad motum aut quietem.

2. Astronomi suadere nituntur cosmogoniam mechanico-evolutionisticam ex nebula quadam primitiva: in nebula primitiva, inquiunt, formantur nuclei spissiores, qui se attrahunt, et ita oritur motus, qui ducit ad evolvenda systemata solaria.

3. Laplace (1749—1827) ortum nostri systematis solaris ita exponit: Initio fuit ingens sphaera aëriformis, quae volvebatur circa axem suum. Ab hac sphaera per vim centrifugam separabantur anuli, qui vi attractionis, quam inter se exercebant, disrumpebantur, partes vero exinde ortae circa massam centralem volvebantur. Unde et ipsae induebant formam sphaerae, a qua iterum aliae sphaerae eodem processu divellebantur. Ita ex massis a nebula primitiva disiectis et postea solidatis exortum est nostrum systema solare. Simili processu etiam cetera systemata solaria evoluta esse dicuntur. Propter difficultates, quibus ansam praebet haec hypothesis, alii eam satis modificaverunt, alii alias explicationes proposuerunt.

4. Aliqui, ut Haeckel (1834—1919), extendendo darwinismi principia ad totum ordinem mundanum, docent non tantum diversos viventium typos, sed totum huius mundi aspectabilis ordinem ac proinde etiam stellarum systemata per fortuitam « selectionem naturalem » ex chaos inordinato ortum duxisse : in lucta seu collisione fortuita molium cosmicarum eae dispositiones materiae, quae aptiores sunt, remanent, intereuntibus ineptioribus (« survival of the fittest », cf. n. 608), et ita oritur stellarum pulcherrimus ordo. Contra quos dirigitur III pars thesis nostrae, qua asserimus in nebula primitiva tensionem teleologicam maxime artificiosam, i. e. tendentem ad ordinem pulcherrimum mundi corporei producendum, ita ut in virtute huius tensionis nebula primitiva hunc ordinem virtualiter in se continuerit tamquam germen eius.

362. Prob. th. I p. : Cosmogonia per viam evolutionis summa probabilitate gaudet. Ex diversis statibus materiae cosmicae et corporum caelestium : Investigatio astronomica nobis ostendit *a)* nebulas cosmicas, *b)* densas stellarum aggregationes, quae videntur esse systemata, quae sunt in statu evolutionis et formationis, *c)* stellas calore candentes, alias rutilantes, alias sua luce iam non fulgentes, quae proinde ita refrigeratae iam sunt, ut crusta solida sint circumdatae. Hi status diversi status evolutionis materiae cosmicae sunt. Etiam terra nostra in diversis stratis suis vestigia gerit evolutionis alicuius ex statu liquido igneo, atque quaedam rationes suadent etiam nunc interiora terrae ignea esse.

Prob. II p. : Admittendus est in nebula primitiva status tensionis. Ex eo quod nebula primitiva est principium processus mundani : Nebula primitiva est principium processus mundani. Atqui in principio processus mundani admittendus est status tensionis. Ergo in nebula primitiva admittendus est status tensionis.

Min. patet ex dictis n. 359.

Ad mai. Nebula primitiva est principium cosmogoniae evolutionisticae ; cosmogonia autem evolutionistica est ipse processus mundanus ; est enim formatio mundi mediantibus causis secundis.

Prob. III p. : Tensio nebulae primitivae est tensio teleologica maxime artificiosa. Ex eo quod est principium artefactorum mirabilium : In eo admittendus est status tensionis teleologicae maxime artificiosae, ex quo evolvuntur maxima artefacta. Atqui ex nebula primitiva evolvuntur maxima artefacta. Ergo in nebula primitiva admittendus est status tensionis teleologicae maxime artificiosae.

Mai. ex eo probatur, quod non evolvitur, quod non praecontinetur.

Ad min. Ex nebula primitiva evolvuntur systemata solaria, quae sunt maxima artefacta. Diversa enim corpora caelestia ita inter se

ordinata sunt, ut exinde oriatur mechanismus valde artificiosus et stabilis ; mira enim arte stellarum systemata disposita sunt, ut quae ex altera parte oriri videntur perturbationes, ex altera compensentur. Ex nebula primitiva evolvitur etiam terra nostra tamquam sedes viventium. Ad hoc autem, ut terra possit esse sedes viventium, innumerae et valde complexae dispositiones requiruntur, ita ut exinde etiam ipsa maximum evadat artefactum : requiritur determinata distantia terrae a sole, determinata omnino inclinatio eclipticae, i. e. orbitae terrestris versus aequatorem, et aliae conditiones astronomicae ; requiritur determinata omnino humi compositio ad plantas nutriendas, determinata aëris mixtio ad respirandum, et innumera alia, quae mere mechanice oriri non potuerunt.

363. Coroll. Ergo si reapse, ut rerum naturalium periti probabiliter tenent, mundus per viam evolutionis ex nebula quadam primitiva exortus est, hoc valde commendat divinam sapientiam, quae mundum, pulcherrimum artefactum, artificiosissime produxit, atque in producendo etiam usa est causis secundis.

364. Obi. *Contra I p.* 1. Ortus mundi per viam evolutionis nulla probabilitate gaudet. Atqui cosmogonia per viam evolutionis est ortus mundi per viam evolutionis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Prima materiae productio, *conc.;* formatio mundi, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui etiam formatio mundi non est per viam evolutionis. *Probo.* Formatio mundi quae est a Deo, non est per viam evolutionis. Atqui formatio mundi est a Deo. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quae est a Deo mediantibus causis secundis, *nego;* causis secundis non mediantibus, *conc. Contradist. min.*

3. Atqui formatio mundi mediantibus causis secundis seu per evolutionem nulla probabilitate gaudet. *Probo.* Sententia nulla probabilitate gaudet, quae continet monismum et hylozoismum. Atqui formatio mundi per evolutionem continet monismum et hylozoismum. Ergo. *Resp. Conc. mai.; dist. min.:* Si mundus concipitur tamquam unum per se, quod se evolvit vitaliter, *conc.;* si non ita concipitur, *nego. Dist. consq.*

4. Atqui in hac sententia mundus concipitur tamquam unum per se, quod se evolvit vitaliter. *Probo.* Totum heterogeneum, cuius diversae partes elevantur ad activitatem altiorem unam, cuius finis est evolutio totius, est unum per se, quod se evolvit vitaliter. Atqui in hac sententia mundus est totum heterogeneum, cuius diversae partes elevantur ad activitatem altiorem unam, cuius finis est evolutio totius. Ergo. *Resp.* vide n. 241.

Contra III p. 1. Nebula primitiva est materia maxime resoluta et in motu posita. Atqui in materia maxime resoluta et in motu posita non est admittenda tensio teleologica. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Posita in motu sine tendentia teleologica, *nego;* tensione teleologica, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui in nebula primitiva non est admittenda tensio teleologica. *Probo.* In eo non est admittenda tensio teleologica, quod est incapax tendentiae finalis. Atqui nebula primitiva est incapax tendentiae finalis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod esset incapax agendi propter finem tum elective tum exsecutive, *conc.;* quod est incapax tantum agendi propter finem elective, *nego. Contradist. min.:* Est incapax agendi propter finem elective, *conc.;* exsecutive, *nego.*

Bibliographia ad 361—363: *J. H. Jeans*, Astronomy and Cosmogony, Cambridge 1929. *F. Nölke*, Entwicklung im Weltall, Hamburg 1926.

Caput IV

DE LIMITATIONE MUNDI

Thesis 17: *Mundus intrinsecus in se est undequaque finitus.*

365. St. qu. 1. Infinitum est, quod caret termino seu fine. Infinitum distinguitur privative et negative. Infinitum privative est, quod privatur termino, i. e. quod, cum capax sit termini, tamen caret illo. Ita si datur quantitas infinita, erit infinita privative. Hoc infinitum definit Aristoteles: «id cuius partem accipientibus semper aliquid manet extra». Infinitum negative est, quod incapax est termini. Hoc autem potest contingere aut propter perfectionem tantam, quae nullos patiatur terminos, aut propter imperfectionem, sicut punctum incapax est termini propter suam imperfectionem, quia ipsum est terminus.

Infinitum potest sumi secundum potentiam et secundum actum. Infinitum in actu est, quod actu est sine termino. Infinitum in potentia seu indefinitum est potentialitas sine termino, quae possit sine fine suscipere alium et alium actum, sive abiciendo priorem, sicut materia suscipit formam amittendo veterem, sive non abiciendo, quo constituitur potentia ad incrementum sine fine.

Infinitum aliud est simpliciter, quod nullis omnino terminis coarctatur, aliud secundum quid, quod secundum aliquem respectum tantum terminis non coarctatur. Qui respectus sumendi sunt secundum decem praedicamenta. Attamen infinitum secundum sex ultima praedicamenta, si daretur, omnino dependeret ab infinitate ceterorum, quia haec praedicamenta ex adiacentia extrinseca resultant. Similiter infinitum secundum relationem ab infinitate pendet fundamenti, a quo causatur. Praeterea infinitum substantiae coincidit cum infinito simpliciter, cum substantia essentiam dicat eam, quae secundum se nullam imperfectionem seu limitationem includit, quae proinde, si ponitur infinita, hoc erit simpliciter. Quare secundum quid infinita non poterit esse nisi substantia ad certam speciem iam determinata et limitata seu substantia praedicamentalis.

2. Infinitum potest considerari aut intrinsecus in ipsa re secundum essentiam et exsistentiam rei, aut mere extrinsecus secundum exsistentiam finitam, sed infinite durantem seu conotantem influxum, conservantem eam per infinitam durationem. Quae infinitas recte dicitur extrinseca rei, quia hic influxus, ratione cuius infinita dicitur duratio, est aliquid extrinsecum rei, quod rem ipsam intrinse-

cus relinquit limitatam et finitam. De hac infinitate secundum durationem agemus thesi sequenti, cum hic investigemus tantum, num mundo intrinsecus in se competat aliqua infinitas ; quod negamus.

366. Prob. th. Ex conceptu infiniti : Quod non est infinitum neque simpliciter neque secundum quid, est undequaque finitum. Atqui mundus non est infinitus neque simpliciter neque secundum quid. Ergo mundus est undequaque finitus.

Ad min. a) Mundus non est infinitus simpliciter. Ex compositione rerum mundanarum : Mundus est aliquod totum compositum ex rebus, quae etiam ipsae compositae sunt ex materia et forma, ex essentia et esse (cf. n. 239 ; 254 ; 260, 1). Res autem compositae ex materia et forma, ex essentia et esse sunt res finitae : forma determinat materiam, materia formam, essentia exsistentiam receptam in essentia. Potentia enim, utpote essentialiter imperfectio seu limitatio, determinat seu limitat actum ; at etiam actus determinat seu limitat potentiam, si non est actus ultimus (exsistentia), sed actus formalis seu actus continens in ratione sua potentiam. Si autem singulae res mundanae sunt finitae simpliciter, etiam totus mundus est finitus simpliciter ; ex rebus enim finitis non potest constitui infinitum simpliciter. Cum enim unaquaeque res sit finita, etiam summa seu aggregatio omnium non constituit infinitum simpliciter. Neque constitueret infinitum simpliciter, si poneretur numerus infinitus rerum finitarum. Ita haberetur infinitum secundum numerum, quod est infinitum secundum quid tantum, in quo etiam infinities multiplicatur limitatio.

b) Mundus non est infinitus secundum quid. Infinitum secundum quid est infinitum aut secundum substantiam praedicamentalem aut secundum quantitatem aut secundum qualitatem. Mundus autem non est infinitus secundum substantiam praedicamentalem. Infinitum enim secundum substantiam praedicamentalem est infinitum formarum subsistentium, quae non finiuntur per materiam, quam a se prorsus respuunt (cf. n. 388, 5). Sed hae formae sunt substantiae pure spirituales, quae ad mundum physicum seu corporeum non pertinent. In mundo neque habetur infinitum secundum quantitatem continuam. Accidens enim infinitum postularet pro subiecto substantiam simpliciter infinitam, quia substantia est causa materialis et formalis accidentis seu id quo est accidens. Quare si hoc tamquam effectus est infinitum, etiam eius causa, substantia, infinita esse debet. Neque secundum numerum vel multitudinem seu quantitatem discretam mundus est infinitus, quia « omnem multitudinem oportet esse in aliqua specie multitudinis. Species autem multitudinis sunt secundum species numerorum. Nulla autem species numeri est infinita; quia quilibet numerus est multitudo mensurata per unum. Unde impossibile est esse

multitudinem infinitam actu » (S. th. I 7, 4 c.). Notandum est autem istam argumentationem supponere infinitum, prout a nobis concipitur negative (quod terminum non habet); ita sane exsistere nequit; conceptum vero positivum infiniti non habemus. Neque secundum qualitatem mundus est infinitus; infinitum enim secundum qualitatem esset infinita qualitatis intensio, quia infinitas qualitatis attenditur secundum intensionem. Infinita autem qualitatis intensio repugnat, quia substantia, quae subiectum et causa (materialis et formalis) huius infinitatis esse deberet, est finita.

367. Schol. In mundo datur infinitas in potentia: *a)* materiae (sive primae sive secundae), quae in indefinitum potest suscipere aliam et aliam formam; *b)* quantitatis et qualitatis ad incrementum indefinitum. Hoc incrementum indefinitum per accidens tantum limitatur in quantitate ex natura subiecti (in viventibus), in qualitate etiam ex natura ipsius qualitatis, si ipsa secundum essentiam suam limites expostulat quoad intensitatis incrementum.

368. Obi. 1. Infinitum est, quod caret termino. Atqui mundus caret termino. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod caret termino actu, *conc.*; potentia, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui mundus caret termino actu seu est actu infinitus. *Probo.* Quod est infinitum in potentia, suscipit actum infinitum et ita est actu infinitum. Atqui mundus est infinitus in potentia. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si infinitum in potentia significaret id, quod debet suscipere actum infinitum, *conc.*; si significat id, quod potest suscipere actum finitum semper alium et alium, sine fine, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui mundus debet suscipere actum infinitum. *Probo.* Obiectum adaequatum divinae omnipotentiae est infinitum. Atqui mundus ex nihilo creandus est obiectum adaequatum divinae potentiae. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Est infinitum ex parte modi, quo attingitur, *conc.*; ex parte ipsius obiecti attacti, *nego. Conc. min.; dist. consq.:* Mundus debet attingi a Deo creante et concurrente sub ratione infinita entis, *conc.*; ipse mundus est infinitus actu, *nego.*

4. Atqui ipsum obiectum adaequatum divinae omnipotentiae est actu infinitum. *Probo.* Possibilia reducta in actum sunt infinitum in actu. Atqui obiectum adaequatum divinae omnipotentiae sunt possibilia reducta in actum. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Reducta in actum collectim, *conc.*; divisim, *nego. Contradist. min.*

5. Atqui possibilia habent actum collectim. *Probo.* Possibilia sunt intellecta ab intellectu divino. Atqui possibilia intellecta ab intellectu divino habent actum collectim. Ergo. *Resp. Conc. mai.; dist. min.:* Et ille actus se tenet ex parte rei intellectae, *nego*; ille actus se tenet unice ex parte modi intelligendi, *conc. Dist. consq.*

Bibliographia ad 365—367: *J. Baur,* Die actuell unendliche Zahl in der Philosophie und in der Natur, PhJ 13 (1900) 277—281; 390—403. *K. Nink,* Über die Möglichkeit einer aktual unendlich grossen Menge von existierenden Dingen; ebenso einer aktual unendlichen Grösse, PhJ 25 (1912) 462—476. *D. Nys,* L'espace réel ou l'univers actuel est-il infini?, RNSPh 24 (1922) 66—92.

Ad **365.** *Aristoteles* « ostendit, quid sit infinitum, excludens quorundam falsam definitionem ... Dixerunt enim quidam quod infinitum est extra

quod nihil est, sed e contra dicendum est quod infinitum est cuius est semper aliquid extra» (Οὐ γὰρ οὔ μηδὲν ἕξω, ἀλλ' οὔ ἀεί τι ἕξω ἐστί, τοῦτο ἄπειρόν ἐστιν: Phys. III 6, 207 a 1. *S. Thom.* lect. 11 n. 1 2). Ibidem Aristoteles distinguit infinitum actu et infinitum potentia, atque negat infinitum actu secundum quantitatem (τὸ δὲ μέγεθος ὅτι μὲν κατ' ἐνέργειαν οὐκ ἔστιν ἄπειρον, εἴρηται: 206 a 16), admittit autem infinitum potentia per additionem et divisionem interminatam (206 a 15 18. Cf. S. Thom., In Phys. III lect. 10). *S. Thomas*: «Privative... dicitur infinitum quod natum est habere finem et non habet: tale autem infinitum non invenitur nisi in quantitatibus» (Pot. 1, 2). «Alio modo dicitur infinitum negative, id est quia non habet finem; et sic indivisibilia dicuntur infinita, ut punctum et unitas, quia non sunt finita» (Qdl. X a. 4 ad 2; cf. S. th. III 10, 3 ad 1). «Dicitur infinitum potentia quod semper in successione consistit, ut in generatione corporum et in divisione continui, in quibus omnibus est potentia ad infinitum, semper uno post aliud accepto. Actu autem infinitum, sicut si poneremus lineam terminis carentem» (Ver. 2, 10). «Infinito simpliciter et quoad omnia, nihil est maius: infinito autem secundum aliquid determinatum, non est aliquid maius in illo ordine, potest tamen accipi aliquid maius extra illum ordinem» (S. th. III 10, 3 ad 3; cf. I q. 7; I Dist. 43, 1 a. 1; C. g. I 28 43; Ver. 29, 3; Qdl. III a. 3; Comp. 18—20).

Ad 366. «Postquam Philosophus ostendit non esse corpus sensibile infinitum facta suppositione, quod sint elementa finita, hic ostendit idem simpliciter absque omni suppositione» et concludit «quod manifestum est nullum corpus actu infinitum esse» (ὅτι μὲν οὖν ἐνεργείᾳ οὐκ ἔστι σῶμα ἄπειρον, φανερὸν ἐκ τούτων: Phys. III 5, 206 a 7. *S. Thom.* lect. 9 n. 1 12). Idem Aristoteles ostendit in De caelo I 5 sqq. (cf. S. Thom. lect. 9 sqq.) et Met. XI 10 (cf. S. Thom. lect. 10). *S. Thomas* in S. th. I 7, 2 ostendit «quod aliquid praeter Deum potest esse infinitum secundum quid, sed non simpliciter». Nam «formae creatae non receptae in materia, sed per se subsistentes, ... erunt quidem infinitae secundum quid, inquantum ... non terminantur ... per aliquam materiam: sed quia forma creata sic subsistens habet esse, et non est suum esse, necesse est quod ipsum eius esse sit receptum et contractum ad determinatam naturam. Unde non potest esse infinitum simpliciter» (cf. I 50, 2 ad 4; 75, 5 ad 4; I Dist. 43, 1 a. 2; Ver. 2, 2 ad 5). S. th. I 7, 3 demonstrat S. Thomas nihil creatum esse infinitum secundum magnitudinem, quia «corpus naturale aliquam formam substantialem habet determinatam: ... [ad quam] necesse est quod ... consequantur determinata accidentia; inter quae est quantitas [determinata] ... Corpus [autem] mathematicum ... oportebit quod habeat aliquam figuram. Et sic erit finitum». Quamvis, S. th. I 7, 4 c., idem impossibilem reputet numerum vel multitudinem actu infinitam, tamen post aliquot annos (a. 1270) scripsit: «Adhuc non est demonstratum, quod Deus non possit facere ut sint infinita in actu» (De aeternitate mundi, c. fin.). Cf. III 10, 3 per tot.; Qdl. IX a. 1; XII a. 2; II Dist. 1, 1 a. 5 ad 3 sq. in contrar.; ver. 2, 9 sq.; text. ad 365 et 370 indicatos.

Thesis 18: *Mundus ex natura sua in aeternum durabit; neque absolute repugnat mundum ab aeterno exstitisse. Processus vero mundanus, qui in activitate corporum ad invicem consistit, non potest in aeternum durare neque ab aeterno esse.*

369. St. qu. 1. Supponimus mundum ex natura sua ab aeterno non esse, cum sit ens contingens et secundum doctrinam divinitus

revelatam sit creatus in tempore. Aristoteles docuit mundum ab aeterno esse. In Top. I 9 tamen inter problemata dialectica ponit quaestionem, sitne mundus ab aeterno. Scholastici omnes secundum doctrinam divinitus revelatam tenebant mundum de facto in tempore creatum esse. Circa possibilitatem vero creationis ab aeterno in diversas abierunt sententias. Alii (S. Bonaventura) ut impossibilem reputabant creationem ab aeterno, alii ut possibilem, aut saltem docebant nobis non apparere evidentem repugnantiam in creatione ab aeterno. Ita S. Thomas.

2. Quaestio haec de inceptione mundi in tempore alicuius momenti est pro methodo apologetica. *S. Thomas* monet: « Mundum incepisse est credibile, non autem demonstrabile vel scibile. Et hoc utile est ut consideretur, ne forte aliquis, quod fidei est, demonstrare praesumens, rationes non necessarias inducat, quae praebeant materiam irridendi infidelibus existimantibus nos propter huiusmodi rationes credere, quae fidei sunt » (S. th. I 46, 2). Ideo etiam in probanda exsistentia Dei ab inceptione mundi in tempore abstrahendum est.

3. Tertia pars thesis mundum non-viventium tantum spectat, quatenus sibi relinquitur, et activitatem corporum, qua agunt inter se alterando et movendo mechanice.

370. Prob. th. I p.: Mundus ex natura sua in aeternum durabit. Ex incorruptibilitate materiae primae: Materia prima, tamquam ultimum substratum omnis generationis et corruptionis, est ingenerabilis et incorruptibilis. Sicut non oritur nisi per creationem, ita non desineret nisi per annihilationem. Quare ex se postulat semper perdurare in esse. Sed exinde etiam mundus corporeus ex natura sua est durationis perpetuae. Corpora quidem corruptibilia sunt, sed in corruptione substantiae corporeae materia prima remanens semper acquirit aliam formam.

Prob. II p.: Non repugnat absolute mundum ab aeterno exstitisse. Mundum ab aeterno exstitisse non repugnat: neque ex parte Dei creantis, neque ex parte actionis creativae, neque ex parte mundi creati. Ergo nullo modo repugnat.

Prob. antecedens. a) Non repugnat ex parte Dei creantis, qui ab aeterno eandem habet potentiam. *b)* Non repugnat ex parte actionis creativae, quia haec non est in tempore, sed in instanti. *c)* Non repugnat ex parte mundi creati, qui ab aeterno possibilis est ac proinde creabilis.

Specialis difficultas in eo est, quod mundus in motu positus, in quo datur successio, sit ab aeterno. Cum Deus sit agens per intellectum et voluntatem, necesse est respiciat seriem successionum omnino determinatam, ac proinde respiciat etiam membrum, quod est primum in hac serie. Series autem, in qua datur primum, non potest

esse ab aeterno. Ad hoc respondetur : Sicut Deus pro futuro respicit seriem, quae non habet ultimum : seriem actionum, quae per totam aeternitatem ponuntur a spiritibus creatis, ita etiam pro praeterito respicere potest seriem, quae non habet primum. Utraque series ex parte Dei, in cognitione et actione divina, habet plenam actualitatem et determinationem, quamquam utraque series obiective in se est indeterminata, haec « a parte ante », illa « a parte post ».

Prob. III p. : Processus mundanus non potest in aeternum durare neque esse ab aeterno. Ex principio processus mundani : Processus mundanus in tensione energiarum consistit finita, quae iugiter minuitur. Atqui processus mundanus, qui in tensione energiarum consistit finita, quae iugiter minuitur, in aeternum non durabit neque est ab aeterno. Ergo processus mundanus non potest in aeternum durare neque esse ab aeterno.

Prob. mai. Processum mundanum in tensione energiarum consistere, quae iugiter minuitur, patet ex n. 359 ; hanc tensionem esse finitam, tum extensive tum intensive, patet ex th. praec.

Prob. min. Processus mundanus in aeternum non durabit. Aequilibrio enim constituto omnis corporum actio, quam inter se exercent, alterando et movendo mechanice, cessabit. Processus mundanus non est ab aeterno, secus iam dudum finitus esset.

371. Coroll. Ergo mundum incepisse in tempore non potest probari ex ratione. Fide tamen tenemus mundum in tempore creatum esse. Mundum incepisse in tempore significat durationem mundi habere initium seu esse terminatam « a parte ante », ac proinde numerari posse determinatum tempus (dicamus tot milia annorum), quod defluxerit a creatione mundi usque adhuc.

372. Schol. Si mundus esset ab aeterno, non haberet principium inceptionis in duratione, haberet tamen principium originis et causalitatis, ac proinde non-esse praecederet esse mundi non duratione, sed natura. Et ita differret duratio mundi aeterna ab aeternitate Dei, quia haec non solum caret initio durationis sed etiam causalitatis et originis ab alio et est tota simul; duratio vero mundi (ab aeterno exsistentis) non est tota simul, quia mundus mutabiliter durat. Quare haec duratio aeterna tempus esset, cui accideret non habere initium et coexsistere aeternitati « a parte ante ».

373. Obi. *Contra II p.* 1. Mundus ab aeterno exsistens (etsi in statu quietis tantum) non haberet principium. Atqui mundum non habere principium repugnat. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Non haberet principium inceptionis in duratione, *conc.* ; principium originis et causalitatis, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui repugnat etiam mundum non habere principium inceptionis in

duratione. *Probo.* Mundus, qui non habet principium inceptionis in duratione, semper est. Atqui repugnat mundum semper esse. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Non-esse non praecedit esse duratione, *conc.;* natura, *nego. Contradist. min.:* Id est non-esse non praecedere esse neque duratione neque natura, *conc.;* duratione tantum, *nego.*

3. Atqui repugnat etiam non-esse mundi non praecedere esse duratione, seu repugnat mundum secundum durationem ab aeterno esse. *Probo.* Mundo ab aeterno exsistenti conveniret proprium Dei: aeternitas. Atqui hoc repugnat. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Duratio mundi esset aeternitas divina, *nego;* esset tempus, cui accideret non habere initium, *conc. Contradist. min.*

Contra III p. 1. Processus rerum quae in aeternum durare et ab aeterno esse possunt, potest ipse in aeternum durare et ab aeterno esse. Atqui processus mundanus est processus rerum quae in aeternum durare et ab aeterno esse possunt. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si activitas rerum in aeternum durare et ab aeterno esse potest, *conc.;* si non potest, *nego. Contradist. min.:* Est processus rerum, quarum activitas in aeternum durare et ab aeterno esse potest, *nego;* quarum activitas in aeternum durare et ab aeterno esse non potest, *conc.*

2. Atqui activitas corporum ab aeterno esse et consequenter etiam in aeternum durare potest. *Probo.* Activitas corporum ab aeterno esse et in aeternum durare potest exsistente ab aeterno tensione energiarum. Atqui ab aeterno potest exsistere tensio energiarum. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Exsistente tensione infinita, *transeat* (propter II p.); exsistente tensione finita, *nego. Contradist. min.:* Potest exsistere tensio infinita, *nego;* finita, *conc.*

Bibliographia ad 369—372: *Th. Esser,* Die Lehre des hl. Thomas von Aquino über die Möglichkeit einer anfangslosen Schöpfung, Münster 1895. *H. Fleischmann,* Das Unendliche in der Aufeinanderfolge, DThFrib 3 (1925) 385—398. *Id.,* Das Unendliche in der Aufeinanderfolge, DThFrib 5 (1927) 145—154. *D. R. Losa,* S. Thomas et le Problème de la Création, RTh 50 (1950) 157—171. *M. de Munnynck,* Le commencement du monde, DThFrib 4 (1926) 33—39. *D. Nys,* Le temps a-t-il commencé et finira-t-il? RNSPh 20 (1913) 409—430. *A. Rohner,* Das Schöpfungsproblem bei Moses Maimonides, Albertus Magnus und Thomas von Aquin, Beiträge zur Geschichte der Philos. des Mittelalters, Bd. XI 5, Münster 1913. *E. Rolfes,* Die Controverse über die Möglichkeit einer anfangslosen Schöpfung, PhJ 10 (1897) 1—22. *F. M. Sladeszek,* Die Auffassung des hl. Thomas von Aquin in seiner Summa theologica von der Lehre des Aristoteles über die Ewigkeit der Welt, PhJ 35 (1922) 38—56.

Ad 370. *Aristoteles* late disputat de duratione mundi I De caelo c. 10—12. Concludit: Οὔτε γέγονεν ὁ πᾶς οὐρανὸς οὔτ' ἐνδέχεται φθαρῆναι, καθάπερ τινές φασιν αὐτόν, ἀλλ' ἔστιν εἷς καὶ ἀΐδιος, ἀρχὴν μὲν καὶ τελευτὴν οὐκ ἔχων τοῦ παντὸς αἰῶνος, ἔχων δὲ καὶ περιέχων ἐν αὐτῷ τὸν ἄπειρον χρόνον: l. c. II 1, 283 b 26). Ad quae *S. Thomas:* «Dicit . . . quod ex praemissis possumus accipere credulitatem quod totum caelum neque sit factum neque contingat ipsum corrumpi, sicut quidam dicunt. Dicit autem totum caelum esse ingenitum et incorruptibile, eo quod maxima pars corporum mundi est substantia caelestis corporis, quod est ingenitum et incorruptibile per modum, quo in primo libro probatum est . . . Et est notandum quod dicit: "caelum omne non est factum"; sed non dicit: "neque corruptum", sed: "neque contingit corrumpi", propter illos, qui dicebant mundum ex natura sua esse corruptibilem, et tamen numquam corrumpetur propter voluntatem Dei; et ideo signanter dicit:

"quemadmodum quidam dicunt". Sed probatum est supra quod est unum tantum et sempiternum . . . ; ita scil. quod non habet principium neque finem "totius aeterni", idest totius suae durationis infinitae. Et ne aliquis putaret mundum corporeum sic dici aeternum sicut Deus, cuius esse et vivere est totum simul, scil. absque successione prioris et posterioris, subiungit : "habens autem infinitum tempus" ; quia scil. eius duratio extenditur secundum successionem temporis. Non tamen totus mundus habet hoc modo durationem temporalem, sicut aliquod singulare generabile et corruptibile, cuius duratio comprehenditur a tempore, non tamen continet tempus : sed tempus continetur a toto mundo, tum quia tempus non extenditur ultra durationem mundi, tum quia tempus causatur ex motu primi corporis mundi, ut in IV Phys. habitum est. Unde tempus continetur a mundo sicut effectus a causa. Habet autem tempus quod mensuret motum caeli, non quidem inquantum continetur ab eo sicut effectus a causa (non enim continens mensuratur per contentum, sed e converso) : sed hoc, inquam, habet tempus, inquantum est imago quaedam derivata ab aeternitate divina, sicut et Boëthius dicit : "qui tempus ab aevo ire iubes". Haec igitur, quae dicta sunt, non solum credibilia redduntur per rationes supra positas, sed etiam per opiniones aliter dicentium, qui attribuunt mundo generationem et corruptionem. Si enim ita sit, quod et contingit mundum sic se habere sicut nos dicimus, absque hoc quod aliquod inconveniens sequatur, non autem contingit se habere secundum modum quo illi dicunt mundum factum esse, hoc iam habebit "magnam inclinationem", idest magnam vim persuasivam, ad hoc quod aliquis credat immortalitatem caeli et sempiternitatem ipsius . . . Ex hoc autem, quod hic dicit, apparet quod Aristoteles induxit praedictas rationes ad probandum sempiternitatem mundi, non tamquam ostendentes ex necessitate quod mundus non incoeperit, sed tamquam ostendentes quod non incoepit illo modo, quo ab aliis incoepisse ponebatur » (In De caelo et m. II lect. 1 n. 2 ; cf. I lect. 6 et 29 ; In Phys. VIII lect. 2 ; In Met. XII lect. 5 ; II Dist. 1, 1 a. 5 ; C. g. II 31—38 ; Pot. 3 a. 13 14 17 ; Qdl. III a. 31 ; XII a. 7 ; Op. [27] De aet. mundi ; Comp. 98 99 ; S. th. I 42, 2 ; 46, 1 et 2). *S. Thomas* ad obiectionem (8) : « Si mundus et generatio semper fuit, . . . infinitae animae humanae nunc essent actu : quod est impossibile », respondet : « Considerandum quod haec ratio particularis est. Unde posset dicere aliquis quod mundus fuit aeternus, vel saltem aliqua creatura, ut angelus ; non autem homo. Nos autem intendimus universaliter, an aliqua creatura fuerit ab aeterno » (S. th, I 46, 2).

Pars II

DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE SEU DE ENTE MOBILI MOTU ALTERATIONIS

Caput I

DE IPSA GENERATIONE ET CORRUPTIONE

§ 1. Quid sit generatio, et quotuplex sit

374. Quid sit generatio. Generatio definitur : transitus seu mutatio, qua subiectum aliquod reale transfertur de non-esse ad esse. Gene-

rationi opponitur corruptio, quae est mutatio, qua subiectum reale transfertur de esse ad non-esse.

375. Quotuplex sit generatio. Generatio dividitur in generationem substantiae et generationem accidentis; nam etiam accidens generari potest, cum accipit esse per transmutationem ex non-esse et non per transmutationem ex contrario (per motum successivum alterationis). Generatio substantiae est mutatio materiae a privatione formae substantialis ad formam substantialem.

Generatio substantiae potest esse generatio simpliciter vel secundum quid tantum. Generatio substantiae est generatio simpliciter, per quam habetur esse simpliciter et ultimate completum, secus erit secundum quid. Generatio secundum quid est aut generatio seminis seu cellularum germinalium (cf. n. 452) aut aggeneratio. Aggeneratio est generatio novae partis substantialis. Aggeneratio potest esse aut ab intrinseco aut ab extrinseco. Aggeneratio est ab intrinseco, cum aliqua substantia sua activitate sibi acquirit seu sibi assimilat partem, id quod non fit nisi in viventibus per nutritionem. Aggeneratio est ab extrinseco, cum substantiae alicui adiungitur pars per simplicem appositionem materiae eiusdem naturae (ita crescunt crystalla).

376. Quomodo contingat processus generationis substantialis. Ad generationem substantialem praerequiritur alteratio et corruptio (cf. n. 253, 3). Secundum ea, quae generaliter stabilivimus (n. 281—284) de actione et passione, triplex distinguenda est alteratio, triplex generatio: alteratio-actio (causalitas) in agente seu generante, motus alterationis et alteratio-passio (passivitas) in passo; generatio-actio in generante, motus generationis et generatio-passio in passo. Non est distinguenda generatio-actio a corruptione-actione, ac proinde nec generatio-passio a corruptione-passione. Nam etsi generatio et corruptio est duplex mutatio substantialis in passo, ei tamen non respondet duplex actio (ac proinde neque duplex passio). Actio enim eadem, quae per se est generativa novae substantiae, per accidens est corruptiva veteris: generatio unius est corruptio alterius. Nec potest privatio seu negatio terminare per se actionem positivam.

377. Generatio est actio realiter distincta ab alteratione. Nam generatio est causalitas, in virtute cuius ortus novae substantiae seu «fieri» substantiae dependet a generante, cum alteratio non sit nisi productiva motus accidentalis. Quomodo potentiae agendi substantiae seu potentiae generativae, cum accidentia sint, substantiam possint producere novam, infra explicabitur n. 430, 3.

A d 374. *Aristoteles* in VIII Phys. c. 7 docet omnes motus et mutationes ex oppositis in opposita esse sicut generatio et corruptio ens ac non ens terminos habent (Γενέσει μὲν καὶ φθορᾷ τὸ ὂν καὶ τὸ μὴ ὂν ὅροι : 261 a 34 ; cf. *S. Thom.* l. c. lect. 15 n. 2. De gen. et corr. I 4, 319 b 14 [cit. ad 382]).

A d 375. *Aristoteles* in I De gen. et corr. c. 4 et 5 distinguit generationem simpliciter dictam, alterationem, accretionem (γένεσις, ἀλλοίωσις, αὔξησις), et docet eas non solum obiecto, sed etiam modo differre : Ἡ μὲν ἐκ τοῦδε εἰς τόδε μεταβολή, οἷον ἐκ δυνάμει οὐσίας εἰς ἐντελεχείᾳ οὐσίαν, γένεσίς ἐστιν : c. 5, 320 a 12 ; cf. sqq. et *S. Thom.* lect. 10 sqq.

A d 376. *Aristoteles :* Τὸ αὐτό ἐστι γένεσις μὲν τουδὶ φθορὰ δὲ τουδί, καὶ φθορὰ μὲν τουδὶ γένεσις δὲ τουδί (De gen. et corr. I 3, 318 a 29. Cf. *S. Thom.* l. c. lect. 7).

A d 377. *S. Thomas :* « Si formae accidentales quae sunt in rebus corporalibus habent proprias actiones, multo magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem. Non est autem eius propria actio disponere materiam : quia hoc fit per alterationem, ad quam sufficiunt formae accidentales. Igitur forma substantialis generantis est principium actionis ut forma substantialis introducatur in generatum » (C. g. III 69).

§ 2. De termino generationis

378. Terminus generationis quadruplex : forma substantialis, natura totalis composita ex materia et forma, suppositum seu persona, proprietates. Suppositum est terminus « qui » generationis, quia est id, quod simpliciter est et simpliciter fit ; forma substantialis et natura totalis sunt terminus « quo », quia sunt ea, quibus est suppositum ; proprietates sunt terminus secundarius, quia comproducuntur cum substantia tamquam necessaria sequela eius.

379. Terminus generationis in generatione hominis. Sufficit formam u n i r i materiae per generationem ad hoc, ut sit terminus « quo » generationis. Nam forma terminat generationem, inquantum per eam constituitur genitum. Ut autem aliquid sit genitum per formam, non est necesse, ut ipsa per generationem producatur seu accipiat esse, sed satis est, ut accipiat i n e s s e . Quare etiam in generatione hominis anima seu forma est terminus « quo » generationis. Licet enim non fiat per actionem generativam, unitur tamen per ipsam materiae. Ideo anima rationalis dependet a generatione non quantum ad esse suum, sed quantum ad inesse, i. e. dependet non ut sit, sed ut materiae unita sit : prioritate naturae habet esse per creationem, antequam habeat inesse per generationem, quo differt a ceteris formis informantibus, quae non accipiunt esse nisi in corpore et cum corpore.

380. Terminus corruptionis. Terminus « quo » c o r r u p t i o n i s est privatio formae et naturae pereuntis, terminus « qui » est suppositum corruptum ; interitus proprietatum, sublata forma substantiali,

est terminus secundarius corruptionis. Nam sic se habet proportionaliter corruptio in corrumpendo sicut generatio in generando.

Ad 378 sqq. *Aristoteles* docet generationem proprie non esse formae nec essentiae, sed compositi: Met. VII 8, 1033 b 5; S. Thom. lect. 7 (supra ad 253 sq.). *S. Thomas*: «Terminus generationis in creaturis potest accipi dupliciter sicut etiam et principium. Dicitur enim principium generationis ipsum generans; et huic principio correspondet sicut terminus ipsum genitum. Dicitur etiam principium generationis a quo incipit generatio, et hoc modo principium vel initium generationis est privatio formae inducendae, et huic principio terminus oppositus est forma per generationem inducta» (I Dist. 5, 3 a. un.). «Nativitas tamquam subiecto proprie nascendi, attribuitur personae vel hypostasi, non naturae. Sed sicut termino, attribuitur nativitas naturae» (S. th. III 35, 1; cf. I 65, 4; III Dist. 8 a. 2). Cf. text. ad 382.

§ 3. De processu generationis, prout est resolutio usque ad materiam primam

Thesis 19: *In generatione substantiali, cum corruptione veteris substantiae producitur nova, fit resolutio usque ad materiam primam, nulla remanente forma neque substantiali neque accidentali.*

381. St. qu. 1. Circa resolutionem substantiae, quae in processu generationis corrumpitur, triplex est sententia. Prima est eorum, qui docent remanere aliquam formam substantialem. Hanc sententiam tenet Avicenna (980—1037), qui largitur materiae quandam formam substantialem sibi coaevam, quam vocat formam corporeitatis; hanc dicit remanere eandem numero post quamlibet corruptionem. Scotus corporeitatis formam in viventibus posuit, quam docuit remanere recedente anima. Etiam S. Albertus tenet remanere formam substantialem, cum doceat manere formas elementorum in mixto sub forma mixti, quae nova oritur. Secunda sententia concedit nullam remanere formam substantialem, asserit tamen accidentia quaedam eadem numero, quae fuerant in composito corrupto, remanere in composito genito. Ita Suárez. Tertia sententia, thomistica, tenet materiam denudari omni forma, tum substantiali tum accidentali, ac proinde fieri resolutionem usque ad materiam primam. Quam sententiam propugnat thesis nostra.

2. Cum docemus fieri resolutionem usque ad materiam primam, non contendimus, ut per se patet, materiam primam per aliquod tempus manere sine forma, sed dicimus, corrupta seu recedente vetere forma substantiali cum accidentibus suis, statim a generante produci novam formam substantialem et nova accidentia ei respondentia.

382. Prob. th. I p.: Nulla remanet forma substantialis. Ex unicitate formae substantialis: Si in quolibet composito ex materia et forma non potest esse nisi una forma substantialis, in generatione substantiali nulla remanet forma substantialis. Atqui in quolibet composito non potest esse nisi una forma substantialis, ut patet ex n. 260, 6. Ergo nulla remanet forma substantialis.

Prob. II p.: Nulla remanet forma accidentalis. Ex dependentia accidentium a forma substantiali: Nulla remanente forma substantiali nulla remanet forma accidentalis. Atqui nulla remanet forma substantialis. Ergo nulla remanet forma accidentalis.

Prob. mai. Sublata causa formali tollitur etiam effectus formalis, tum primarius tum secundarius; nam causa formalis est id, quo est effectus formalis tum primarius tum secundarius, i. e. unde iugiter dependet in esse. Atqui forma substantialis est causa formalis accidentium, qua sunt seu sustentantur in esse: quia est causa formalis subsistendi, qua substantia subsistit, est etiam causa formalis substandi, qua substantia substat accidentibus seu sustentat accidentia in esse.

Aliis verbis: effectus formalis primarius formae substantialis est dare subsistentiam et reddere substantiam subsistentem, effectus formalis secundarius est reddere substantiam substantem accidentibus (cf. n. 179).

Nec potest dici materiam remanentem sustentare accidentia. Materia enim ut pura potentia est incapax subsistendi, ergo etiam substandi. Similiter dici non potest accidentia sustentari a forma substantiali et a subsistentia immediate subsequenti, quia haec subsistentia et haec forma non possunt continere eundem numero effectum, quem continet forma et subsistentia corrupta (cf. n. 326 775 sqq.).

383. Coroll. 1. Ergo accidentia, quae videntur remanere, ut quantitas et figura in cadavere, non sunt eadem numero, sed eadem specie tantum et similia.

2. Ergo neque dispositiones praeviae remanent. Dispositiones praeviae dicuntur accidentia actione alterativa inducta in subiecto corrumpendo, quae hoc subiectum praeparant ad amittendam veterem et ad acquirendam novam formam substantialem. Hae dispositiones dicuntur tamen remanere virtualiter, id quod non significat remanere aliquam virtutem, i. e. aliquod accidens, sed materiam in virtute harum dispositionum pereuntium esse satis dispositam ad statim suscipiendam novam formam substantialem cum accidentibus ei respondentibus. Non enim potest perveniri ad generationem nisi per viam extensam alterationis, qua generans tendit ad introducendum in subiectum corrumpendum dispositiones convenientes substantiae generandae

384. Schol. Dispositiones proximae praeparant materiam ad formam terminative, et tamen causantur a forma in ordine causae formalis et secundum dependentiam in esse. Distinguuntur dispositiones praeviae et proximae. Praeviae dispositiones insunt in substantia corrumpenda, proximae vero in substantia generata. Dispositiones praeviae sunt accidentia, quibus magis magisque acceditur, progrediente alteratione, ad dispositiones proximas, quae iam per generationem simul cum nova forma substantiali producuntur in substantia generanda. Ita cum dispositio proxima elementi chimici, quod analysi chimica generatur, sit qualitas specialis in gradu intensissimo, quem centenario numero designare possumus, nonagesimus nonus gradus huius qualitatis tamquam dispositio praevia producitur alteratione in mixto corrumpendo, centesimus vero gradus tamquam dispositio proxima iam in nova substantia generanda, in elemento producitur generatione simul cum nova forma substantiali. Dispositiones proximae sunt accidentia propria, quibus proxime dispositum est subiectum ad habendam formam substantialem his accidentibus respondentem. Quare haec accidentia terminative praeparant materiam ad formam substantialem (sunt consummatio dispositionum praeviarum), ac proinde in ordine causae materialis dispositivae praecedunt formam substantialem. Sed eadem accidentia causantur a forma substantiali et subsequuntur eam in ordine causae formalis et secundum dependentiam in esse. Causae sunt sibi invicem causae. Cum enim effectus formalis primarius formae substantialis sit dare esse substantiale et esse substantiale specificum, effectus secundarius est dare substantiae esse accidentale specificum seu accidentia propria et horum sustentationem in esse. Forma enim substantialis est id, quo substantia habet haec accidentia et quo ea in esse sustentat.

385. Obi. 1. In generatione substantiali, in qua manent elementa, ex quibus fit generatio, non fit resolutio usque ad materiam primam. Atqui in generatione substantiali manent elementa. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* In qua elementa manent actu, *conc.;* in qua manent virtualiter tantum, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui si elementa manent virtualiter, non fit resolutio usque ad materiam primam nulla remanente forma. *Probo.* Si elementa manent virtualiter, manent formae accidentales elementorum. Atqui si manent formae accidentales elementorum, non fit resolutio usque ad materiam primam nulla remanente forma. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Formae accidentales eaedem numero, *nego;* eaedem specie tantum, *conc. Contradist. min.*

3. Atqui manent eaedem numero formae accidentales. *Probo.* Manent dispositiones praeviae, quibus materia disponitur ad novam formam substantialem suscipiendam. Atqui dispositiones praeviae remanentes sunt eaedem numero formae accidentales remanentes. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Manent formaliter tamquam eadem numero accidentia, *nego;* manent virtualiter, i. e. manet materia transcendentaliter determinata ad novam formam substantialem et ad novas formas accidentales (ad dispositiones proximas), *conc. Contradist. min.*

Bibliographia ad 381—384: *P. Hoenen*, Cosmologia, Roma 1936, Nota XIII. *J. A. McWilliams*, Are Substantial Changes Instantaneous?, NSch 14 (1940) 295—311.

Ad 382. *Aristoteles* « dicit, quando est transmutatio non solum secundum passiones, sed etiam secundum totam rei substantiam; inquantum scil. materia accipit aliam formam substantialem; ita scil. quod non maneat aliquod sensibile [scil. aliquod accidens], quasi sit idem subiectum numero ens actu; puta quando ex toto semine generatur totus sanguis, aut ex toto aëre generatur tota aqua, nulla congregatione aut segregatione interveniente, ut Democritus posuit: talis transmutatio est unius generatio et alterius corruptio » ("Οταν δ' ὅλον μεταβάλλῃ μὴ ὑπομένοντος αἰσθητοῦ τινὸς ὡς ὑποκειμένου τοῦ αὐτοῦ, . . . γένεσις ἤδη τὸ τοιοῦτον, τοῦ δὲ φθορά: De gen. et corr. I 4, 319 b 14. *S. Thom.* lect. 10 n. 3). *S. Thomas*: « Non manet idem numero [accidens in generato et corrupto]: sed id quod prius erat, corrumpitur per accidens corruptione subiecti, recedente forma, quae prius erat principium talis accidentis; et advenit simile accidens, consequens formam de novo advenientem » (l. c. n. 6). Ad quaestionem, « utrum anima intellectiva uniatur corpori mediantibus dispositionibus accidentalibus », respondet: « Si anima intellectiva unitur corpori ut forma substantialis, sicut iam supra dictum est, impossibile est quod aliqua dispositio accidentalis cadat media inter corpus et animam, vel inter quamcumque formam substantialem et materiam suam » (S. th. I 76, 6; cf. Spir. creat. a. 3 ad 19; Q. d. an. a. 9 ad 5).

Ad 384. « Et est simile in rebus naturalibus de dispositione quae est necessitas ad formam, quae quodammodo praecedit formam substantialem, scilicet secundum rationem causae materialis. Dispositio enim materialis ex parte materiae se tenet; sed alio modo, scilicet ex parte causae formalis, forma substantialis est prior, inquantum perficit et materiam et accidentia materialia » (Ver. 28, 8 Sed contra 7; cf. S. th. III 7, 13 ad 2; Ver. 28, 7 ad 11; Mal. 3, 3).

§ 4. De generatione individui seu de principio individuationis

Thesis 20: *Principium individuationis substantiarum corporearum est materia signata quantitate, i. e. materia conotans quantitatem interminatam.*

386. St. qu. 1. Individuum definitur a S. Thoma: « quod est in se indistinctum, ab aliis vero distinctum » (S. th. I 29, 4). Cum individuum dicitur « in se indistinctum », hoc intelligitur absolute. Nam « individuum est quod non dividitur ulterius nec formali nec materiali differentia » (S. Thom., In Met. X lect. 2). Quare unitas individualis seu numerica est unitas absolute et simpliciter; cf. n. 152 sq. Sicut omnis unitas, ita numerica duo dicit: entitatem et huius indivisionem. Unitas igitur numerica eam dicit entitatem seu illum entis statum, vi cuius ens respuit a se quamcumque divisionem seu communicabilitatem cum inferioribus. Qui status sane in rebus omnibus, quae intra eandem speciem multiplicabiles sunt (id quod saltem in rebus materialibus, quae experientiae nostrae subsunt, contingere videmus), aliquid positivi super quidditatem super-

addit, quo quidditas distinguatur a quidditate mere numerice, salva unitate specifica, neque his quidditatibus immediate per seipsas convenit, ut docuerunt Nominalistae. Si enim quidditas immediate per seipsam sine superaddito habet illam perfectionem, in virtute cuius est incommunicabilis (sicut Thomistae docent de angelis), quidditas immediate per seipsam ex principiis quidditativis est distincta ab alia quacumque nec datur communitas specifica. Hoc positivum superadditum quidditati est differentia numerica harum rerum seu earum individuatio, principium individuationis formale earum, seu id quo formaliter constituuntur individua, quasi ultimus gradus metaphysicus earum. Et cum constet gradus superiores e sola forma tamquam ex prima radice et ultimo principio oriri, quaeritur, ex qua radice, ex quo principio oriatur hic ultimus gradus. Quae quaestio est de principio individuationis radicali seu de prima causa, unde proveniat in re haec ultima distinctio.

2. Suárez tenet « unamquamque entitatem per seipsam esse suae individuationis principium » ; de materia igitur prima docet « illam esse in re individuam, et fundamentum talis unitatis esse entitatem eius per seipsam, prout est in re absque ullo extrinseco superaddito » ; similiter asserit « formam substantialem esse hanc intrinsece per suammet entitatem a qua secundum ultimum gradum, seu realitatem sumitur differentia individualis eius ». Per consequens « dicendum est in substantia composita, ut tale compositum est, adaequatum individuationis principium esse hanc materiam et hanc formam inter se unitas, inter quae praecipuum principium est forma, quae sola sufficit, ut hoc compositum, quatenus est individuum talis speciei, idem numero censeatur » (Disp. met. 5 sect. 6 n. 1—15). Secundum Scotum principium individuationis est « haecceitas », ultima forma superaddita naturae ab eaque distincta actualiter formaliter ex natura rei. Alii individuationem ex forma, sive substantiali sive accidentali, alii ex exsistentia derivare conati sunt.

Secundum Thomistas principium individuationis est materia signata quantitate, i. e. distincta seu divisa per quantitatem. Et dicitur haec quantitas interminata, i. e. abstrahens a determinata magnitudine et figura (quia haec in individuo saepe variantur, eodem manente individuo), et sumpta praecise, inquantum distinguitur per seipsam pure numerice a quacumque alia quantitate fundans ordinem sui ad quamcumque aliam quantitatem secundum distinctionem mere numericam. Materiam quantitate signatam esse principium individuationis non significat materiam et quantitatem ad individuationem concurrere ex aequo. Individuationis principium strictissime est sola materia ; haec tamen exigitive et potentialiter quantitatem praehabet, quae utique ad individuationem concurrit, sed nonnisi ut conditio.

In instanti generationis materia, vi dispositionum praeviarum,

dicit ordinem ad novam formam et accidentia novi compositi, quae accidentia in ordine causae materialis dispositivae iterum praecedunt formam suntque dispositiones proximae ad eam ; et inter ipsa accidentia quantitas ut primum accidens cetera praecedit tamquam dispositio ad ea. Materia enim non est disposita ad hanc numero formam, nisi quia est disposita ad hanc quantitatem, sicut non est disposita ad hanc speciem formae, nisi quia est disposita ad accidentia, quae hac specie requiruntur. Ideo materia iam intelligitur distincta et divisa, antequam quantitas actu adsit, immo antequam adsit nova forma substantialis generanda, inquantum vi dispositionum praeviarum conotat et exigit hanc potius quantitatem quam aliam. Ita si aqua resolvitur, materia moleculae aquae in duas partes divisa est, quarum altera fit hydrogenium, altera oxygenium. Similiter si homo moritur, materia eius divisa est in multas partes secundum numerum diversarum substantiarum organicarum, quae tunc oriuntur.

Quantitas, quae concurrit ad individuationem, dicitur interminata, non ita ac si materia conotaret abstractam quantitatem, sed quia quantitas conotata non concurrit ad individuationem secundum determinatam suam magnitudinem et figuram, sed unice prout est, per positionem, distincta et divisa ab omni alia quantitate. Ita in generatione hominis materia duarum cellularum germinalium signata est una quantitate continua, quae positione sua a quacumque alia quantitate est divisa et distincta.

387. Prob. th. *Arg. I.* Per exclusionem : Principium individuationis substantiarum corporearum est aliquid substantiale, quod constituit substantiam individuam, et quidem ita, ut multiplicetur in eadem specie, seu ita ut constituatur alia et alia, quin varietur species. Atqui sola materia signata quantitate est aliquid substantiale, quod constituit substantiam individuam, et quidem ita, ut multiplicetur in eadem specie. Ergo materia signata quantitate est principium individuationis substantiarum corporearum.

Mai. quoad 1. p. (principium individuationis substantiarum corporearum est aliquid substantiale) ex eo patet, quod individuatio est aliquid substantiale. Quamquam ex accidentibus dignoscimus individua, individuatio substantiarum nihilominus est aliquid substantiale, nam individua substantialia substantialiter inter se distinguuntur, sunt enim alia et alia substantia. Ceterum accidens adveniens substantiae, quae est eius subiectum inhaesionis, iam supponit illam individuam, ita quidem, ut potius accidens individuetur a substantia quam substantia ab accidente (cf. schol. 1).

Mai. quoad 2. p. (quod constituit substantiam individuam, et quidem ita, ut multiplicetur in eadem specie) manifesta est ex indole substantiae corporeae, quae in eadem specie multiplicatur mere numerice.

Prob. min. Intra substantiam corpoream non invenitur nisi materia et forma et exsistentia. Iam vero exsistentia non potest esse principium individuationis, cum ipsa iam supponant essentiam individuam ; neque forma potest esse principium individuationis ; cum forma sit principium speciei, ideo, variata forma, variatur species [1]. Contra in materia inveniuntur conditiones ad substantiam individuandam. Materia enim non est principium specificationis, cum sit substratum commune, pure potentiale, neque materia supponit substantiam individuam, cum sit pars constitutiva ipsius essentiae substantialis corporeae. Sed materia multiplicat formam et totam substantiam mere numerice, quin varietur species, cum forma seu principium specificationis recepta in materia non formaliter ratione sui, sed mere materialiter ratione subiecti diversificetur ; forma est alia et alia, unice quia est in alia et alia materia. Et simul materia ut ultimum subiectum incommunicabile impedit ulteriorem multiplicationem, i. e. constituit substantiam individuam seu incommunicabilem cum inferioribus ; individuum enim est incommunicabile cum inferioribus. Non enim potest substantia, quae communicatione formae cum materia exoritur, iterum communicari cum aliis subiectis, cum aliis materiis et ita ulterius multiplicari.

At materia, quae ita numerice distinguit et individuat substantiam corpoream, non est materia secundum se. Materia enim secundum se, tamquam pura potentia, indeterminata est sub omni respectu, neque per consequens una est vel plures (alia et alia) nisi potentialiter ; secundum se igitur principium individuationis seu distinctionis numericae esse non potest. Materia individuationis principium est, quatenus determinatur et dividitur per quantitatem. Sola enim quantitas prae aliis accidentibus seipsam ex essentia sua distinguit numerice ab alia quantitate eiusdem speciei secundum positionem seu secundum ordinem prioritatis et posterioritatis, quatenus ex essentia sua dicit partes sola positione iam distinctas numerice : Sicut quantitas continua dicit partes cohaerentes sola positione distinctas numerice tamquam individua partialia, ita quantitas discreta (numerus praedicamentalis) dicit partes discretas sola positione iam distinctas numerice tamquam individua totalia. Nam sicut partes lineae distinguuntur inter se individualiter per positionem, ita linea a linea et superficies a superficie et corpus (trina dimensio) a corpore. Quantitas igitur ex seipsa habet aliquem individuationis modum. Quare concurrit, tamquam conditio [2], ad substantiam individuandam,

---

[1] Parum refert, utrum sit magna aliqua differentia an parva (possunt enim esse species vicinae, quae parum inter se differunt et tamen specifice differunt) ; dummodo proveniat a forma, est aliquid ad specificationem pertinens, quod variat speciem. Tunc enim est aliquid, quod necessario inest et immutabiliter.

[2] Principium est sola materia, quae tamen est radix quantitatis, quam praebet exigitive et potentialiter.

quatenus distinguit secundum positionem partes materiae dividitque eas ut quantitas discreta. Qua distinctione et divisione posita, materia tamquam ultimum subiectum fungitur munere principii individuationis. Sua enim ipsius natura (ut ultimum subiectum) constituitur incommunicabilis cum quacumque altera materia, a qua est divisa, ac proinde est seipsa individua et apta ad individuandam formam et totam substantiam.

Arg. II. Ex natura materiae quantitate signatae : Principium individuationis substantiae corporeae est principium, quod constituit substantiam incommunicabilem cum inferioribus, multiplicando eam mere numerice intra eandem speciem. Atqui materia signata quantitate est principium, quod constituit substantiam incommunicabilem cum inferioribus, multiplicando eam mere numerice intra eandem speciem. Ergo materia quantitate signata est principium individuationis substantiae corporeae.

Ad mai. Individuum est incommunicabile cum inferioribus ; principium igitur individuationis est principium incommunicabilitatis. Sed in substantiis corporeis haec incommunicabilitas ita tribuitur, ut multiplicentur in eadem specie.

Ad min. Materia signata quantitate multiplicat formam ratione subiecti : alia est materialiter (ratione subiecti) forma, quae recipitur in alia parte materiae divisa a reliqua materia per quantitatem. Quod autem multiplicat formam seu principium specificationis ratione subiecti, in quod recipitur, multiplicat et dividit formam et totam substantiam materialiter seu mere numerice intra eandem speciem. Cum enim forma seu principium specificationis formaliter seu rationes ui non varietur, sed materialiter tantum ratione subiecti, in quod recipitur, eandem semper specificationem tribuit diversis substantiis, quae proinde non differunt nisi materialiter seu numerice. Insuper materia quantitate signata impedit ulteriorem divisionem seu multiplicationem, quia est subiectum physice incommunicabile cum alio subiecto ; materia enim materiae non datur, et materia quantitate signata ratione quantitatis divisa est etiam a quacumque alia materia (sine quantitate materia, utpote mere potentialis, indivisa est). Quod autem ulteriorem divisionem impedit, constituit substantiam incommunicabilem cum inferioribus.

388. Coroll. 1. Ergo materia signata quantitate seipsa est individua, et ita est apta, ut sit principium individuationis, seu radix, ex qua excrescat individuatio formae et totius substantiae. Materiae primae tamquam ultimo subiecto e x s e convenit incommunicabilitas naturalis et substantialis. Materia enim est prima potentia et ultimum subiectum, cui ex natura sua repugnat communicari cum inferiore physico, i. e. cum potentia, cum non detur materia materiae. Quam tamen incommunicabilitatem naturalem et substantialem materia re-

late ad aliam materiam non exercet, nisi inquantum ab ea dividitur quantitate. Sine quantitate non datur alia materia ei opposita, quacum esset incommunicabilis. Hac autem tamquam conditione posita, materia constituit seipsam substantialiter incommunicabilem et individuam, ac proinde est causa, ut forma in ea recepta individuetur. Cum igitur ultima causa intrinseca differentiae genericae et specificae sit forma, ultima causa intrinseca differentiae numericae est materia signata quantitate, quatenus haec tamquam causa materialis exigit dari a forma actum distinctionis mere numericae. Materia signata quantitate ante receptionem formae est individua per seipsam exigitive et mere potentialiter tamquam causa materialis. In virtute dispositionum praeviarum refertur ad quantitatem, et ita est signata seu divisa a quacumque alia materia tamquam incommunicabilis ei, et ita est individua seipsa mere materialiter et potentialiter, et expostulat actum individuationis seu differentiam numericam dandam per formam et per exsistentiam. Tota igitur individuatio, quae materiae ex seipsa convenit, potentialis est, quae nullum actum superaddit materiae, sed relinquit eam in pura potentialitate sua.

2. Ergo differentia pure numerica recte dicitur materialis. Differentia numerica seu principium individuationis formale est relatio transcendentalis secundum prius et posterius unius individui ad aliud eiusdem speciei (cf. n. 152) seu relatio transcendentalis secundum positionem. Cum igitur ea, quae specie differunt, separentur inter se per praedicata quidditativa, individua eiusdem speciei inter se non separantur nisi secundum positionem.

3. Ergo in singulis individuis eiusdem speciei species dividitur, non tamen specifice, sed numerice; forma dividitur et multiplicatur, non tamen formaliter, sed materialiter.

4. Ergo substantiae materiales, quae in eadem specie multiplicabiles sunt, non individuantur absolute secundum se, sed per ordinem ad alia individua, a quibus separantur; i. e. principium individuationis, licet sit aliquid intrinsecum, continet tamen habitudinem ad extrinsecum, seu non est ipsa rei entitas absolute, — contra Suárez. Si enim materia secundum se absolute esset distincta ab alia materia seu ab ea differens, iam non esset materia communis, sed alterius speciei, ac proinde specifice faceret differre totam substantiam; quae argumentatio a fortiori valet de forma. Suaresio e regione opponitur Scotus. Ponit enim tamquam principium individuationis aliquid extrinsecus superadditum naturae et plus quam ratione ab ea distinctum, quod proinde naturam relinqueret universalem. Quae sententia tendit ad confundendam quidditatem universalem cum essentia physica in rerum natura exsistente.

5. Ergo unius individui est una quantitas continua, quae est primum accidens ipsius, utpote concurrens, tamquam conditio sine qua non, ad esse substantiae corporeae individuae.

6. Ergo formae irreceptae, quae sunt per se incommunicabiles, per se etiam sunt individuae nec possunt multiplicari in eadem specie ; unde tot sunt species, quot sunt individua. Adverte praeterea has formas subsistentes esse infinitas secundum quid; unum igitur individuum quasi adimplet totum speciei ambitum, sicut si albedo separata subsisteret, esset infinita secundum quid, i. e. in ratione albedinis, nec posset esse nisi una. In his igitur formis individuatio nihil positivi superaddit super naturam. Hoc tamen non obstante quidditas earum, prout a nobis concipitur ad modum rerum corporearum, abstrahit ab individuatione ac proinde habet vere rationem speciei. Licet enim a nobis concipiantur tamquam irreceptibiles physice, iste tamen conceptus analogicus, imperfectus, nobis immediate non manifestat metaphysicam irreceptibilitatem (incommunicabilitatem metaphysicam) seu individuationem (cf. n. 151). Quidditates corporeae, quas solas proprie cognoscimus, non absolute secundum se individuantur, et ad modum harum quidditatum nos concipimus etiam quidditatem formae irreceptae.

389. Schol. 1. Communicabilitas logica speciei cum individuo fundatur super communicabilitatem realem formae cum materia. Species (homo-humanitas) multiplicatur in individuis seu communicatur individuis (singulis hominibus-singulis humanitatibus) communicatione logica seu compositione rationis : a parte rei non sunt duae realitates homo vel humanitas et hic homo vel haec humanitas. Ista autem communicatio seu compositio logica speciei cum individuis fundatur in communicatione physica seu reali formae, quae est principium formale speciei, cum principio materiali seu materia, quae sub quantitate discreta dividitur in plures. Forma autem subsistens non multiplicatur in pluribus individuis (incommunicabilitas logica speciei cum individuis), quia talis forma est physice incommunicabilis cum aliquo subiecto diviso in plura. Individuum vero materiale (hic homo-haec humanitas) est logice incommunicabile cum inferioribus, quatenus haec forma seu forma individuata (quod habetur per receptionem in materia signata quantitate) non potest communicari nisi huic subiecto seu huic materiae.

2. Accidentia seu formae accidentales individuantur a subiecto, cui inhaerent. Formae enim accidentales se habent ad subiectum inhaesionis sicut formae substantiales ad materiam primam. Unde incommunicabilitatem et individuationem desumunt ab ipso. Subiectum, cui inhaerent accidentia, haec multiplicat mere materialiter seu numerice impediens simul, tamquam ultimum subiectum, ulterius non communicabile, ulteriorem divisionem et multiplicationem. Quantitas vero duplicem habet individuationis modum: alterum **ex subiecto**, sicut quodlibet aliud accidens, alterum ex seipsa, inquantum habet situm. Quantitas enim

potest bifariam considerari : 1. ut est extensiva substantiae, 2. quatenus in seipsa habet partes extra partes, quod est ei peculiare et proprium prae omnibus aliis entibus. Sub priore consideratione individuatur a proprio subiecto more aliorum accidentium, nam etiam ipsa, cum recipitur in uno subiecto, fit incommunicabilis aliis. Posteriore modo spectata est ex se individua ; habet enim ex se ratione sui partes intra eandem speciem inter se distinctas, solaque positione et situ differentes, quarum quaelibet est quantitas ab alia quantitate solo numero diversa.

3. Ex eo, quod accidentia individuantur a subiecto suo, deducitur duo accidentia solo numero distincta non posse esse in eodem subiecto seu in eadem subiecti parte. Omnis enim divisio est aut formalis seu specifica, aut materialis seu numerica ratione subiecti reddentis incommunicabile. Accidentia igitur, quae non distinguuntur neque formaliter neque materialiter, nullo modo distinguuntur ; non duo igitur, sed unum sunt.

390. Obi. 1. Haecceitas non est materia signata quantitate. Atqui principium individuationis substantiarum corporearum est haecceitas. Ergo. *Resp. Conc. mai. ; dist. min. :* Principium individuationis radicale, *nego ;* formale, *subdist. :* Est haecceitas scotistica actualiter distincta a quidditate, *nego ;* est haecceitas, quae est differentia numerica a quidditate actualiter non distincta, *conc. Dist. consq. :* Principium individuationis formale, *conc. ;* radicale, *nego.*

2. Atqui principium individuationis radicale substantiarum corporearum non est materia signata quantitate. *Probo.* Principium individuationis formale non est materia signata quantitate. Atqui principium individuationis formale est principium individuationis radicale, i. e. non distinguuntur realiter. Ergo. *Resp. Conc. mai. ; dist. min. :* In substantiis spiritualibus, *conc. ;* in substantiis corporeis, *nego. Dist. consq. :* Principium individuationis substantiarum spiritualium non est materia signata quantitate, *conc. ;* principium individuationis substantiarum corporearum, *nego.*

3. Atqui neque in substantiis corporeis principium individuationis formale et radicale distinguuntur realiter. *Probo* (ad mentem Suaresii). Ipsa substantiae corporeae entitas non distinguitur realiter a substantia corporea individua seu ab individuatione formali. Atqui ipsa substantiae corporeae entitas est principium individuationis radicale. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Tota substantia non distinguitur a tota, *conc. ;* pars non distinguitur a tota, *nego. Contradist. min. :* Tota entitas, *nego ;* pars, i. e. materia, *subdist. :* Absolute, *nego ;* conotando quantitatem, *conc.*

4. Atqui materia conotans quantitatem non est principium individuationis radicale substantiarum corporearum. *Probo.* Pura potentia non est principium individuationis radicale substantiarum corporearum. Atqui materia conotans quantitatem est pura potentia. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Non est principium individuationis exigitive et mere potentialiter tamquam causa materialis, *nego ;* tamquam causa formalis, *conc. Conc. min. ; dist. consq.*

5. Atqui materia conotans quantitatem nullo modo est principium individuationis. *Probo.* Si materia non potest conotare quantitatem, materia conotans quantitatem non est principium individuationis. Atqui materia utpote pura potentia non potest conotare quantitatem. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Si materia non potest conotare quantitatem, prout consideratur absolute, *nego ;* prout subest dispositionibus praeviis, *conc. Contradist. min.*

6. Atqui materia in instanti generationis non subest dispositionibus praeviis. *Probo.* Dispositiones praeviae in instanti generationis perierunt. Atqui his dispositionibus materia non subest in instanti generationis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Relinquunt tamen materiam transcendentaliter determinatam, *conc.;* non relinquunt materiam transcendentaliter determinatam, *nego. Contradist. min.*

Bibliographia ad 386—389: *J. Bobik,* La doctrine de S. Thomas sur l'individuation des substances corporelles, RNSPh 51 (1953) 5—41. *P. Borne,* De ente materiali et spirituali sub respectu extensionis et inextensionis, DThPlac 42 (1939) 240—253; 349—369; 461—494. *U. Degl'Innocenti,* Il pensiero di San Tommaso sul principio d'individuazione, DThPlac 45 (1942) 35—81. *Id.,* Del Gaetano e del principio d'individuazione, DThPlac 52 (1949) 202—208. *A. Gazzana,* La «Materia signata» di S. Tommaso secondo la diversa interpretazione del Gaetano e del Ferrarese, Gr 24 (1943) 78—85. *P. Geny,* De materiae primae signatione, Gr 2 (1921) 290—294. *M. Glossner,* Das Prinzip der Individuation nach der Lehre des hl. Thomas und seiner Schule, Paderborn-Münster 1887. *G. v. Holtum,* Vom Individuationsprinzip, PhJ 15 (1902) 440—448. *G. M. Manser,* Das thomistische Individuationsprinzip, DThFrib 12 (1934) 221—237; 279—300. *P. Mielle,* La matière première et l'étendue, RTh 5 (1897/98) 763—787; 6 (1898/99) 16—31. *R. A. O'Donnell,* Individuation, NSch 33 (1959) 49-67. *M. Thiel,* Der einheitliche Urgrund der Individuation in den geschaffenen einfachen wie in den körperlichen Substanzen nach der Jugendschrift des hl. Thomas von Aquin: De ente et essentia, DThFrib 17 (1939) 61—74.

Ad 386 sqq. *S. Thomas*: «Illud unde aliquod singulare est hoc aliquid, nullo modo est multis communicabile . . . Si ergo Socrates per id esset homo, per quod est hic homo, sicut non possunt esse plures Socrates, ita non possent esse plures homines» (S. th. I 11, 3). *Aristoteles* dicit, «quod quaedam sunt unum numero, quaedam specie, quaedam genere, quaedam analogia. Numero quidem sunt unum, quorum materia est una [Ἀριθμῷ <ἐστιν ἓν> ὧν ἡ ὕλη μία: Met. V 6, 1016 b 32]. Materia enim secundum quod stat sub dimensionibus signatis, est principium individuationis formae» (*S. Thom.* in l. c. lect. 8 n. 876; cf. Met. X 9, 1058 a 37; XII 8, 1074 a 34). *S. Thomas:* «Illa quae differunt numero in genere substantiae, non solum differunt accidentibus, sed etiam forma et materia. Sed si quaeratur, quare haec forma differt ab illa, non erit alia ratio, nisi quia est in alia materia signata. Nec invenitur alia ratio, quare haec materia sit divisa ab illa, nisi propter quantitatem. Et ideo materia subiecta dimensioni intelligitur esse principium huius diversitatis» (In Boëth. de Trin. q. 4 a. 2 ad 4; cf. ib. ad 3; ad 5; corp.; a. 3 [cit. ad 321]). «Est de ratione individui quod non possit in pluribus esse. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo, quia non est natum in aliquo esse: et hoc modo formae immateriales separatae, per se subsistentes, sunt etiam per seipsas individuae. Alio modo, ex eo quod forma substantialis vel accidentalis est quidem nata in aliquo esse, non tamen in pluribus: sicut haec albedo, quae est in hoc corpore. Quantum igitur ad primum, materia est individuationis principium omnibus formis inhaerentibus: quia, cum huiusmodi formae, quantum est de se, sint natae in aliquo esse sicut in subiecto, ex quo aliqua earum recipitur in materia, quae non est in alio, iam nec ipsa forma sic exsistens potest in alio esse. Quantum autem ad secundum, . . . individuationis principium est quantitas dimensiva. Ex hoc enim aliquid est natum esse in uno solo, quod illud est

in se indivisum et divisum ab omnibus aliis. Divisio autem accidit substantiae ratione quantitatis, ut dicitur I Phys. Et ideo ipsa quantitas dimensiva est quoddam individuationis principium huiusmodi formis, inquantum scil. diversae formae numero sunt in diversis partibus materiae. Unde ipsa quantitas secundum se habet quandam individuationem : ita quod possumus imaginari plures lineas eiusdem speciei differentes positione » (S. th. III 77, 2 ; cf. IV Dist. 12, 1 a. 1 sol. 3 ad 3 ; C. g. I 21 ; IV 65 [ad 273] ; II 49 : Adhuc. Principium). « Si angelus est forma simplex abstracta a materia, impossibile est etiam fingere, quod sint plures angeli unius speciei » (Spir. Creat. a. 8 c. ; cf. Ente et ess. c. 5 6 ; 2 in princ. et ad fin. ; Qdl. II a. 4 ad 1 ; In De an. II lect. 12 n. 377 ; III lect. 8 n. 706 sqq. ; C. g. II 93 ; S. th. I 50, 4 ; 75, 4 ; 76, 2 ad 1). Cf. Op. [29] De princip. indiv. ; Op. [32] De nat. mat. et dim.

Caput II

DE ALTERATIONE

§ 1. Quid sit alteratio, et quotuplex sit

391. Quid sit alteratio. Alteratio *a)* latissime sumpta significat quamcumque mutationem accidentalem, *b)* strictius significat mutationem secundum qualitatem, *c)* strictissime significat alterationem corruptivam qualitatis sensibilis, quatenus corruptione unius qualitatis pedetentim introducitur alia ; sic enim res propriissime alterari seu altera fieri dicitur, cum corrupta una qualitate alia introducitur.

Alteratio ita strictissime sumpta definitur : motus ad qualitatem sensibilem mediam aut extremam. Dicitur « motus » ad excludendas mutationes instantaneas. Dicitur « ad qualitatem » ad excludendos motus secundum quantitatem et « ubi ». Dicitur « ad qualitatem sensibilem » ad excludendos motus, qui fiunt circa qualitates non sensibiles. Dicitur « mediam aut extremam », i. e. contrarietatem et latitudinem habentem, ad excludendum eas qualitates, quae contrarietatem non habent, ut lux, figura etc. Qualitas « media » duas qualitates significat contrarie oppositas, quae in eodem subiecto insunt remisse et inter se attemperatae, una autem crescente altera minuitur et magis magisque expellitur, quo acceditur ad extremum. Ita violaceum est commixtio rubri et caerulei ; crescente rubro magis magisque expellitur caeruleum et acceditur ad extremum, ad purum rubrum. Similiter se habet acidum-dulce. Alteratio igitur sic strictissime sumpta respicit qualitates contrarias et corruptivas, quarum altera, cum introducitur, alteram corrumpit et etiam ad substantiam corrumpendam tendit. Quare alteratio essentialiter generationi inservit ut instrumentum eius (cf. n. 405 sqq.). Alteratio est unus motus, includit vero duas mutationes : alteram corruptivam termini a quo, alteram acquisitivam termini ad quem.

392. Quomodo qualitas, cum essentiam simplicem habeat consistentem in indivisibili, possit terminare motum successivum et continuum alterationis. Hoc provenit ex ipsa contrarietate, quae distantiam importat successive percurrendam, quatenus qualitas, quae oritur ex qualitate contraria, oritur pedetentim, magis magisque actuando subiectum et corrumpendo qualitatem sibi contrariam. Si vero qualitas non fit ex termino contrario positivo, sed ex mere negativo, ut cum ex tenebris fit lux, fit in instanti, et ita illuminatio est in instanti [1]. Ideo licet qualitas possit produci in instanti, cum ex tenebris fit lux, aut cum generatur dispositio proxima, tamen cum producitur per verum motum ex termino positivo, neque fit in instanti, neque per multas instantaneas actiones, ita ut inter instans et instans nihil qualitatis produceretur, sed iugiter producitur aliquid, quia est « fieri » continue fluens. Inter instans igitur et instans aliquid qualitatis fit. Ita cum transitur de acido ad dulce per acidum-dulce, inter instans et instans est « corrumpi » acidi, quod est fieri dulcis seu dulce in fieri. Ex quo etiam patet in motu alterationis sicut in omni motu ponenda esse indivisibilia.

393. Quotuplex sit alteratio. Alteratio est triplex : *a)* simplex alteratio, quae respicit ipsam substantiam qualitatis ut motu acquirendam ex contrario ; *b)* intensio, quae respicit augmentum ; *c)* remissio, quae respicit decrementum non extensivum, sed intensivum. Est enim latitudo a qualitate ad qualitatem specie diversam et est latitudo a minore ad maiorem participationem eiusdem qualitatis, et viceversa. Intensio duplex est : altera, quae est corruptiva contrarii, ut intensio dulcedinis, quae est corruptiva acidi (quo magis enim intenditur dulcedo, eo magis corrumpitur acidum), altera, quae sine corruptione fit, ut intensio caloris [2] ; sed haec ad alterationem strictissime sumptam seu corruptivam non spectat.

394. Alteratio strictissime sumpta non est nisi ad tertiam speciem qualitatis per se primo. Nam qualitates contrarie oppositae, secundum quas fit per se primo seu immediate alteratio sensibilis ab una ad alteram, non inveniuntur nisi in tertia specie qualitatis (cf. n. 188, 3). Aliis qualitatibus haec alteratio non potest convenire nisi mediate, quatenus alteratione qualitatum tertiae speciei etiam aliae alterantur. Ita sanitas, quae tamquam habitus entitativus est qualitas primae speciei, alteratur alteratione qualitatum chimicarum corporis viventis.

---

[1] Intelligantur tenebrae perfectae, privatio absoluta lucis, non obscurum, quod est lux debilissima. A luce enim debilissima, ab obscuro, est motus successivus intensionis, quo lux pedetentim intenditur. Ab illuminatione probe distinguatur propagatio lucis de loco in locum, quae non fit in instanti, cum sit inter terminos positivos : ab uno loco ad alium.

[2] Supponimus contra veterum sententiam frigus nihil positivi esse.

Idem dicatur de potentiis animae organicis, quae pertinent ad secundam speciem qualitatis. Resistentia seu duritia corporis ab eius densitate dependet, ac proinde condensatione et rarefactione corporis alteratur. Similiter etiam figura condensatione et rarefactione mutari potest. Notandum est qualitates tertiae speciei, quatenus in substrato suo supponunt motum localem (ut calor), in alteratione, intensione et remissione ab hoc motu dependere. Ita calor intendi non potest, nisi quatenus intenditur motus molecularis.

Ad 391 sqq. *Aristoteles*, ostendens differentiam inter generationem et alterationem, haec habet : « Alteratio [Ἀλλοίωσις : De gen. et corr. I 4, 319 b 10] est, quando manet idem subiectum sensibile, scil. quando nulla transmutatione in eius substantia facta fit transmutatio in passionibus eius, scil. qualitatibus ipsius. Nec est differentia quantum ad hoc, utrum fiat transmutatio secundum contraria extrema vel secundum media, puta utrum de albo in nigrum vel de rubeo in pallidum. Ponit autem duo exempla : primum scil. cum corpus animalis idem manens, prius est sanum et postea infirmatur. Secundum est, quod aes idem manens, quandoque est rotundum et quandoque angulare . . . Et est advertendum quod primum horum exemplorum pertinet ad primam speciem qualitatis, secundum autem ad quartam ; cum tamen Philosophus in VII Phys. probet quod in prima et quarta specie qualitatis non est motus alterationis, sed solum in tertia, quae dicitur passio vel passibilis qualitas ; et propter hoc forte signanter dixit, quod alteratio est transmutatio in "passionibus". Sed dicendum est quod alteratio primo et per se est in qualitatibus tertiae speciei, mediantibus quibus ex consequenti fit alteratio etiam in aliis ; sicut per aliquam alterationem calidi et frigidi mutatur homo de sanitate in aegritudinem aut e converso ; et per alterationem mollis et duri perducitur corpus ad aliquam figuram » (*S. Thom.* in l. c. lect. 10 n. 2). « Quia in praecedenti ratione Philosophus supposuerat quod omnis alteratio sit secundum sensibilia, hoc intendit hic probare . . . Dicit ergo primo . . . quod omnia, quae alterantur, alterantur secundum qualitates sensibiles : et per consequens illis solum competit alterari, quae per se patiuntur ab huiusmodi qualitatibus » (*S. Thom.*, In Phys. VII lect. 5 n. 1 ; Arist. c. 3, 245 b 3).

§ 2. De intensione et remissione

Thesis 21 : *Qualitatum intensio non fit productione novae qualitatis destruentis priorem imperfectiorem neque per additionem partialium qualitatum neque per novam vim informandi, sed per eiusdem formae perfectiorem communicationem et unionem cum subiecto.*

395. St. qu. 1. Potest forma aliqua augeri : *a)* quantitate praedicamentali seu quantitate molis ; hoc non convenit nisi qualitatibus, quae inhaerent subiecto quanto quantitate molis, et hoc modo dicitur qualitas magna seu quanta per accidens quantitate subiecti ; *b)* quantitate virtutis (cf. n. 183 sq.), et hoc dupliciter : *a)* extensive per ordinem ad obiecta, inquantum qualitas aliqua, ut habitus, ad plura obiecta extenditur ; ita augetur scientia, inquantum extenditur ad

alias conclusiones; *b)* intensive. Augmentum intensivum qualitatis dicitur intensio et definitur: motus ab imperfectiore esse sive statu eiusdem qualitatis ad perfectiorem, eodem subiecto manente. Intensioni opponitur remissio, quae a perfectiore ad imperfectiorem statum procedit. Quaedam est intensio corruptiva contrarii, et quaedam est sine corruptione, ut intensio caloris, lucis, qualitatum spiritualium (cf. n. 393). Praeterea distinguenda est intensio, quae fit pedetentim motu continuo, et ea quae fit per saltus mutationibus instantaneis. Intensio per motum continuum convenit qualitatibus tertiae speciei, ut experientia docet. Et convenit etiam iis qualitatibus, quae non habent contrarium positivum, ut lux, calor. Quamquam primus ortus earum est in instanti, intensio tamen motu continuo fit. Aliis qualitatibus intensio per motum continuum non convenit nisi mediate, quatenus dependent a qualitatibus tertiae speciei, ut sanitas, potentiae animae vegetativae et sensitivae, resistentia. Intensio, quae fit mutationibus instantaneis, convenit qualitatibus primae speciei, i. e. habitibus: scientiis, artibus, virtutibus. Sicut habitus actibus acquiruntur, ita repetitis actibus intenduntur, ac proinde non motu continuo, sed mutationibus instantaneis inter se discretis intenduntur. Etiam habitibus infusis supernaturalibus convenit hoc modo intendi. Thesis nostra omnino in genere respicit intensionem qualitatum, tum eam quae fit motu continuo, tum eam quae fit motibus instantaneis.

2. Docuit Durandus intensionem eo fieri, quod nova produceretur qualitas destruens primam imperfectiorem. Suárez, Scotus aliique tenent intensionem fieri per additionem qualitatis ad qualitatem, quae ad invicem unirentur ut qualitates partiales inter se superpositae. In hac igitur sententia augmentum qualitatis concipitur ad modum augmenti quantitatis et ipsa qualitas tamquam conflata ex partibus integralibus inter se coniunctis sicut quantitas molis. Thomistae hanc additionem novarum qualitatum seu formarum reiciunt atque cum S. Thoma contendunt qualitatis intensionem fieri per maiorem eiusdem formae cum subiecto communicationem. Ad quam tamen maiorem communicationem habendam aliqui Thomistae, negantibus aliis, admittunt qualitati novam superaddi informandi vim.

396. Prob. th. I p.: Qualitatum intensio non fit productione novae qualitatis destruentis priorem imperfectiorem. Ex eo, quod non potest nova qualitas, quae produci dicitur, destruere priorem, cum non sit opposita ei, sed eiusdem speciei. Absurdum est actionem productivam novae qualitatis esse destructivam prioris eiusdem speciei: Absurdum est actionem productivam caloris esse destructivam caloris.

Prob. II p.: Qualitatum intensio non fit per additionem partialium qualitatum. *Arg. I.* Ex eo quod plura accidentia eiusdem speciei non

possunt esse in eodem subiecto : Si fieret qualitatis intensio per additionem qualitatum partialium, eadem subiecti pars in se reciperet plura accidentia eiusdem speciei solo numero diversa. Atqui hoc repugnat. Ergo qualitatum intensio non fit per additionem qualitatum partialium.

Prob. min. ex eo, quod accidentia a subiecto individuantur, et quidem a subiecto inhaesionis, a substantia, quae tribuit incommunicabilitatem omnibus accidentibus ; unum accidens se habet ad alterum tamquam medium receptionis tantum, quod ipsum est communicabile cum substantia. Nec potest dici in serie qualitatum partialium inter se superpositarum alteram differre ab altera non numero tantum, sed intensitate. Impossibile enim est duo accidentia, quae eidem subiecto inhaerent, differre tantum intensitate. Eorum distinctio deberet esse formalis, a forma proveniens ac proinde specifica. Omnis enim distinctio aut est specifica, per formam, aut numerica, a subiecto, quod tribuit incommunicabilitatem.

Arg. II. Ex eo quod qualitas est simplex forma : Quod non habet partes integrales ratione sui, sed est simplex forma, non potest crescere ratione sui per accumulationem huiusmodi partium. Atqui qualitas non habet partes integrales ratione sui, sed est simplex forma. Ergo non crescit ratione sui per accumulationem partium.

Mai. ex eo patet, quod incrementum conveniens rei ratione sui debet respondere essentiae ipsius rei.

Min. manifesta est consideranti singula praedicamenta : Sola quantitas secundum essentiam suam est ordo partium integralium, ceteris praedicamentis hoc non convenit nisi per quantitatem ; speciatim in essentia qualitatis nullo modo includitur aliqua pluralitas partium, sed secundum conceptum suum est simplex forma.

Prob. III p. : Qualitatum intensio non fit per novam vim informandi. Ex eo quod vis informandi est ipsa entitas qualitatis : Qualitatem seu formam accipere maiorem vim informandi idem est atque accipere maiorem entitatem ; vis enim informandi est ipsa entitas formae. Iam vero hoc est relabi in sententiam iam refutatam in II p. Ergo qualitatum intensio non fit per novam vim informandi.

Prob. IV p. : Qualitatum intensio fit per eiusdem formae perfectiorem communicationem et unionem cum subiecto. *Arg. I.* per exclusionem : Qualitas seu forma intenditur aut ex eo, quod ipsa secundum entitatem et actualitatem augetur acquirendo novas partes inter se distinctas, aut ex eo, quod eadem manente entitate formae haec perfectius communicatur cum subiecto et ei unitur. Atqui primum repugnat, ut patet ex II et III p. Ergo relinquitur alterum.

Arg. II. Ex eo quod qualitas est simplex forma : Simplex forma eo intenditur, quod perfectius communicatur cum subiecto perfec-

tiusque ei unitur ab agente. Atqui qualitas est simplex forma. Ergo intenditur per communicationem et unionem perfectiorem cum subiecto.

Min. patet ex II et III p.

Prob. mai. Forma causat, seu effectum suum formalem producit, sua ipsius entitate, ut communicata tamen et applicata ab agente. Cum igitur perfectius communicatur et applicatur, maiorem producit effectum formalem. Atqui formam maiorem producere effectum formalem est formam intendi. Tunc enim forma perfectius dominium exercet super potentialitatem subiecti eamque magis sibi subicit, expellendo etiam contrarias qualitates et dispositiones, quas ibi reperit. Ergo.

397. Coroll. 1. Ergo illae formae possunt intendi, quae divisibiliter a subiecto participari possunt. Licet enim omnis species stet in indivisibili quantum ad praedicata essentialia constitutiva eius, quaedam tamen magis vel minus a subiecto participari possunt. Hae autem species in praedicamento qualitatis tantum inveniuntur.

2. Ergo forma, quae intenditur, intrinsecus non perficitur absolute ecundum se, sed acquirit in virtute perfectioris applicationis ab agente perfectiorem ordinem ad subiectum. Quare calor centum graduum, etiam separatus a subiecto divinitus, dicitur perfectior calore decem graduum non secundum se et absolute, sed propter diversam habitudinem ad subiectum actuandum seu propter diversam relationem transcendentalem ad subiectum. Quomodo autem hoc esse possit, eadem manente entitate formae, intelligitur ex indole causae formalis. Forma enim producit effectum formalem seu causat sua ipsius entitate, inquantum causa efficiens eam facit causare seu applicat. Iam vero indoles harum formarum (quae suscipiunt magis et minus) est, ut efficiens possit eas facere magis causare (hoc enim virtualiter in se continent), semper tamen causant sua ipsius entitate. Quare haec manet eadem.

398. Schol. 1. Illa forma dicitur i n t e n d i , quae secundum se non reducitur magis in actum, secundum quam tamen subiectum aliquod magis actuatur seu in actum reducitur ; contra illa forma dicitur e x t e n d i , quae secundum se magis reducitur in actum. Hoc autem dupliciter fieri potest : *a)* quantitate molis, *b)* quantitate virtutis, quod obtinet in habitibus per additionem obiecti, ad quod extenditur habitus.

2. Ut accurate distinguatur nostra sententia a sententia eorum, qui asserunt intensionem fieri per additionem novae virtutis informandi, dicimus nos admittere in intensione qualitatis maiorem informationem (quae pertinet ad actum secundum), non vero maiorem vim informandi (quae spectat ad actum primum).

399. Obi. 1. Qualitas stat in indivisibili. Atqui intensio eius, quod stat in indivisibili, non fit per eiusdem formae perfectiorem communicationem et unionem cum subiecto. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quoad praedicata essentialia, *conc.;* quoad perfectiorem communicationem cum subiecto, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui qualitas stat in indivisibili etiam quoad perfectiorem communicationem cum subiecto. *Probo.* Quod non admittit gradus, stat in indivisibili etiam quoad perfectiorem communicationem cum subiecto. Atqui qualitas non admittit gradus. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Gradus, qui consistunt in qualitatibus partialibus, *nego:* qui consistunt in perfectiore communicatione eiusdem formae cum subiecto, *conc. Contradist. min.*

3. Atqui qualitas non admittit gradus, qui consistunt in perfectiore communicatione cum subiecto. *Probo.* Non admittit gradus, qui consistunt in perfectiore communicatione cum subiecto, cui non potest superaddi maior vis informandi. Atqui qualitati non potest superaddi maior vis informandi. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod potest tamen perfectius informare, *nego;* quod non potest perfectius informare, *conc. Contradist. min.*

4. Atqui qualitas, eadem manens (i. e. cui non superadditur maior vis informandi), non potest perfectius informare. *Probo.* Si qualitas causat formaliter sua ipsius entitate, non potest, eadem manens, perfectius informare. Atqui qualitas causat sua ipsius entitate. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si causat formaliter sua ipsius entitate ut applicata ab agente, *nego;* non ut applicata ab agente, *conc. Contradist. min.*

5. Atqui qualitas secundum se independenter ab applicatione agentis est perfectior. *Probo.* Illa qualitas secundum se est perfectior, quae, separata a subiecto, est perfectior. Atqui qualitas, ut calor 100 graduum, divinitus separatus a subiecto, est perfectior calore 10 graduum. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quae separata a subiecto est perfectior absolute secundum se, *conc.;* quae est perfectior propter relationem transcendentalem ad subiectum provenientem ex perfectiore applicatione ab agente, *nego. Contradist. min.*

Ad 396. *S. Thomas:* « Augmentum et diminutio in formis quae intenduntur et remittuntur, accidit uno modo non ex parte ipsius formae secundum se consideratae, sed ex diversa participatione subiecti. Et ideo huiusmodi augmentum habituum et aliarum formarum, non fit per additionem formae ad formam; sed fit per hoc quod subiectum magis vel minus perfecte participat unam et eandem formam. Et sicut per agens quod est actu, fit aliquid actu calidum, quasi de novo incipiens participare formam, non quod fiat ipsa forma, ut probatur VII Metaph.; ita per actionem intensam ipsius agentis efficitur magis calidum, tamquam perfectius participans formam, non tamquam formae aliquid addatur » (S. th. I-II 52, 2; cf. a. 3; II-II 24, 5; I Dist. 17, 2 a. 2; Virt. i. com. a. 11).

§ 3. De condensatione et rarefactione seu de intensione et remissione densitatis et raritatis

Thesis 22: *Rarum et densum non constituuntur per additionem et diminutionem quantitatis, neque per intervalla inter atomos interiecta, sive haec dicantur vacua sive repleta, neque per maiorem et minorem ubicationem seu explicationem quantitatis quoad locum, sed per maiorem vel minorem explicationem quantitatis quoad se.*

400. St. qu. 1. Rarum definitur secundum Aristotelem: « quod sub magnis dimensionibus parvam habet materiam », et densum:

« quod sub parvis dimensionibus multum habet materiae » (cf. textus). In qua definitione dimensionum nomine non intelligitur quantitas quoad effectum primarium, seu prout ordinat partes in ordine ad totum, sed quoad effectum secundarium, i. e. prout ordinat et extendit localiter (dimensio commensurat loco — mensura externa, volumen). Nam quantitas secundum se (quoad effectum primarium) accurate respondet materiae, quam mensurat (mensura interna) ; hoc ipso enim, quod est plus materiae seu substantiae corporeae, est etiam plus quantitatis, neque possunt addi partes materiae, quin addantur partes quantitatis.

2. Dari aliquomodo densum et rarum experientia docet ; aliquando enim sub magno volumine parum deprehenditur materiae, aliquando sub parvo volumine multum. Corpus, quod movetur localiter, aliquam compressionem seu condensationem efficit. Cum enim motus localis non propagetur in instanti, corpora, quae locum cedere debent corpori moto, necessario aliquam compressionem patiuntur. Ad hoc phaenomenon explicandum variae sunt sententiae et veterum et modernorum. Ex veteribus rarum aliqui explicabant ex additione, densum ex diminutione quantitatis. Atomistae, et veteres et recentes, densum et rarum per intervalla inter atomos interiecta explicant : Si intervalla sunt magna, corpus est rarum ; si sunt parva, est densum. Haec intervalla ab aliquibus dicuntur vacua, ab aliis materia subtilissima (aethere) repleta. Quidam scholastici densum et rarum eo constitui dicunt, quod eadem quantitas modo minus, modo maius occupet spatium, seu per minorem vel maiorem ubicationem. S. Thomas et maior scholasticorum pars docent densitatem et raritatem esse modos superadditos quantitati : qualitates quantitatis, determinantes quantitatem, ut magis vel minus se explicet. Sicut igitur quantitas quoad terminationem et partium dispositionem determinatur per figuram, ita, in hac sententia, quoad maiorem vel minorem explicationem determinatur per raritatem et densitatem.

401. Prob. th. I p. : Rarum et densum non constituuntur per additionem et diminutionem quantitatis. Additio et diminutio quantitatis non fit nisi per additionem et diminutionem materiae, quo habetur multum materiae sub magnis dimensionibus et parum sub parvis, i. e. augmentum et decrementum, non vero multum materiae sub parvis et parum sub magnis. Verbo : haec sententia confundit augmentum et decrementum cum rarefactione et condensatione.

Prob. II p. : Densum et rarum non constituuntur per intervalla inter atomos interiecta, sive haec dicuntur vacua sive repleta. Ex eo, quod v a c u a illa intervalla inter atomos non sunt admittenda. Ita enim destruitur unitas substantialis molium ex atomis conflatarum, quae non tantum in viventibus, sed etiam in non viventibus est ad-

mittenda (cf. n. 245 prob. II p.). Praeterea, his intervallis vacuis admissis, aut admittitur trans vacuum inter singulas atomos actio in distans, quae repugnat (cf. n. 347), aut reducitur activitas atomorum ad solum motum mechanicum, quod similiter non est admittendum (cf. n. 246, 2) ; phaenomena lucis, attractionis et alia convenienter explicari non possunt, vacuo inter atomos admisso. Si vero dicantur intervalla illa repleta, nulla habetur explicatio.

Prob. III p. : Densum et rarum non constituuntur per minorem et maiorem ubicationem. Ex eo quod minor vel maior ubicatio densum et rarum supponit : Densum et rarum non constituuntur per minorem et maiorem ubicationem, si ante ubicationem iam habetur densum et rarum. Atqui ante ubicationem iam habetur densum et rarum. Ergo minor vel maior ubicatio densum et rarum non constituit.

Prob. min. « Ubi » habetur per commensurationem quantitatis cum loco. Quantitas autem non potest occupare maiorem vel minorem locum, nisi ipsa secundum se magis vel minus extendatur. Effectus enim formalis secundarius causatur a primario eique propterea accurate respondet.

Prob. IV p. : Densum et rarum constituuntur per maiorem vel minorem explicationem quantitatis quoad se. Ex essentia rari et densi : Per hoc constituitur rarum et densum, per quod constituitur parum materiae sub magnis dimensionibus et multum materiae sub parvis dimensionibus. Atqui maiore et minore explicatione quantitatis quoad se constituitur parum materiae sub magnis dimensionibus et multum materiae sub parvis dimensionibus. Ergo maiore et minore explicatione quantitatis quoad se constituitur rarum et densum.

Prob. min. Hoc ipso, quod explicatur quantitas, explicatur etiam materia, et explicationem quantitatis quoad se sequitur, tamquam effectus secundarius, explicatio quoad locum. Quare maiore et minore explicatione quantitatis quoad se constituitur parum materiae sub magnis dimensionibus et multum materiae sub parvis dimensionibus.

402. Coroll. Ergo definitio rari : « quod sub magnis dimensionibus parvam habet materiam », est definitio per effectum secundarium. Idem dicendum est de definitione densi : « quod sub parvis dimensionibus multum habet materiae ». Essentialiter densum et rarum definitur per minorem vel maiorem explicationem quantitatis quoad se.

403. Schol. 1. Intensio densitatis (et remissio raritatis) condensatio dicitur, intensio raritatis (et remissio densitatis) rarefactio. Condensatio et rarefactio alterationes sunt ; nam raritas et densitas sunt qualitates tertiae speciei contrarie oppositae.

2. Distinguendum est inter volumen apparens apparentemque rarefactionem et volumen reale. Tale enim corpus

saepe magnum videtur spatium occupare eo, quod poris et foraminibus perforatur, quae aliis corporibus (aëre, aethere) sunt repleta.

404. Obi. 1. Raritas et densitas non constituuntur per maiorem vel minorem explicationem quantitatis quoad se. *Probo.* Maior ubicatio non est maior explicatio quantitatis quoad se. Atqui raritas et densitas constituuntur per maiorem et minorem ubicationem. Ergo. *Resp. Conc. mai.; dist. min.;* Raritas et densitas quoad effectum primarium seu quoad essentiam suam, *nego;* quoad effectum secundarium, *conc. Dist. consq.:* Quoad effectum primarium, *nego;* quoad effectum secundarium, *conc.*

2. Atqui raritas quoad essentiam constituitur per maiorem ubicationem. *Probo.* Per hoc constituitur aliquid quoad essentiam, per quod definitur. Atqui raritas definitur per maiorem ubicationem. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Per quod definitur definitione essentiali, *conc.;* definitione per proprium, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui essentia seu effectus primarius raritatis et densitatis non est maior vel minor quantitatis explicatio. *Probo.* Illud non potest esse effectus primarius raritatis et densitatis, quod est effectus augmenti et decrementi. Atqui maior vel minor quantitatis explicatio est effectus augmenti et decrementi. Ergo. *Resp. Conc. mai.; dist. min.:* Explicatio quae fit per additionem novae quantitatis, *conc.;* quae fit eo, quod quantitas magis reducitur in actum, *nego. Dist. consq.*

4. Atqui quantitas nequit magis vel minus reduci in actum. *Probo.* Illud nequit magis vel minus reduci in actum, quod non suscipit magis et minus. Atqui quantitas non suscipit magis et minus. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod non suscipit magis et minus, i. e. quod non potest intendi, *nego;* quod non potest extendi, *conc. Contradist. min.*

Bibliographia ad 400—403: *B. Bavink,* Ergebnisse und Probleme der Naturwissenschaften, 8. Aufl. Hirzel/Leipzig 1944, 55. *D. Nys,* La définition de la masse, RNSPh 8 (1901) 5—25.

Ad 401. *Aristoteles:* "Εστι δὲ πυκνὸν μανοῦ διαφέρον τῷ ἐν ἴσῳ ὄγκῳ πλεῖον ἐνυπάρχειν (De caelo III 1, 299 b 8). « Spissum [densum] in hoc differt a raro, quod "in aequali mole" idest sub eisdem dimensionibus plura continet, quia plus habet de materia, ut in IV Phys. habetur » *(S. Thom.,* In De caelo et m. III lect. 3 n. 8). « [Ostendit Aristoteles] quod contingit rarefieri et condensari sine vacuo . . . Eadem numero est materia contrariorum: magnum autem et parvum sunt contraria circa quantitatem: ergo eadem numero est materia magni et parvi [ἔστι δὲ καὶ σώματος ὕλη καὶ μεγάλου καὶ μικροῦ ἡ αὐτή: Phys. IV 9, 217 a 26]. Et hoc manifestum est in transmutatione substantiali. Cum enim generatur aër ex aqua, eadem materia, quae prius erat sub aqua, facta est sub aëre, non accipiendo aliquid quod prius non haberet, sed illud quod prius erat in potentia in materia, reductum est in actum. Et similiter est, cum e converso ex aëre generatur aqua. Sed hoc interest, quod, cum ex aqua generatur aër, fit mutatio ex parvo in magnum; quia maior est quantitas aëris generati quam aquae, ex qua generatur; cum autem ex aëre fit aqua, fit e converso transmutatio a magnitudine in parvitatem. Ergo et cum aër multus exsistens reducitur ad minorem quantitatem per condensationem, vel ex minori in maiorem per rarefactionem, eadem materia est, quae fit utrumque in actu, scil. magnum et parvum, prius exsistens ad haec in potentia. Non ergo condensatio fit per hoc, quod aliquae aliae partes subintrando adveniant, vel rarefactio per hoc, quod partes inhaerentes extrahantur, ut existimabant ponentes vacuum inter corpora; sed per hoc, quod materia earundem partium accipit nunc maiorem, nunc minorem quantitatem: ut sic rarefieri nihil aliud sit

quam materiam recipere maiores dimensiones per reductionem de potentia in actum ; condensari autem e converso. Sicut autem materia est in potentia ad determinatas formas, ita etiam est in potentia ad determinatam quantitatem. Unde rarefactio et condensatio non procedit in rebus naturalibus in infinitum . . . Manifestat propositum per effectus rari et densi, . . . scil. gravis et levis, duri et mollis. Et sic patet quod rarum et densum diversificant qualitates et non quantitates» (*S. Thom.*, In Phys. IV lect. 14 n. 9 11 13 ; cf. De gen. et corr. I 5, lect. 14 n. 5 ; II Dist. 30, 2 a. 1 ; S. th. III 77, 2 ad 3).

§ 4. De mixtione seu de alteratione in processu chimico

Thesis 23 : *In mixtione perfecta elementa non manent actu neque formaliter eminenter, sed virtualiter, inquantum manent qualitates chimicae propriae elementorum, formaliter quidem, sed remissae et temperatae.*

405. St. qu. 1. Corpus chimice compositum est, quod oritur mixtione perfecta (combinatione, synthesi chimica) duorum aut plurium corporum chimice simplicium, in quae iterum analysi chimica resolvi potest. Corpus chimice simplex est, quod non oritur ex mixtione aliorum corporum neque in alia resolvi potest. Corpus chimice simplex elementum chimicum dicitur. Elementa, quae recenti tempore numerantur nonaginta duo, secundum recentissimam scientiam physicam strictissime elementa non sunt, cum resolvantur in electrones et in nucleum aliquem ulterius resolubilem (cf. n. 246, 1).

A mixtione perfecta, vi cuius oritur corpus chimice compositum, distinguenda est mixtio imperfecta (ad sensum), vi cuius oritur aggregatum aliquod plurium corporum, quod non est corpus chimice compositum. Mixtio perfecta non fit, nisi quatenus secundum determinatas omnino proportiones [1] miscentur corpora chimice simplicia (lex proportionum determinatarum), ex quibus oritur corpus chimice compositum, non manifestans proprietates corporum simplicium, sed alias, et referens secundum suas proprietates typum ab omnibus aliis corporibus, tum simplicibus, tum compositis, abrupte distinctum et omnino determinatum. Contra mixtio imperfecta non fit secundum determinatas proportiones, sed ad libitum, atque oritur aggregatum manifestans naturas et proprietates elementorum seu corporum, ex quibus est exortum. Hoc mixtum ad libitum intendi potest et remitti, ac proinde diversa mixta inter se non distinguuntur abrupte, sed est transitus fluens ab uno in aliud ; exemplum sit aqua minus vel magis salsa.

2. Tum veteres tum recentes chimici docent mixtione statum quendam aequilibrii effici, ac proinde miscibilia oppositionem quandam ad

[1] Hanc proportionem enuntiat formula chimica.

invicem habere. Experientia enim teste, ea quae miscentur, agunt ad invicem : ex qua mutua actione et reactione status aequilibrii resultare debet. Supposita igitur elementorum chimicorum specifica distinctione (cf. n. 246, 1), haec oppositio et hoc aequilibrium ex viribus seu qualitatibus specificis chimicis explicanda sunt, ita ut ea elementa miscibilia sint seu affinitatem ad invicem habere dicantur, quae oppositis qualitatibus specificis praedita sunt. Mixtio igitur ipsa certo consistet in quodam harum qualitatum aequilibrio. Quomodo autem hoc aequilibrium concipiendum sit, dubitatur.

Inter veteres Avicenna docuit formas elementorum substantiales integras manere in mixto, qualitates vero ad medium reduci ; quae sententia multis recentibus placet, qui mixtionem etiam perfectam ex virium combinatione elementorum actu remanentium explicare nituntur. Scotus, concedendo formas substantiales elementorum non manere actu, sentit tamen manere formaliter eminenter, i. e. contineri formaliter substantialiter in forma mixti tamquam in forma altiore, sicut vegetativum et sensitivum continetur in anima humana. Thomistae tenent elementa non substantialiter, sed accidentaliter tantum remanere ratione qualitatum eorum. Inter quos tamen aliqui existimant qualitates illas non manere formaliter in mixto, sed virtualiter ratione alicuius qualitatis mixtae seu mediae, virtualiter continentis qualitates extremas elementorum. Ceteri vero docent manere in mixto formales qualitates elementorum, redactas tamen ad mediocritatem, i. e. easdem [1] qualitates oppositas, quae in gradu intenso inveniuntur in diversis elementis tamquam propria eorum, inveniri sociatas in mixto, sed in gradu remisso. Qualitates enim remissae in eodem subiecto inesse possunt. Et hoc temperamentum diversarum qualitatum oppositarum dicunt proprietatem mixti.

406. Prob. th. I p.: In mixtione elementa non manent actu. Ex differentia specifica inter elementa et mixta: Si mixta specifice distinguuntur ab elementis, haec non manent actu. Atqui mixta specifice distinguuntur ab elementis. Ergo in mixtione elementa non manent actu.

Prob. mai. Tunc enim per mixtionem nova oritur natura seu nova forma substantialis, intereuntibus formis elementorum.

Prob. min. Mixta ab elementis abrupte distinguuntur secundum typum stabilem et constantem (secundum accidentia, quae constanter et stabiliter adsunt) [2]. Quae constantia et stabilitas proprietates manifestat specificas. Effectus enim constans postulat causam constantem, quae non potest esse fortuita quaedam et accidentalis cir-

[1] non numero tamen, sed specie easdem, quia in mutatione substantiali fit resolutio usque ad materiam primam (cf. n. 382).

[2] Typus stabilis est stabilis notarum complexio (cf. n. 245, nota).

cumstantia, sed debet esse ipsa rei natura (cf. n. 77). Mixta igitur cum ab elementis distinguantur abrupte secundum typum stabilem et constantem, distinguuntur secundum proprietates. Quae autem diversas habent proprietates, specifice inter se differunt.

Ortus novi illius typi stabilis, qui in corpore mixto apparet, non potest explicari ex microstructura et ex combinatione virium elementorum (nuclei et electronum) actu remanentium. Haec explicatio non est conaturalis, sed contra naturam est. Virium combinatio, i. e. earum ad invicem coniunctio, qua se cohiberent et modificarent stabiliter, manente eadem natura substantiali, est status violentus. Necesse omnino est, ut novo typo accidentali respondeat nova substantia. Neque vis huius argumenti debilitatur ex iis, quae in corpore vivente apparent : Idem vivens per diversa stadia evolutionis suae diversum exhibet typum extrinsecum. Negatur paritas. Haec evolutio convenit viventibus, non-viventibus non convenit. Hoc tamen non obstante, principium fundamentale, quo nititur argumentatio nostra : typum accidentalem stabilem semper respondere naturae substantiali, etiam in viventibus salvatur. Sed in viventibus typus stricte essentialis est ille typus internus, qui iam habetur in cellula germinali (fecundata), unde incipit evolutio, qui proinde typus in evolutione viventis, quae repetitis cellularum divisionibus fit, cum omnibus cellulis communicatur.

Prob. II p. : Elementa non manent formaliter eminenter. Ex eo quod mixtum non manifestat proprietates elementorum : Si elementa continerentur formaliter eminenter in mixto, mixtum deberet esse principium operationum propriarum elementorum, sicut anima humana est principium operationum propriarum vegetativi et sensitivi. Atqui experientia teste hoc est falsum : aqua non manifestat operationem propriam oxygenii et hydrogenii, neque sal (natrium chloratum) est principium operationum propriarum chlori et natrii. Ergo elementa non manent formaliter eminenter.

Prob. III p. : Elementa manent virtualiter, inquantum manent qualitates chimicae propriae elementorum, formaliter quidem, sed remissae et temperatae. Ex ipso processu mixtionis : Illud inest in mixto, quod mutuam elementorum alterationem terminat. Atqui id quod hanc alterationem terminat, sunt formales qualitates remissae elementorum. Ergo hae qualitates remissae sunt in mixto.

Mai. ex eo patet, quod alteratio inducens dispositiones praevias tendit ad dispositiones proximas in eisque consummatur.

Prob. min. ex ipso processu mixtionis, quae qualitatum oppositarum alteratione contingit. In elementis affinitatem ad invicem habentibus insunt oppositae qualitates in gradu intenso. Quare elementum agit in elementum, oppositam in eo producens qualitatem. Quo

ipso huius qualitas propria remittitur, nam opposita qualitas per oppositae introductionem remittitur ; redditur enim ita subiectum indispositum et incapax ad retinendam qualitatem oppositam in gradu intenso. Tendit igitur processus iste alterationis ad utramque qualitatem oppositam in utroque elemento efficiendam in gradu remisso. Quare terminus ipse seu dispositio proxima, quae inest in mixto tamquam proprium eius, sunt formales qualitates remissae elementorum.

407. Coroll. 1. Ergo sicut qualitas chimica intensa est proprietas elementi, ita qualitatum temperamentum est proprietas mixti. Quamquam qualitates chimicae mixti eiusdem speciei sunt cum qualitatibus elementorum, ex quibus exortum est mixtum, nihilominus proprietates ac proinde etiam essentiae et substantiae differunt. Corpus enim chimice compositum requirit temperamentum omnino determinatum qualitatum elementorum. Hoc temperamentum diversarum qualitatum est ei proprium, cum proprietates elementorum sint singulae qualitates in gradu intenso ; rerum natura expostulat aut hoc temperamentum plurium qualitatum contrariarum aut singulas qualitates in gradu intenso. Stadia intermedia non sunt nisi stadia transitoria alterationis ducentis ad corruptionem et generationem sine constantia ulla. Firmitas autem et constantia tum singularum qualitatum intensarum uniuscuiusque elementi, tum temperamenti earum in mixto ostendit et singulas qualitates intensas et earum temperamentum accidentia esse propria seu proprietates, quae accurate respondent naturae substantiae, in qua radicantur. Sicut qualitates chimicae, ita etiam structurae elementorum (derivatorum) aliquo modo ad invicem modificatae manent in mixto, quod proinde structura sua est totum heterogeneum constitutum ex structuris diversis elementorum suorum secundum legem proportionum determinatarum, prout enuntiat formula chimica. Etiam haec coniunctio diversarum structurarum secundum proportiones determinatas proprietatem constituit corporis mixti. Ex temperamento qualitatum chimicarum et ex microstructura combinata elementorum tamquam ex proprietate fundamentali resultant proprietates derivatae, seu ea omnia, quae typum constituunt corporis mixti. Ad hunc typum pertinent etiam qualitates a qualitatibus elementorum specifice diversae. Mixtum plerumque ab elementis suis differt specifice secundum colorem, saporem, odorem. Ita data structura illa combinata, color fundamentalis, qui in ipsa microstructua consistit, alius est ; ex alio autem colore fundamentali etiam alius color formalis resultat, quatenus alius producitur motus in medio. Sapor et odor resultant ex qualitatibus chimicis corporis.

2. Ergo mixtio recte definitur ab Aristotele : « miscibilium alteratorum unio » (De gen. et corr. I 10 ; cf. text.). Mixtio est specialis

quaedam generatio substantialis. Ideo haec definitio praesupponit definitionem generationis substantialis in communi, quae est mutatio de non-esse substantiali ad esse substantiale in materia, et explicat, in quo differat generatio mixtiva a simplici generatione, quae simpliciter fit ex uno, quod corrumpitur, sicut cum ex planta per combustionem generatur carbo et in quacumque analysi ex mixto generantur elementa. Mixtio igitur est generatio, quae fit per modum unionis seu congregationis contemperantis et coniungentis multa divisa in unum tertium. Quare ea quae miscentur, coordinantur ad invicem secundum mutuam actionem et passionem, ut ex omnibus fiat unum temperamentum, non vero unum subicit sibi cetera et trahit illa ad se, sicut fit in augmentatione et nutritione.

408. Schol. 1. Mixtione effici unum homogeneum secundum qualitates chimicas, patet. Unio enim contemperans elementa, horum dissimilaritatem secundum qualitates chimicas tollit, ut faciat ex eis substantiam unam (cf. supra n. 406, prob. III p., et n. 407, 2). Et ipsa homogeneitas accidentalis secundum qualitates chimicas est dispositio proxima requisita ad hoc, ut una eademque forma informet totam molem, antea a formis elementorum diversis informatam. Est tamen in mixto heterogeneitas secundum structuram, quatenus structurae diversae elementorum in mixto perdurant. Heterogeneitas secundum qualitates chimicas non contingit nisi in viventibus, in quibus principium vitae mediante generativa et nutritiva et augmentativa sibi disponit partes dissimilares et organa varia ad opera vitae peragenda (cf. n. 415; 452, 1). Hae partes dissimilares (substantiae «organicae»)[1], ut albumen, lecithinum etc., suis muneribus funguntur: albumen fungitur ut albumen, lecithinum ut lecithinum, ita ut vivens sit principium operationum propriarum harum substantiarum. Quare dicendum est vivens has substantias formaliter eminenter in se continere atque animam diversas has partes diverso etiam modo informare: albumen ut est (formaliter) eminenter forma albuminis, lecithinum ut est eminenter forma lecithini. Haec igitur dissimilaritas non tantum accidentalis, sed etiam substantialis est. Elementa autem, ex quibus, chimice loquendo, conflantur substantiae «organicae», vivens nonnisi virtualiter continet. Ideo quoad corpus vivens duplex genus elementorum distinguimus: elementa proxima — substantias «organicas», et elementa remota — substantiarum «organicarum» elementa. Tota autem dissimilaritas seu heterogeneitas elementorum proximorum homogeneitati accidentali subicitur, quatenus omnes partes heterogeneae uni subsunt virtuti nutritivae et augmen-

[1] Si hae partes dicuntur substantiae organicae, intelligantur substantiae partiales; constituunt enim unum per se seu unam substantiam vivam, cuius sunt partes. De his substantiis «organicis» cf. n. 417, nota.

tativae, quae pervadit totam substantiam viventem atque utitur omnibus partibus earumque viribus chimicis ad bonum totius. Ita, non obstante heterogeneitate partium, una constituitur dispositio homogenea requisita, ut totum corpus vivens una sit informatum forma substantiali.

2. Reditus elementorum in analysi chimica. Reditus elementorum explicatur ex structura heterogenea mixti : Analysi chimica haec structura resolvitur, quo destruitur etiam aequilibrium qualitatum chimicarum et redeunt qualitates propriae elementorum, quod est dispositio praevia et proxima ad reditum ipsorum elementorum. Quoad corpus vivens, quod moritur, reditus elementorum proximorum (i. e. substantiarum « organicarum ») explicatur ex eo quod, cum moritur vivens, diversae partes, i. e. diversae substantiae « organicae » subtrahuntur influxui virtutis nutritivae, quae utebatur iis earumque viribus tamquam instrumentis, modificando earum activitatem. Cessante influxu vitali nutritivae cessat etiam modificatio et directio virium, quo ipso hae vires quasi sui iuris fiunt, quod est dispositio praevia et proxima ad reditum formarum respondentium diversis substantiis organicis.

409. Obi. 1. Elementa, quae in analysi chimica iterum apparent, in mixtione perfecta manent actu. Atqui elementa in analysi chimica iterum apparent. Ergo. *Resp. Dist. mai.* ; Elementa, quae iterum apparent, quia substantiali mutatione iterum producuntur, *nego* ; quia actu remanserant, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui in mixtione perfecta elementa manent actu. *Probo.* Elementa, quorum qualitates propriae manent, manent actu. Atqui in mixtione perfecta qualitates propriae elementorum manent. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quorum qualitates manent attemperatae, *nego* ; non attemperatae, *conc. Contradist. min.*

3. Atqui in corpore mixto qualitates propriae elementorum non sunt attemperatae. *Probo.* Qualitates combinatae non sunt qualitates attemperatae. Atqui in corpore mixto qualitates propriae elementorum sunt combinatae. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Qualitates combinatae ita, ut non sint intrinsecus modificatae, *conc.* : ita ut sint intrinsecus modificatae, *nego. Contradist. min.*

4. Atqui in corpore mixto qualitates propriae elementorum non sunt intrinsecus modificatae. *Probo.* Qualitates, quae extrinsecus tantum se cohibent, non sunt intrinsecus modificatae. Atqui in corpore mixto qualitates propriae elementorum extrinsecus tantum se cohibent. Ergo. *Resp. Dist. mai.* ; Invenirentur tamen in statu violento, *conc.* ; non invenirentur in statu violento, *nego. Contradist. min.* : Si ita habetur status violentus, *nego* ; si ita non haberetur status violentus, *conc.*

Bibliographia ad 405—408 : *M. Fatta,* Il problema dell'unità del composto chimico, RFNS 27 (1935) 283—289. *J. Gredt,* Gleichartigkeit und Ungleichartigkeit der Teile in der belebten und unbelebten Substanz und die Wiederkehr der Elemente in der chemischen Auflösung, JPhTh 19 (1905) 402—418. *Id.,* Homogénéité ou hétérogénéité du mixte?, RNSPh 14 (1907) 393—402. *J. Laminne,* La permanence des éléments dans le composé chimi-

que?, RNSPh 13 (1906) 324—330. *D. Nys*, Réponse aux difficultés proposées par M. Lamine, l. c. 331—337. *Id.*, La nature du composé chimique, RNSPh 5 (1898) 172—192; 388—404. *Id.*, Discussion sur certaines théories cosmologiques, II. Les formules de structure, RNSPh 12 (1905) 72—83. *Id.*, A propos du composé chimique, RNSPh 15 (1908) 231—249.

Ad 406 sq. *Aristoteles* doctrinam de mixtione exponit De gen. et corr. I 10. « Recapitulat, . . . dicens manifestum esse ex his, quae dicta sunt, et quod est mixtio, et quid est, et quare est : quia propter passionem et actionem contrariorum. Et dictum est etiam quae sunt miscibilia : quoniam passiva ad invicem et bene terminabilia ; et talia sunt bene divisibilia. Dictum est etiam, quod ad hoc quod sit mixtio, necessarium est quod miscibilia non sint simpliciter corrupta, nec sint simpliciter eadem ut prius : sunt enim corrupta quantum ad formas et remanent quantum ad virtutem, ut supra ostensum est [οὔτε διαμένουσιν οὖν <τὰ μιγνύμενα> ἐνεργείᾳ . . . οὔτε φθείρονται, . . . σῴζεται γὰρ ἡ δύναμις αὐτῶν : De gen. et corr. I 10, 327 b 29]. Adhuc etiam ostensum est, quod mixtio non est compositio minimorum secundum naturam, sicut dicebat una opinio, nec minimorum secundum sensum, ut dicebat alia : talia enim minima non sunt miscibilia. Sed illud est miscibile, quod cum sit bene determinabile, est activum et passivum ; et illud quod admiscetur cum tali miscibili, est miscibile ad homoiomerum, idest facit cum alio mixtum, quod est eiusdem rationis in toto et in partibus. Patet etiam quod mixtio est miscibilium alteratorum unio [ἡ δὲ μίξις τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων ἕνωσις : l. c. 328 b 22]. Quae quidem alteratio solum est intelligenda in virtutibus sive qualitatibus eorum ; sed si etiam alteratio sumatur improprie, mixtio est miscibilium alteratorum, idest corruptorum secundum formas, unio » (ex continuatione Com. *S. Thom.* in De gen. et corr. I lect. 25 n. 12 ; cf. lect. 24 ; S. Thom., In Met. I lect. 12 [cit. ad 259] ; S. th. I 76, 4 c. et ad 4 [cit. ad 259]).

Pars III

DE ANIMA SEU DE ENTE MOBILI MOTU AUGMENTATIONIS

Liber I

DE ANIMA IN COMMUNI

Caput I

DE ESSENTIA ANIMAE

§ 1. De notione vitae

410. Quid sit vita. Vitae nomine omnes intelligunt sui-motionem. Quae enim movent seipsa, vivere dicuntur, et dicuntur vivere formaliter propter sui-motionem. Nam quamprimum movent seipsa, dicuntur vivere, et tamdiu dicuntur vivere, quamdiu movent seipsa. Ergo ratio formalis vitae in sui-motione consistit.

Vita potest considerari in actu primo — substantia, cui competit se movere, et in actu secundo — actualis sui-motio seu operatio vitalis. Principalius tamen vivere dicitur de substantia : « Vitae nomen sumitur ex quodam exterius apparenti circa rem, quod est movere seipsum : non tamen est impositum hoc nomen ad hoc significandum, sed ad significandam substantiam, cui convenit secundum suam naturam movere seipsam, vel agere se quocumque modo ad operationem. Et secundum hoc vivere nihil aliud est quam esse in tali natura, et vita significat hoc ipsum, sed in abstracto : sicut hoc nomen cursus significat ipsum currere in abstracto. Unde vivum non est praedicatum accidentale, sed substantiale. Quandoque vero vita sumitur minus proprie pro operationibus vitae, a quibus nomen vitae assumitur » (S. th. I 18, 2 c.).

411. Quotuplex sit vita. Sui motio intelligi potest : *a)* stricte de actione praedicamentali, qua aliquid seipsum reducit de potentia ad

actum, seu de actione transeunte, manente tamen secundum terminum suum in supposito agente; *b)* de actione immanente, de actione cognoscitiva et appetitiva, quae cum sit secundum essentiam suam simplex qualitas, dicitur tamen actio eminenter et sui-motio eminenter, quia est ultimo agentis perfectio. Cum enim actio transiens ultimo sit perfectio passi — est enim causalitas seu via ad effectum, ad transmutationem passi —, actio immanens ultimo est propter perfectionem agentis (cf. n. 188, 2; 281, 1).

Ipsa actio immanens duplex est: *a)* creata, quae est qualitas emanans ex potentia cognoscitiva et appetitiva, quae proinde etiam ipsa fit cum transitu de potentia in actum, quamquam in hoc transitu non consistit; *b)* increata, quae est ipsa substantia divina et quemcumque transitum de potentia in actum a se excludit. Ex communi usu loquendi patet vitam non dici tantum de sui-motione, quae est actio praedicamentalis, sed etiam de actione immanente. Quare triplex est vita in actu secundo: 1. actio praedicamentalis, qua vivens seipsum reducit de potentia in actum; 2. actio immanens, quae fit cum transitu de potentia ad actum; 3. actio immanens, quae est sine hoc transitu.

Considerando vitam substantialem, distinguimus vitam physicam, quae communicatur cum corpore, et metaphysicam, cum corpore non communicatam. Vita physica triplex est: vegetativa, sensitiva, intellectiva. Vita metaphysica intellectiva tantum est. Principium substantiale vitae physicae est anima.

412. Vita est conceptus analogus. Nam vita in actu secundo dicit tum actionem praedicamentalem, tum actionem immanentem, quae est qualitas, tum ipsam substantiam (divinam), quae tria in nullo praedicamento conveniunt. Ex quo etiam deducitur neque vitam substantialem dici univoce. Attamen, si vita sumitur praecise pro gradu vitae vegetativae, praescindendo a gradu cognoscitivo, qui in genere corporeo praesupponit tamquam substratum vitam vegetativam, tunc sine dubio vita est conceptus univocus, qui determinatur differentiis sensitivi et non sensitivi (cf. n. 159 sq.).

413. In vivente creato necesse est distinguere partem moventem et motam. Omnis vita creata est sui-motio cum transitu de potentia ad actum. Iam vero nihil movet seipsum hoc modo seu reducit seipsum de potentia ad actum adaequate, i. e. se toto; ad hoc enim idem secundum idem deberet esse simul in actu et in potentia; nam quod se movet, et movet et movetur; quare inquantum movet, deberet esse in actu (nihil enim agit, nisi quod est actu), inquantum vero movetur, in potentia. Concludendum ergo est, vivens creatum movere seipsum nonnisi inadaequate, inquantum in eo sunt diversae

partes, quarum altera est movens, altera mota. Hae partes sunt aut diversa organa, aut diversae potentiae, quarum altera movet alteram (ita voluntas movet intellectum), aut in eadem potentia diversae potentialitates ad diversas operationes, quarum altera, reducta in actum, movet ad alteram (ita intellectus, in actu per principia, seipsum in actum reducit quoad conclusionem). Initium vero totius motionis vitalis est a movente extrinseco, quod movet seu determinat vivens, ut ipsum se moveat ; ita generans generando disponit et determinat vivens a se generatum ad se movendum ; influxus extrinsecus lucis, aëris, humiditatis movet plantam, ut seipsam moveat.

414. Ergo corpus vivens est corpus organicum, i. e. diversis instrumentis seu partibus praeditum ; et est corpus naturale, i. e. unum per se seu una substantia. Quo distinguitur a corpore organico artificiali, a machina, quae etiam ipsa diversis partibus est praedita, quae tamen non constituunt unum per se, sed aggregatum plurium substantiarum artificialiter ad invicem dispositarum. Quapropter machina non movet seipsam, quia scilicet pars movens et pars mota non sunt una substantia sed plures, quarum altera movet alteram. In vivente autem pars movens et pars mota unam constituunt substantiam, ita ut vivens vere moveat seipsum.

Corpora naturalia non-viventia non movent seipsa. Multipliciter quidem transeunt de potentia in actum, eo tamen nullo modo movent seipsa. Ex natura sua ad activitatem unam sunt determinata, ad quam non applicantur nisi ab extrinseco, ab alio. Ita acidum et metallum naturaliter ad unam activitatem chimicam sunt determinata, ad quam applicantur ab agente externo. Neque corpora non-viventia naturalia habent organa sui-motionis : non habent partes suis viribus et sua activitate praeditas, ut obtinet in corpore vivente. Non obstante microstructura sunt corpora anorganica ; in eis aequilibrium stabile virium impedit quamcumque sui-motionem. Partes atomi non sunt organa, seu partes quibus atomus moveret seipsam. Motus qui partibus atomi convenit, est ad unum determinatus et causatus ab extrinseco et variabilis nonnisi ab agente externo. Altior activitas atomi ex diversis partibus constitutae, qua unitatem suam substantialem manifestat, in eo tantum consistit, quod structuram et motum suum conaturalem in ortu suo acceptum firmiter retinet et, datis perturbationibus, restituit. Neque in hoc habetur sui-motio, quod alteratio, in una parte corporis ab extrinseco recepta, ab hac parte super corpus totum diffunditur, sicut e. g. calefacta una corporis parte, ista pars active calorem suum in alias partes vicinas diffundit ; pars enim calefaciens non movet nisi instrumentaliter seu ut mota ab extrinseco, quin habeat in seipsa principium huius motionis. Contra corpus vivens habet in seipso principium motus, quo movet seipsum atque mediante

aequilibrio suo mobili variat ab intrinseco motum suum eumque adaptat circumstantiis variis.

415. Qualis sit organisatio viventis. Organismus seu organisatio viventis est dispositio partium accidentaliter et substantialiter heterogenearum secundum determinatum situm et figuram ad opera vitae exercenda. Organisatio igitur duo complectitur : *a)* substantias partiales heterogeneas (cf. n. 408, 2) ; *b)* harum substantiarum dispositionem, qua formantur cellulae, ex cellulis inter se coniunctis constituuntur texturae et organa maiora, ut folia, cerebrum etc. Organi enim nomine intelligi debent omnes partes heterogeneae corporis viventis, incipiendo a partibus cellularum, usque ad partes maiores, quae ex cellulis conflantur. Omnia enim haec instrumenta sunt ad opera vitae peragenda.

Tanta tamen heterogeneitate partium non obstante organismus constituit unum per se, cuius proinde partes inter se non contiguae, sed continuae sunt, id quod etiam anatomice manifestatur ex pontibus protoplasmaticis, quibus cellulae omnes ad invicem conectuntur.

Bibliographia ad 410-415 : *L. v. Bertalanffy*, Theoretische Biologie I, Berlin 1932. *G. Dumas*, Nouveau Traité de Psychologie I-VI, Paris 1930—1938. *O. Endres*, Die Teleologie im Vitalgeschehen, DThFrib 30 (1952) 439-461. *J. Gredt*, Die Selbstbewegung des menschlichen Verstandes und Willens, DThFrib 5 (1927) 45-52. *G. H. Roger - L. Binet*, Traité de Physiologie I-XI, Paris 1928—1935. *D. H. Salman*, La Bio-philosophie récente, RSPhTh 33 (1949) 390-419.

A d 410 sqq. Secundum *Aristotelem* « corporum naturalium quaedam habent vitam et quaedam non habent. Illud autem dicitur habere vitam, quod per seipsum habet alimentum, augmentum et decrementum [Ζωὴν δὲ λέγομεν τὴν δι' αὑτοῦ τροφήν τε καὶ αὔξησιν καὶ φθίσιν : De an. II 1, 412 a 14]. Sciendum autem est, quod haec explanatio magis est per modum exempli quam per modum definitionis. Non enim ex hoc solo, quod aliquid habet augmentum et decrementum, vivit, sed etiam ex hoc, quod sentit et intelligit, et alia opera vitae exercere potest. Unde in substantiis separatis est vita ex hoc, quod habent intellectum et voluntatem, ut patet in undecimo Metaphysicae, licet non sit in eis augmentum et alimentum. Sed quia in istis generabilibus et corruptibilibus anima, quae est in plantis, ad quam pertinent alimentum et augmentum, ut in fine primi dictum est, principium est vitae, ideo hic quasi exemplariter exposuit "habens vitam", id quod habet alimentum et augmentum. Propria autem ratio vitae est ex hoc, quod aliquid est natum movere seipsum, large accipiendo motum, prout etiam intellectualis operatio motus quidam dicitur. Ea enim sine vita esse dicimus, quae ab exteriori tantum principio moveri possunt » (*S. Thom.*, In De an. II lect. 1 n. 219 [ed. Pirotta, Taurini] ; cf. lect. 5 [cit. ad 437] ; S. th. I 18, 1—3 ; C. g. I 97 ; IV 11 ; Ver. 4, 8 ; In Io. 17, 3 lect. 1 n. 3). « Nec est possibile quod aliquid moveat seipsum, nisi dividatur in duas partes, quarum una sit movens et alia sit mota : quod in solis animatis contingit, ut probatur in VIII Phys. » (S. th. III 32, 4 ; cf. Arist., Phys. VIII 4, 255 a 14 ; 5, 257 a 33 b 2 ; S. Thom. l. c. lect. 7 n. 8 ;

lect. 10 n. 1 sqq. ; In Met. VII lect. 8 n. 1442 ε ; Ver. 22, 3 ; I Dist. 8, 2 a. 1 ad 3 ; Q. d. an. a. 9 ad 6 ; S. th. I 76, 4 arg. 2 et ad 2).

§ 2. De definitionibus animae

416. Duplex Aristotelis definitio animae. Secundum Aristotelem duplex de anima definitio tradi solet, altera : « Anima est actus primus corporis physici organici », altera : « Anima est id quo vivimus, sentimus, loco movemur et intelligimus primo. » Utraque definitio essentialis est, sed prior est per subiectum proprium, altera per effectum formalem primarium. Anima enim formà est, forma autem definitur per ordinem ad subiectum. Quare duplici modo potest eius explicari essentia metaphysica : *a)* indicando subiectum proprium, *b)* indicando, quid primo faciat in subiecto suo formaliter, i. e. per modum causae formalis.

417. Explicatur prima definitio. Hac definitione definitur anima generice sumpta secundum gradum vegetativum, qui communis est omni animae, abstrahendo a gradibus superioribus, quibus ulterius determinari potest, et definitur per subiectum suum proprium, quod est corpus organicum.

Anima dicitur « actus primus corporis physici organici », i. e. forma substantialis corporis naturalis organisati [1]. Anima enim est forma corporis viventis seu corporis, quod est capax movendi seipsum. Hoc autem est corpus organis seu partibus dissimilaribus praeditum. Quamvis enim anima det corpori ipsum esse corpus, cum non possint plures formae et actus substantiales esse in eodem subiecto, rectius tamen dicitur informare corpus quam materiam primam ; anima enim, ut anima est seu ut est principium vitale, non informat materiam primam, nisi supponendo hanc constitutam in esse corporis, et corporis organici. Nam determinatio substantialis viventis seu gradus viventis praeberi nequit nisi subiecto in esse corporis constituto et organis praedito.

Nota ad difficultates solvendas : *a)* Inter animam et corpus (intelligendo nomine corporis non materiam primam tantum, sed ma-

[1] « Organicum » igitur hic sumitur pro « organisato ». Nota differentiam inter substantiam viventem, quae movet seipsam, et substantiam organisatam, organis, i. e. instrumentis seu partibus dissimilaribus praeditam, et substantiam organicam, complexiorem combinationem carbonici, quae naturaliter non oritur nisi in vivente, arte tamen etiam in laboratorio chimico effici potest. Quia hae combinationes « organicae » secundum easdem omnino leges fiunt, secundum quas fiunt anorganicae, ideo recentes passim asserunt nullum esse discrimen inter chimicam anorganicam et organicam. At hoc non est omnino verum ; nam ad substantias organicas extra organismum viventem conficiendas ars requiritur seu multitudo conditionum complexarum, quae conditiones naturaliter extra organismum nunquam inveniuntur

teriam actuatam secundum gradum corporeitatis) est distinctio realis inadaequata tamquam inter totum (corpus) conflatum ex duabus partibus realiter inter se distinctis (materia et forma seu anima) et alteram ex his partibus seorsim sumptam. Potest etiam dici esse distinctionem realem adaequatam potentialem, quia anima est a corpore separabilis, ita tamen ut hac separatione materia prima amittat etiam illum corporeitatis gradum, quem per animam habet, et alium acquirat.

b) Anima componit cum materia prima compositione physica, cum corpore autem, i. e. cum materia formata forma corporeitatis, anima componit compositione metaphysica tantum, sicut gradus corporeitatis componit cum gradu vitae.

418. Explicatur altera definitio. Anima definitur « id quo vivimus, sentimus, loco movemur et intelligimus primo ». Dicitur anima « id quo primo vivimus », ut declaretur animam esse formam substantialem. Terminis « vivimus, sentimus, loco movemur et intelligimus » enumerantur ea, quae anima ut forma substantialis causat in subiecto suo, in vivente seu habente animam. In qua enumeratione « et » sumendum est distributive, non copulative, et « vivimus » intelligendum est de vita vegetativa, ita ut subiectum seu suppositum habens animam intelligendum sit non de homine : id quo nos homines vivimus etc., sed de corpore vivente in genere : id quo nos corpora viventia vegetamur sive sentimus etc.

Bibliographia ad 416-418 : *M. de Corte*, La définition aristotélicienne de l'âme, RTh 45 (1939) 460–508. *C. Piat*, L'âme et ses facultés d'après Aristote, RNSPh 9 (1902) 153–172. *E. Rolfes*, Die substantiale Form und der Begriff der Seele bei Aristoteles, JPhTh Ergänzungsband III, 1–144.

Ad 416. *Aristoteles :* Ἡ ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος. τοιοῦτο δέ, ὃ ἂν ᾖ ὀργανικόν . . . ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ (De an. II 1, 412 a 27 b 5. Exponitur a *S. Thoma*, In De an. II lect. 1–4 [cf. ad 530]). Ἡ ψυχὴ δὲ τοῦτο ᾧ ζῶμεν καὶ αἰσθανόμεθα καὶ διανοούμεθα πρώτως (l. c. II 2, 414 a 12). Cf. 413 b 12 : ὥρισται, θρεπτικῷ, αἰσθητικῷ, διανοητικῷ, κινήσει. Cf. *S. Thom.* l. c. lect. 4 (cit. ad 525).

§ 3. De divisione animae et de modis vivendi

Thesis 24 : *Tres sunt animae : vegetativa, sensitiva, intellectiva ; quinque genera potentiarum : vegetativum, sensitivum, intellectivum, appetitivum, locomotivum ; quattuor modi vivendi : vegetativus, sensitivus, locomotivus, intellectivus.*

419. St. qu. 1. Statuimus tres animas secundum triplicem vitam : vegetativam, sensitivam, intellectivam, quam essentialiter

secundum ipsam formalem rationem vitae seu sui-motionis distinguimus; quattuor autem modos vivendi seu quattuor gradus vitae distinguimus secundum potentias speciales, quae his tribus animis conveniunt.

2. Locomotivum in thesi non intelligimus id, quod loco se movet motu constrictionis et dilatationis tantum, sed id, quod se movet motu progressivo, sive ambulando sive volando sive natando, ad attingendum aliquid, quod est omnino distans.

420. Prob. th. I p.: Tres sunt animae: vegetativa, sensitiva, intellectiva. Ex diversis modis movendi seipsum: Tot sunt animae, quot sunt species vitae essentialiter inter se distinctae secundum ipsam formalem rationem vitae seu sui-motionis. Atqui tres sunt species vitae: vegetativa, sensitiva, intellectiva. Ergo tres sunt animae.

Mai. patet ex conceptu animae; anima enim est principium vitae. Ergo tot sunt animae quot species vitae.

Prob. min. Tot sunt species vitae, quot sunt modi movendi seipsum. Atqui tres sunt modi movendi seipsum. In motu enim tria distinguimus: 1. ipsam motus exsecutionem, 2. formam, quae est principium motus, 3. finem, ad quem tendit. Iam vero quaedam viventia movent seipsa solummodo quoad exsecutionem, alia vero quoad exsecutionem et formam, alia tandem quoad exsecutionem, formam et finem.

Plantae enim, quae vegetativa tantum fruuntur vita, movent seipsas solummodo quoad exsecutionem motus, qui fit secundum formam inditam a natura (secundum formam substantialem et secundum formas accidentales, quae substantialem sequuntur) et ad finem a natura praefixum; animalia vero, quoniam non solum vita vegetativa, sed etiam sensitiva praedita sunt, movent seipsa ad formam (i. e. ad sensilem rei perceptionem), sibi dando formam propria operatione, quam sequitur motus, quo se ad rem perceptam movent, appetendo eam; attamen quoniam agunt naturali instinctu, potius moventur, quod finem attinet, a natura, quam se moveant, cum sibi non determinent finem, sed eis sit a natura determinatus. Denique in viventibus vita intellectiva perfectissimus gradus movendi se obtinet, quippe quae moveant se tum quoad exsecutionem, tum quoad formam, quam intelligendo acquirunt, tum quoad finem, quem sibi ipsa libere determinant (cf. S. th. I 18, 3 c.).

Tres esse modos movendi seipsum et propterea tres esse species vitae et tres animas, ostenditur etiam ex triplici modo essentialiter diverso, quo operatio vitalis supergreditur operationem naturae corporalis seu non-vitalem: est enim quaedam operatio vitalis, quae intantum excedit naturam corpoream, ut neque exerceatur per organum corporale; et talis est operatio animae rationalis. Infra istam invenitur alia operatio vitalis, quae, quamvis fiat per organum cor

porale, non tamen exercetur per aliquam corpoream qualitatem ; et talis est operatio vitae sensitivae, quae potentiis exercetur, quibus convenit aliqua immaterialitas. Tertia denique habetur operatio vitalis, quae fit per organum corporeum et virtute corporeae qualitatis ; et haec est operatio vegetativa, quae eo tantum excedit operationem naturae corporeae, quod fit sub directione principii altioris, propter bonum et perfectionem ipsius viventis (cf. S. th. I 78, 1 c. ; Ver. 10, 1 ad 2).

Prob II p. : Quinque sunt genera potentiarum : vegetativum, sensitivum, intellectivum, appetitivum, locomotivum. Ex diversitate obiectorum : «Genera potentiarum animae distinguuntur secundum obiecta : quanto enim potentia est altior, tanto respicit universalius obiectum. Obiectum autem operationis animae in triplici ordine potest considerari. Alicuius enim potentiae animae obiectum est solum corpus animae unitum ; et hoc genus potentiarum animae dicitur vegetativum. Non enim vegetativa potentia agit nisi in corpus cui anima unitur. Est autem aliud genus potentiarum animae quod respicit adhuc universalius obiectum, scilicet omne corpus sensibile, et non solum corpus animae unitum. Est autem aliud genus potentiarum animae quod respicit adhuc universalius obiectum, scilicet non solum corpus sensibile, sed etiam universaliter omne ens. Ex quo patet, quod ista duo secunda genera potentiarum animae habent operationem non solum respectu rei coniunctae, sed etiam respectu rei extrinsecae. Cum autem operans oporteat aliquo modo coniungi suo obiecto circa quod operatur, necesse est extrinsecam rem quae est obiectum operationis animae, secundum duplicem rationem ad animam comparari : uno modo secundum quod nata est animae coniungi et in anima esse per suam similitudinem. Et quantum ad hoc sunt duo genera potentiarum : scilicet sensitivum respectu obiecti minus communis quod est corpus sensibile, et intellectivum respectu obiecti communissimi, quod est ens universale. Alio vero modo secundum quod ipsa anima inclinatur et tendit in rem exteriorem, et secundum hanc etiam comparationem sunt duo genera potentiarum animae : unum quidem scilicet appetitivum, secundum quod anima comparatur ad rem extrinsecam, ut ad finem qui est primum in intentione ; aliud autem motivum secundum locum, prout anima comparatur ad rem exteriorem, sicut ad terminum operationis et motus. Ad consequendum enim aliquod desideratum et intentum omne animal movetur» (S. th. 78, 1 c.).

Prob. III p. : Quattuor sunt modi vivendi : vegetativus, sensitivus, locomotivus, intellectivus. Ex experientia : Tot sunt modi vivendi, quot sunt differentiae secundum potentias animae. Atqui quattuor sunt differentiae secundum potentias animae : vegetativum, sensitivum, locomotivum, intellectivum. Ergo quattuor sunt modi vivendi.

Ad min. ostenditur ex experientia. Distinguimus potentias animae vegetativae, sensitivae, intellectivae. Secundum potentias animae vegetativae et intellectivae nulla apparet ulterior differentia, cum omni viventi vegetativo et intellectivo omnes potentiae conveniant, quae secundum animam vegetativam et intellectivam convenire possunt. At non omni viventi sensitivo conveniunt omnes potentiae, quae secundum animam sensitivam possunt convenire. Quaedam enim carent sensibus, quibus res distantes percipi possunt, quae proinde neque loco se movent motu progressivo, sed eodem loco affixa haerent, ut ostrea ; alia vero distantia cognoscunt et loco se movent. Quare secundum potentias animae sensitivae duplicem distinguimus differentiam : sensitivum imperfectum, quod in thesi dicimus sensitivum simpliciter, et sensitivum perfectum, quod locomotivum dicimus. Appetitivum autem non constituit aliquem specialem modum vivendi, quia in quibuscumque est cognitio, est etiam appetitus (cf. S. th. I 78, 1 c.).

421. Schol. 1. Divisio animae in vegetativam, sensitivam, intellectivam est univoca, quatenus anima in communi dicit gradum vegetativum tantum, abstrahendo a gradibus superioribus, quos neque includit neque excludit, et ita tamquam genus (incompletum [1]) dividitur in tres species (incompletas) : in animam mere vegetativam, qua constituitur planta ; et mere sensitivam, qua constituitur brutum ; et intellectivam, qua constituitur homo. Harum autem animarum habitudo inter se ea est, ut superior formaliter eminenter contineat inferiorem.

2. In thesi distinximus quinque genera potentiarum animae secundum obiecta. Alia autem potentiarum animae divisio institui potest ex parte subiecti vel modi agendi, in vegetativum scilicet, et sensitivum et intellectivum (cf. prob. I p.). In prima divisione, quae attenditur secundum obiecta, appetitus sensitivus et voluntas ad idem genus pertinent, quia utriusque obiectum est bonum. In altera autem divisione, quae ratione subiecti seu modi agendi peragitur, ad diversa genera reducuntur ; appetitus enim inferior reducitur ad genus sensitivi, appetitus vero superior ad genus intellectivi (cf. Ver. 10, 1 ad 2).

3. Secundum Aristotelem omnino generaliter distinximus sensitivum imperfectum et perfectum seu locomotivum. Sed possent in vita sensitiva ulteriores gradus distingui, quatenus alicui animali omnes omnino sensus conveniunt, aut omnes conveniunt praeter unum (sicut piscibus omnes sensus conveniunt praeter auditum), etc.

A d 420. *Aristoteles* tres animas distinguit secundum tria genera viventium : φυτά (ψυχὴ θρεπτική), ζῷα (ψ. αἰσθητική), ἄνθρωπος (ψ. νοητική) : De an. II 2

[1] Forma enim non est eius completum

(cf. S. Thom. lect. 3 et 4). Quattuor modos vivendi in altera animae definitione innuit (cf. ad 416) : « Intendens ostendere quod anima est principium vivendi in omnibus viventibus, distinxit ipsum vivere secundum gradus viventium et non secundum operationes vitae, secundum quas distinguuntur haec genera potentiarum [δυνάμεις δ' εἴπομεν θρεπτικόν, ὀρεκτικόν, αἰσθητικόν, κινητικόν κατὰ τόπον, διανοητικόν : De an. II 3, 414 a 31]. Appetitivum autem non constituit aliquem diversum gradum in viventibus, quia omnia quae habent sensum, habent appetitum ; et sic remanent tantum quattuor gradus viventium. Manifestat, quod per potentiasi dem intelligit, quod supra per partes [animae]. Quarum quidem sunt quinque genera ; scil. vegetativum, sensitivum, appetitivum, motivum secundum locum, intellectivum » (*S. Thom.*, In De an. II 3 lect. 5 n. 287 279 ; cf. In De sensu et sens. lect. 1 n. 3 [ed. Pirotta, Taurini] ; S. th. I 78, 1 ; 18, 3 ; Ver. 10, 1 ad 2).

Caput II

DE PROPRIETATIBUS ANIMAE

§ 1. De divisibilitate animae

Thesis 25 : *Anima animalium perfectorum est inextensa et indivisibilis, anima vero plantarum et animalium imperfectorum est extensa et divisibilis.*

422. St. qu. 1. Quidquid extenditur, extenditur, quia intrinsecus afficitur quantitate. Potest autem aliquid extendi per se vel per accidens. Per se extenditur, quod ratione sui quantitate afficitur eaque extenditur ; contra, extenditur per accidens. Hac distinctione data, dicimus formam substantialem nullam per se extendi, quia nulla forma substantialis afficitur quantitate ratione sui, sed ratione compositi ex materia et forma. Hoc igitur compositum per se et immediate extenditur, et quidem prout est corpus seu secundum gradum corporeitatis. Quantitas enim propria est corporis, ut corpus est, seu sequitur gradum genericum corporeitatis ; et est primum accidens corporis, utpote conditio sine qua non ad individuationem substantiae corporeae (cf. n. 386-389). Partes vero corporis, materia et forma, non possunt esse extensae nisi mediate et per accidens, in toto scilicet et ratione totius, si extenso modo in corpore insunt, i. e. in partes extra partes diffluunt. Certo materia semper ita est extensa per accidens ; nam materia est ipsa ratio extensionis ultima, seu imperfectionis corporeae, propter quam corpus diffluit in partes extra partes. Et experientia manifeste ostendit materiam tamquam extensam, quia apparet tamquam semper divisibilis, etiam tunc si forma non est divisibilis et divisione perit. De formis autem substantialibus, seu de animis, determinat thesis nostra quasdam esse inextensas et indivisibiles, quasdam vero extensas et divisibiles. Quae

animae, ut ex dictis patet, dicuntur extensae per accidens tantum, inquantum informant corpus extenso modo. Cum quantitas sit primum accidens corporis, omnis alia determinatio accidentalis immediate ordinem extensionis ingreditur atque hac ratione per accidens, ratione subiecti extensi, etiam ipsa extenditur. Accidens autem, quod est ipsa compositio et ordo partium integralium (figura) per se extenditur.

2. Circa animarum extensionem et divisibilitatem quadruplex est sententia. Prima extrema, pro qua citantur Cleanthes et Chrysippus, est omnem animam, humana non excepta, esse divisibilem. Altera sententia extrema est omnem animam esse indivisibilem. Hanc tenent Plato et S. Augustinus et aliqui recentes scholastici. Tertia sententia est omnem animam, praeter humanam, divisibilem esse ; ita Scotus, Durandus, Suárez multique alii. Quarta sententia, thesi nostra expressa, est S. Thomae et Thomistarum. Eam etiam docuit Suárez (De anima l. 1, c. 13, n. 9 sqq.), qui postea tamen in tertiam sententiam declinavit.

3. Animae humanae indivisibilitatem specialiter probare hic non intendimus. Hoc alibi efficiemus, agendo de eius spiritualitate, ex qua apodictice sequitur eam esse simplicem et indivisibilem.

423. Prob. th. Ex diverso modo informandi : Anima, quae inextenso modo informat corpus, est inextensa et indivisibilis, quae vero extenso modo informat, est extensa et divisibilis. Atqui anima animalium perfectorum inextenso et indivisibili modo, anima vero plantarum et animalium imperfectorum extenso et divisibili modo informat corpus. Ergo anima animalium perfectorum est inextensa et indivisibilis, anima vero plantarum et animalium imperfectorum est extensa et divisibilis.

Prob. min. Inextenso et indivisibili modo informat anima, quae respicit totam organisationem corporis, quod informat, per modum unius indivisibilis dispositionis ad informandum seu quae respicit totam organisationem tamquam necessariam sibi ad informandum ; contra, extenso et divisibili modo informat anima, quae non respicit totam organisationem tamquam necessariam sibi ad informandum. Atqui anima animalium perfectorum respicit totam organisationem corporis, quod informat, per modum unius indivisibilis dispositionis ad informandum ; anima vero plantarum et animalium imperfectorum non ita respicit. Si enim corpora plantarum et animalium imperfectorum in partes dividuntur, hae partes vivunt, et eadem vita vivunt ; partes vero animalium perfectorum non vivunt, quod est signum animam animalium perfectorum respicere totam organisationem indivisibiliter seu tamquam necessariam sibi, animas vero plantarum et animalium imperfectorum respicere divisibiliter. Possunt quidem etiam a corpore hominis et animalium perfectorum resecari quaedam partes, quin sequatur mors. Sed hae partes amittunt vitam ; et si in

texturis exsectis vita artificialiter conservari potest, haec vita est imperfecta, omnino alia quam vita viventis, unde texturae desumptae sunt (cf. schol. 3).

424. Coroll. Ergo anima animalium perfectorum est tota in toto corpore et tota in qualibet parte, non quidem totalitate quantitativa, qua caret, et secundum quam nihil est totum in toto et totum in qualibet parte, neque totalitate virtutis et informationis — nam diversas partes diversimode informat et diversis partibus diversas tribuit virtutes —, sed totalitate entitatis et essentiae. Immo secundum hanc ultimam totalitatem omnis forma, sive substantialis sive accidentalis (excepta forma, quae est compositio et ordo partium integralium), est tota in toto et tota in singulis partibus. Simpliciter tamen forma non dicitur esse tota in toto et tota in singulis partibus, nisi careat totalitate quantitativa, sicut anima animalium perfectorum. Virtutes seu potentiae animae, praeter intellectum et voluntatem, totalitatem quantitativam habent; nam hae potentiae sunt organicae et inhaerent corpori extenso. Sola anima humana praeter potentias organicas habet etiam potentias anorganicas, intellectum et voluntatem, quae in sola anima insunt, ac proinde inextensae sunt et independentes a corpore seu spirituales.

425. Schol. 1. Forma divisibilis est una actu, multiplex potentia; quare ipsa divisione multiplicatur.

2. Cum etiam plantarum animaliumque imperfectorum partes non quomodocumque desectae vivant — plurimarum enim plantarum folium a ramo abscissum non vivit, neque partes vermis secundum longitudinem a summo usque deorsum dissecti vivunt —, dicendum est etiam animam imperfectam ad informandum necessario expostulare aliquam organisationem seu heterogeneam dispositionem, quam proinde inextenso etiam et indivisibili modo respicit. Omnis igitur anima aliquo modo informat inextense et indivisibiliter; immo etiam forma mineralis ratione microstructurae moleculae vel atomi.

In statu embryonali apparent divisibilia etiam animalia perfectiora. In hoc statu primae evolutionis salvatur etiam in partibus dispositio requisita ad informationem animae. Quod mirum esse non potest, cum initio salvetur in unica cellula fecundata, unde incipit evolutio. Quo perfectius tamen animal est, eo minus permittit divisionem, etiam in statu embryonali. Gemini, qui dicuntur «identici», ex uno ovulo orti, explicantur ex duplici fecundatione ovuli in se disrupti.

3. Sicut anima, quae est forma materialis, in suo esse a materia dependet, ita a materia dependet etiam quoad divisibilitatem et indivisibilitatem. Ipsius igitur extensio vel inextensio est prorsus relativa: talis forma est et dicitur extensa vel inextensa unice quatenus materiam informat modo extenso vel inextenso. Sola ani-

ma humana, quae est forma spiritualis, ratione sui seu absolute est inextensa, sicut etiam suum esse habet a materia independens.

4. De vita, quae per diuturnum tempus manifestatur in texturis animalium perfectorum exsectis et a quocumque alio organismo separatis: Hae texturae, si convenienter magna cum cura tractantur, nutriuntur et crescunt, i. e. novas cellulas formant, et hoc per diuturnum tempus. Cum hae texturae vere manifestent vitam, imperfectam quidem et omnino aliam, quam est vita animalis, unde desumptae sunt, dicendum est in eis inesse animam aliquam mere vegetativam imperfectam. Sicut ortus vitae perfectae fit mediantibus animis imperfectis, transitoriis, quae informant cellulas germinales ab organismo generantium separatas (cf. n. 452, 3), ita etiam interitus. In morte animalis perfecti non statim exstinguitur omnis vita, sed intereunte anima perfecta oriuntur, propter dispositiones relictas, principia vitalia imperfecta, quibus etiam explicanda videtur crescentia capillorum et unguium in cadaveribus. Haec vita imperfecta artificialiter, adhibita cura, conservari potest per diuturnius tempus.

426. Obi. *a)* Nulla anima est extensa et divisibilis. 1. Nulla forma substantialis est extensa. Atqui omnis anima est forma substantialis. Ergo. *Resp. Dist. mai.*: Extensa per se, *conc.*; per accidens, *nego. Conc. min.*; *dist. consq.*

2. Atqui anima neque est extensa per accidens. *Probo.* Per accidens extensa est anima, quae informat extenso et divisibili modo. Atqui anima non informat extenso et divisibili modo. Ergo. *Resp. Conc. mai.*; *dist. min.*: Anima animalium perfectorum, *conc.*; anima plantarum et animalium imperfectorum, *nego. Dist. consq.*

3. Atqui neque anima plantarum et animalium imperfectorum informat extenso et divisibili modo. *Probo.* Eorum anima non informat extenso et divisibili modo, quorum partes, in quas dissecantur, non vivunt. Atqui non tantum animalium perfectorum, sed etiam plantarum et animalium imperfectorum partes, in quas dissecantur, non vivunt. Ergo. *Resp. Dist. mai.*: Quorum nullae partes vivunt, *conc.*; quorum non vivunt partes, in quibus non salvatur organisatio requisita ab anima ad informandum, *nego. Contradist. min.* Nullae partes vivunt, *nego*; non vivunt partes, in quibus non salvatur organisatio requisita ab anima ad informandum, *conc.*

b) Omnis anima est extensa et divisibilis. 1. Anima, quae praebet gradum corporeitatis, est extensa et divisibilis. Atqui omnis anima praebet gradum corporeitatis. Ergo. *Resp. Dist. mai.*: Informando modo extenso et divisibili, *conc.*; non informando extenso et divisibili modo, *nego. Contradist. min.*: Semper informando extenso et divisibili modo, *nego*; non semper informando extenso et divisibili modo, *conc.*

2. Atqui omnis anima informat extenso et divisibili modo. *Probo.* Quod formaliter constituit extensum, informat extenso et divisibili modo. Atqui omnis anima formaliter constituit extensum. Ergo. *Resp. Dist. mai.*: Tamquam principium proximum et accidentale, *conc.*; tamquam principium remotum et substantiale extensi, *subdist.*: Aliquando informat extenso modo, *conc.*; semper, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui etiam omne principium formale remotum et substantiale extensi, i. e. omnis anima informat extenso et divisibili modo. *Probo.* Omnis anima, quae non est tota in toto corpore et tota in singulis partibus, informat extenso et divisibili modo. Atqui nulla anima est tota in toto corpore et tota in singulis

partibus. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quae non est tota in toto corpore et tota in singulis partibus totalitate virtutis et informationis, *nego;* totalitate entitatis et essentiae, *conc. Contradist. min.*

Bibliographia ad 422—425: *P. Borne,* De ente materiali et spirituali sub respectu extensionis et inextensionis, DThPlac 42 (1939) 240—253; 349—369; 461—494. *D. Nys,* La divisibilité des formes essentielles, RNSPh 9 (1902) 41—52. *Id.,* Discussion sur certaines théories cosmologiques, I. La divisibilité des formes essentielles, RNSPh 12 (1905) 60—72.

Ad 423. *Aristoteles* dicit, «quod [in plantis] quaedam partes divisae ab eis, et separatae ab aliis partibus, videntur vivere. Et hoc manifestatur per hoc, quod ramusculi abscissi inseruntur vel plantantur et coalescunt; quod non esset, nisi remaneret in eis vita et per consequens anima, quae est principium vivendi: quod contingit tamquam in unaquaque planta, anima sit una in actu et multiplex in potentia [ἐπὶ τῶν φυτῶν ἔνια διαιρούμενα φαίνεται ζῶντα... ὡς οὔσης τῆς ἐν τούτοις ψυχῆς ἐντελεχείᾳ μὲν μιᾶς ἐν ἑκάστῳ φυτῷ, δυνάμει δὲ πλειόνων, οὕτως ὁρῶμεν καὶ... ἐπὶ τῶν ἐντόμων ἐν τοῖς διατεμνομένοις· καὶ γὰρ αἴσθησιν ἑκάτερον τῶν μερῶν ἔχει: De an. II 2, 413 b 16]. Sicut enim accidere videtur in formis corporum naturalium inanimatorum, ita in eis quae propter sui imperfectionem non requirunt diversitatem in partibus, quod in aliquo uno toto anima est in actu una et plures in potentia, sicut et ipsum corpus est unum in actu et plura in potentia. Potest enim dividi unumquodque eorum in diversas partes similes specie, sicut patet in aëre, aqua et in corporibus mineralibus. Unde oportet, quod si partes sunt similes specie ad invicem et toti, quod forma specifica post divisionem sit in utraque partium. Et eadem ratione, quia anima plantae imperfecta est in ordine animarum, non requirit magnam diversitatem in partibus, unde anima totius potest salvari in aliqua partium. Et sic etiam videmus in aliis differentiis animae, sicut in entomis decisis, i. e. in animalibus, quae decisa vivunt, quia utraque partium habet sensum. Quod patet ex hoc, quod retrahit se, si pungitur. Et etiam habet motum secundum locum, ut ad sensum apparet. Sic ergo in una et eadem parte apparet et sensitivum et motivum principium. Et si est ibi sensus, necesse est quod sit ibi phantasia. Phantasia autem nihil aliud est quam motus factus a sensu secundum actum, ut infra dicetur. Et similiter si habeat sensum pars decisa, necesse est quod habeat appetitum» (*S. Thom.,* In De an. II lect. 4 n. 264 sq.). «Animalia anulosa decisa vivunt, non solum quia anima est in qualibet parte corporis, sed quia anima eorum, cum sit imperfecta, et paucarum actionum, requirit paucam diversitatem in partibus, quae etiam invenitur in parte decisa a vivente; unde, cum retineat dispositionem, per quam totum corpus est perfectibile ab anima, remanet in ea anima. Secus autem est in animalibus perfectis» (Q. d. an. a. 10 ad 15; cf. C. g. II 58: Item. Si—Secundo).

§ 2. De potentiis animae in genere

Thesis 26: *Potentiae animae ab ipsa anima distinguuntur realiter.*

427. St. qu. 1. Postquam in thesi praec. determinavimus habitudinem animae ad quantitatem seu extensionem, nunc iam transimus ad considerationem qualitatum ipsius, quae sunt potentiae operativae.

2. Distinguimus id, quod agit, seu suppositum, et id, quo agit. Id, quo agit suppositum, duplex est: *a)* id, quo actu agit: actio, *b)* id, quo constituitur potens agere, seu principium agendi. Principium agendi iterum duplex est: *a)* principium remotum, quod est forma substantialis seu anima; forma enim substantialis est id, quo agens est, ergo est etiam id, quo agit; *b)* principium proximum, quod est potentia agendi. Potentiarum animae quinque genera enumeravimus (n. 419-421).

3. Supponimus id, quo anima actu agit, seu actionem esse distinctam realiter ab ipsa anima. Evidenti enim testimonio sensuum et intellectus constat diversas actiones ad quinque genera potentiarum spectantes: locomoveri, appetere, intelligere, sentire, vegetari, non permanenter inesse, sed mutari et transire, substantia iugiter eadem permanente. Ex quo apparet has actiones omnes accidentia esse, a substantia ac proinde ab anima realiter distincta. Hoc supposito, quaerimus de potentiis animae, num ab ipsa anima distinguantur.

4. Occam aliique Nominalistae negant potentias animae ab anima realiter distingui; ita etiam Herbart (1776-1841) et multi recentes. Scotus et Scotistae eas distinguunt formaliter ex natura rei. Fere communis tamen scholasticorum sententia est potentias ab anima distingui realiter.

428. Prob. th. *Arg. I.* Ex eo quod actus et potentia sunt in eodem genere: Potentia ordinata essentialiter ad actum secundum operationis accidentalem tamquam ad actum suum proprium est accidens ac proinde a substantia sive ab anima distincta realiter. Atqui potentia animae est potentia ordinata essentialiter ad actum secundum operationis accidentalem tamquam ad actum suum proprium. Ergo potentia animae ab ipsa anima distinguitur realiter.

Min. ex eo patet, quod tota entitas potentiae est ordo transcendentalis ad actum suum.

Ad mai. Potentia, tota natura sua seu transcendentaliter ordinata ad actum suum proprium, ab eo completur et specificatur ac proinde accurate respondet huic actui; est enim idipsum potentialiter, quod actus est actualiter.

Ad vim argumenti penetrandam et difficultates praeoccupandas notetur substantiam praedicamentalem essentialiter ordinari ad accidens proprium suscipiendum tamquam ad complementum, at non tamquam ad actum suum proprium, a quo etiam specificaretur (actus proprius materiae est forma, et actus proprius essentiae substantialis est esse, quod est ultima actuatio; accidens vero superadditur substantiae tamquam novum ens vel potius entis ens); contra actionem ordinari ad obiectum suum formale tamquam ad specificativum, at non tamquam ad actum suum proprium, quem in se reciperet, et a quo completur. Ideo non valet argumentum;

Obiectum est substantia, ergo actio est substantia. At actio, tamquam actus proprius potentiae, est eius essentiale specificativum et complementum intrinsecum (actio enim, non tantum immanens, sed etiam transiens, si sumitur pro ipso exercitio causalitatis, est in agente) ; ideo valet illatio : Actio est accidens, ergo potentia est accidens.

Arg. II. Ex ortu potentiarum (pro potentiis organicis) : Potentiae, quae sequuntur tempore generationem viventis, ab anima distinguuntur realiter. Atqui potentiae organicae, saltem ex parte, sequuntur tempore generationem viventis. Ergo ab anima distinguuntur realiter.

Mai. ex eo patet, quod anima adest in ipsa generatione viventis tamquam forma ipsius substantialis.

Ad min. Potentiae organicae haberi non possunt absque organis. Plurimorum autem organorum formatio sequitur tempore generationem viventis ; ita e. g. in primo stadio evolutionis embryonalis adhuc desunt organa sensuum.

429. Coroll. Ergo anima non est immediate operativa, sed operatur mediantibus potentiis suis[1]. Potentiae proinde sunt instrumenta animae.

430. Schol. 1. Potentiae animae sunt duplicis generis : aliae sunt organicae, quae inhaerent composito ex anima et corpore : potentia locomotiva, potentiae vegetativae, sensitivae, i. e. sensus et appetitus sensitivus ; aliae sunt anorganicae seu spirituales, quae soli animae inhaerent : intellectus et voluntas. Quaedam potentiae organicae per totum corpus diffusae sunt : nutritiva et augmentativa ; aliae in specialibus tantum organis inveniuntur. Sicut potentia, ita organum est instrumentum (coniunctum) substantiae, quo operatur, at potentia est instrumentum « quo », organum instrumentum « quod ».

2. Potentiae agendi et generatim proprietates dicuntur « resultare » ex substantia, ex essentia substantiae, non quasi substantia, cum producitur, per veram actionem ea produceret efficienter (cum substantia non sit immediate operativa), sed quia substantia per formam suam est causa formalis proprietatum. Nam haec forma non tantum est id, quo substantia est, et quo est huius speciei, sed etiam id, quo accidentia sunt, et sunt talia accidentia, quae tamquam proprietates respondent substantiae. Quare substantia per formam suam causalitate formali expostulat, ut qui producit substantiam, etiam haec accidentia comproducat.

3. Quomodo potentiae agendi substantiae, cum accidentia sint, substantiam possint producere novam. Ut intelligas, quomodo

[1] Quod hic dicitur de anima, valet de omni substantia, cuius actio est accidens, i. e. de omni substantia creata ; sed haec consideratio generalis rei ad Metaphysicam spectat.

hoc fieri possit, nota virtutes agendi substantiae creatae esse quidem accidentia, sed agere «in virtute substantiae», esse quasi-instrumenta formae substantialis. Quare id, quod proxime producunt, non sunt nisi accidentia (dispositiones materiae), attamen, producendo haec accidentia, se extendunt ad producendam substantiam, quia sunt instrumenta formae substantialis. Adverte tamen potentias operandi non esse instrumenta proprie dicta; non enim ad effectum progignendum recipiunt a substantia aliquam virtutem superadditam per modum entis vialis — secus substantia iam esset immediate operativa —, sed ipsae seipsis sunt virtutes formae substantialis.

431. Obi. 1. Id, quo agit suppositum, est ipsa anima. Atqui potentia animae est id, quo agit suppositum. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Id, quo agit suppositum proxime seu principium quo proximum agendi, *nego;* principium quo remotum, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui anima est principium proximum agendi. *Probo.* Quod est causa suarum potentiarum, est principium proximum agendi. Atqui anima est causa suarum potentiarum (i. e. si haberet potentias a se distinctas, deberet esse earum causa). Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Causa formalis, *nego;* causa efficiens, *conc. Contradist. min.*

3. Atqui anima exerceret causalitatem efficientem in potentias suas. *Probo.* Quod utitur potentiis tamquam instrumentis, exercet causalitatem efficientem in eas. Atqui anima utitur potentiis tamquam instrumentis (i. e. si haberet potentias a se distinctas, uteretur eis tamquam instrumentis). Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod utitur potentiis tamquam instrumentis proprie dictis, *conc.;* tamquam quasi-instrumentis, *nego. Contradist. min.*

Bibliographia ad 427—430: *A. Rozwadowski,* Distinctio potentiarum a substantia, secundum doctrinam S. Thomae, Gr 16 (1935) 272—281.

Ad 428. *Aristoteles* realem potentiarum ab anima distinctionem eo innuit, quod illas in proprio genere praedicamenti qualitatis ponit. Cf. etiam Met. V 12, 1019 a 15 sqq.; VII 3, 1029 a 13; IX 5, 1047 b 31 sqq. Realem distinctionem Aristoteles etiam eo se tenere ostendit, quod unius eiusdemque animae (cf. ad 518) diversas statuit potentias, et quasdam quidem organicas, scil. sensitivas et vegetativas, quae sint actus organorum (cf. ad 479), alias vero, scil. intellectivas, anorganicas, separatas, quae nullius partis corporis sint actus (De an. II 1, 413 a 5—7; cf. ad 543). Et cum probat sensum esse potentiam organicam, ponit principium: οὔ γὰρ ἡ δύναμις, τούτου καὶ ἡ ἐνέργεια (De somno et vig. c. 1, 454 a 8). Cf. Eth. I 4, 1096 b 28; S. Thom. lect. 7 fin. *S. Thomas:* «Cum potentia et actus dividant ens et quodlibet genus entis, oportet quod ad idem genus referatur potentia et actus. Et ideo, si actus non est in genere substantiae, potentia quae dicitur ad illum actum, non potest esse in genere substantiae. Operatio autem animae non est in genere substantiae; sed in solo Deo, cuius operatio est eius substantia» (S. th. I 77, 1). «Cum potentia animae non sit eius essentia, oportet quod sit accidens; et est in secunda specie qualitatis» (l. c. ad 5; cf. I 54, 3; 59, 2; 79, 1; Spir. creat. a. 11; I Dist. 3, 4 a. 2; Qdl. X a. 5). «Deinde hoc [quod potentiae animae non sunt ipsa essentia animae] apparet ex ipsa diversitate actionum animae, quae sunt genere diversae, et non possunt reduci ad unum principium immediatum. Anima humana potest esse

subiectum potentiarum quarundam, scil. intellectus et voluntatis. Potentiae autem sensitivae et nutritivae sunt in composito sicut in subiecto; quia cuius est actus, eius est potentia, ut patet per Philosophum in lb. De somno et vig.» (Q. d. an. a. 12 c. et ad 16). «Hoc ipsum quod forma accidentalis est actionis principium, habet a forma substantiali; et ideo forma substantialis est primum actionis principium, sed non proximum. Et secundum hoc Philosophus dicit quod id, quo intelligimus et sentimus, est anima» (S. th. I 77, 1 ad 4). «Emanatio propriorum accidentium a subiecto non est per aliquam transmutationem, sed per aliquam naturalem resultationem; sicut ex uno naturaliter aliud resultat» (l. c. a. 6 ad 3). «In actionibus naturalibus formae substantiales non sunt immediatum actionis principium, sed agunt mediantibus qualitatibus activis et passivis, sicut propriis instrumentis, ut dicitur in II De an. [c. 4 fin.; S. Thom. lect. 9 fin.], quod calor naturalis est, quo anima agit; et ideo qualitates non solum agunt in virtute propria, sed etiam in virtute formae substantialis. Unde actio earum non solum terminat ad formam accidentalem, sed etiam ad formam substantialem, et propter hoc generatio est terminus alterationis. Huiusmodi autem virtutem instrumentalem recipiunt eo ipso, quod a principiis essentialibus causantur» (IV Dist. 12, 1 a. 2 sol. 2). «Corpus agit et ad formam accidentalem, et ad formam substantialem. Qualitas enim activa, ut calor, etsi sit accidens, agit tamen in virtute formae substantialis, sicut eius instrumentum; et ideo potest agere ad formam substantialem; sicut et calor naturalis, inquantum est instrumentum animae, agit ad generationem carnis. Ad accidens vero agit propria virtute» (S. th. I 115, 1 ad 5).

Thesis 27: *Potentiae animae specificantur ab actibus et obiectis, ad quae essentialiter ordinantur: ab actibus immediate, ab obiectis mediate.*

432. St. qu. Specificativum in genere est id, quo aliquid constituitur tale. Cum dicimus potentias animae specificari ab actibus et obiectis, loquimur de specificativo extrinseco. Nam distinguimus: *a)* specificativum intrinsecum, quod est illud in ipsa re, quo constituitur talis; *b)* specificativum extrinsecum, quod est illud extra rem, quo constituitur talis. Ita omnis omnino res creata specificatur extrinsecus idea exemplari in mente divina exsistente. De potentiis igitur animae in thesi praesenti contendimus eas specificari et diversificari ab actibus, ad quos ordinantur; cum autem ipsi actus specificationem accipiant ab obiectis, patet ipsas quoque potentias specificari ab obiectis, quamvis mediate.

433. Prob. th. Ex natura potentiarum animae: Quaecumque ratione essentiae suae specificae ordinantur ad aliquid, specificantur per ordinem ad illud. Atqui potentiae animae hoc modo ordinantur ad actus et ad obiecta: ad actus immediate, ad obiecta mediate, mediantibus actibus, cum attingant obiecta mediantibus actibus. Ita potentia visiva ordinatur ad colores videndos, ac proinde talem habet naturam, qualem exigit colorum visio.

434. Schol. 1. Actus dupliciter sumi potest: *a)* in exsecutione, quatenus est effectus a potentia productus; actus ita sumptus non

specificat potentiam, sed manifestat eius naturam seu specificationem, inquantum diversitas potentiarum nobis innotescit per diversitatem actuum, sicut omnis causa manifestatur per effectus suos. *b)* Actus sumi potest, quatenus est in intentione naturae, et ut est finis, propter quem natura producit potentiam. Actus ita sumpti specificant potentias, quatenus diversam sortiuntur naturam iuxta diversitatem actuum, ad quos ordinantur. Actus enim in exsecutione et sub ratione effectus sunt dependentes a potentiis et posteriores illis ; contra, in intentione et in ratione finis potentiae dependent ab actibus et sunt posteriores illis.

2. Cum obiectum dicitur specificare potentiam, intelligitur obiectum formale, non materiale. Res enim, quae obiciuntur potentiis, dupliciter sumi possunt : *a)* in esse entis, i. e. secundum entitatem suam, quam in se habent absolute ; *b)* in esse obiecti, i. e. secundum formalitatem et modum, quo attinguntur a potentiis. Saepe contingit res, secundum entitatem suam diversas, convenire et adunari in uno modo terminandi potentiam, ut rubrum et caeruleum, licet secundum rem differant, conveniunt tamen in visibilitate, sub qua terminant oculum. Hae res, etsi differunt in ratione entis, unicum tamen constituunt obiectum, ideoque eandem specificant potentiam. Contra, contingit aliquando eandem rem posse attingi pluribus modis, ut Deus, licet in entitate sua simplex sit, attingi potest diversimode, ut bonum amabile et ut verum cognoscibile ; et tunc res eiusmodi, licet entitative sit una, est tamen obiective multiplex, ideoque potest terminare diversas potentias, ut Deus, quatenus verus est, terminat intellectum, quatenus bonus, voluntatem.

435. Obi. 1. Si potentiae specificarentur ab actibus et obiectis, tot essent potentiae, quot sunt obiecta specifice diversa. Atqui hoc est falsum et contra experientiam. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Tot essent potentiae, quot sunt obiecta materialia, *nego* ; formalia, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui potentiae neque specificantur ab actibus et obiectis formalibus. *Probo.* Actus et obiecta formalia non sunt differentia specifica potentiarum. Atqui potentiae specificantur a differentia sua specifica. Ergo. *Resp. Conc. mai.* ; *dist. min.* : Tamquam a specificativo intrinseco, *conc.* ; tamquam a specificativo extrinseco, *nego. Dist. consq.*

3. Atqui potentiae neque specificantur ab actibus tamquam a specificativo extrinseco. *Probo.* Nihil specificatur ab eo, quod est dependens ab ipso et posterius eo. Atqui actus sunt dependentes a potentiis et posteriores ipsis. Ergo. *Resp. Conc. mai.* ; *dist. min.* : Actus in exsecutione, *conc.* ; in intentione, *nego. Dist. consq.*

Bibliographia ad 432—434 : *R. Garrigou-Lagrange,* Actus specificantur ab obiecto formali. De universalitate huiusce principii, Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aq. 1 (1934) 139—153. *Cl. Hubatka,* Actus specificatur ab obiecto formali, DThPrib 27 (1949) 412—420. *H. Lennerz,* De vero sensu principii «actus specificatur ab obiecto formali», Gr 17 (1936) 143 146.

Ad 433 sq. *Aristoteles* hanc quaestionem tangit, « dicens, quod si oportet de aliqua parte animae dicere quid est, scil. quid est intellectivum aut sensitivum aut vegetativum, prius oportet dicere de actibus, scil. quid sit intelligere et quid sentire. Et hoc ideo, quia secundum rationem definitivam actus et operationes sunt priores potentiis [πρότερον γάρ εἰσι τῶν δυνάμεων αἱ ἐνέργειαι καὶ αἱ πράξεις κατὰ τὸν λόγον . . . τούτων δ' ἔτι πρότερα τὰ ἀντικείμενα : De an. II 4, 415 a 18]. Potentia enim secundum hoc ipsum quod est, importat habitudinem quandam ad actum; est enim principium quoddam agendi vel patiendi, unde oportet, quod actus ponatur in definitionibus potentiarum. Et si ita se habet circa ordinem actus et potentiae, et actibus adhuc sunt priora opposita, idest obiecta. Species enim actuum et operationum sumuntur secundum ordinem ad obiecta. Omnis enim animae operatio vel est actus potentiae activae vel passivae. Obiecta quidem potentiarum passivarum comparantur ad operationes earum ut activa, quia reducunt potentias in actum, sicut visibile visum et omne sensibile sensum. Obiecta vero potentiarum activarum comparantur ad operationes ipsarum ut fines. Obiecta enim potentiarum activarum sunt operata ipsarum. Manifestum est autem, quod in quibuscumque praeter operationes sunt aliqua operata, quod operata sunt fines operationum, ut dicitur in I Eth. : sicut domus quae aedificatur, est finis aedificationis. Manifestum est igitur, quod omne obiectum comparatur ad operationem animae, vel ut activum vel ut finis. Ex utroque autem specificatur operatio . . . Ex obiectis diversis non diversificantur actus et potentiae animae, nisi quando fuerit differentia obiectorum inquantum sunt obiecta, idest secundum rationem formalem obiecti » (*S. Thom.* in l. c. lect. 6 n. 304 sqq. ; cf. lect. 5 n. 281 sqq. ; lect. 13 n. 387 ; Ver. 15, 2 ad 12 ; Q. d. an. a. 13 [cit. ad 502] ; S. th. I 77, 3 ; 14, 5 ad 3 ; 79, 7—11 ; I-II 18, 2 ; 54, 2 ; 72, 3).

Liber II

DE ANIMA IN SPECIE

Sectio I

DE ANIMA VEGETATIVA

Caput I

DE ANIMA VEGETATIVA SECUNDUM SE

§ 1. De exsistentia animae vegetativae

Thesis 28 : *Planta non est aggregatum ex substantiis non viventibus, sed est substantia una vivens vita vegetativa seu informata anima vegetativa.*

436. St. qu. 1. Plantae nomine intelligimus totum heterogeneum, quod communi hominum aestimatione vivere dicitur, quatenus nutritur et crescit et generat, quod tamen nulla sensationis signa manifestat. Et, experientia teste, plantae heterogeneitas non ea tantum est, quae invenitur etiam in mineralibus, i e. heterogeneitas aliqua structurae cum stabili virium aequilibrio, sed ea, in virtute cuius singulae partes, quibus plantae organisatio constituitur, suis viribus praeditae, suis etiam muneribus funguntur (cf. n. 408, 2 ; 414 sq.). Non obstante harum partium independentia, dicimus tamen eis unam substantiam constitui informatam anima vegetativa.

2. Adversarii thesis dicuntur Antivitalistae, in quorum numero sunt Materialistae omnes, qui vitae principium, cum ne in homine quidem admittant speciale, in plantis et animalibus a fortiori respuunt. Hi conantur omnia vitae phaenomena mere mechanice ex atomorum vibrationibus vel viribus physicis et chimicis explicare. Sed etiam inter eos, qui materialismum non profitentur et principium speciale vitae sensitivae et intellectivae admittunt, plures vitam vegetativam mechanice aut ex viribus physicis et chimicis explicari posse putant. Cartesius vitam vegetativam mere mechanice explicare nititur. Sed hic brutis etiam vitam sensitivam denegat, ac proinde animalia bruta tamquam machinas valde artificiosas considerat ; in solo homine admittit animam tamquam principium vitae sensitivae et intellectivae. Plures philosophi recentes et multi rerum naturalium cultores processus vitae vegetativae ex viribus physicis et chimicis declarare nituntur excluso speciali principio substantiali. Planta proinde non consideratur tamquam animata. Loco animae vegetativae ponunt specialem organisationem plantae. Ex viribus physicis et chimicis, prout sub speciali illa organisatione operantur, volunt explicare vitam vegetativam. Speciatim Tongiorgi (1820—1865) hanc opinionem philosophice evolvit. Reiecto autem principio vitali, quo organismi partes in unitate substantiae continentur et in suis operationibus diriguntur, organismus non est unum per se. Est igitur in hac sententia organismus aggregatio artificiosa partium et atomorum, machina quaedam sui generis, quae non impulsu mechanico tantum, sed viribus physicis et chimicis operatur.

Cum recenti tempore antivitalismus late grassaretur inter scientiarum naturalium cultores, nunc multi iam fatentur, se non posse explicare vitam mere mechanice et ex viribus physicis et chimicis ; ita G. de Bunge. Exinde orta est schola Neovitalistarum, qui ad vitam explicandam admittunt principium aliquod altius dirigens virium physicarum et chimicarum. Hoc principium Reinke «dominans» (Dominante), Driesch «entelechiam», Cl. Bernard «vim vitalem» vocat.

437. Prob. th. *Arg. I.* Ex activitate plantae : Certo non potest cum Cartesio planta explicari mere mechanice. Haec sententia iis iam re-

futata est, quae dicta sunt contra atomismum mechanicum (n. 244-247). Si iam mundus corporum non-viventium non potest explicari mere mechanice, haec explicatio a fortiori deficit, si agitur de mundo viventium.

Sed neque potest considerari planta tamquam machina sui generis, quae viribus physicis et chimicis operaretur. Nam activitas, quae apparet in planta, est omnino alia, prorsus opposita activitati materiae non-viventis : Tota activitas corporum non-viventium tendit ad aequilibrium, ad quietem. Planta vero actione partium suarum iugiter tendit ad motum continuandum. Haec activitas omnino diversa non potest explicari ex sola organisatione plantae, ex ordinatione partium ad invicem. Hac ordinatione partes ad invicem tantum coniunguntur et vires in activitatem reducuntur, modus vero ipsius activitatis non mutatur. Modus activitatis mutatus expostulat in planta principium altius, quod viribus physicis et chimicis dominetur easque dirigat. Hoc autem principium activitatis omnibus partibus plantae dominatur seu respicit totam plantam per modum unius: est totius. Nam activitas diversarum partium tendit in totum qua tale : totum evolvit et conservat, superando perturbationes, resarciendo damna. Si pars aliqua laeditur, partes omnes in id agunt, ut damnum reparent. Haec altior activitas ex singulis partibus et ex earum ordinatione ad invicem non est explicabilis. Sicut tendit ad totum, ita etiam oritur ex toto: est una non tantum secundum finem, in quem tendit, sed etiam secundum originem suam ab intrinseco, ex essentia totius. Haec activitas manifestat totum tamquam unum per se, tamquam unam substantiam ex multis partibus constitutam ; haec activitas ostendit partes tamquam essentialiter toti subordinatas et ab eo dependentes, utpote redactas in unitatem substantialem altiorem sub principio formali seu forma substantiali totius ; activitatis enim principium remotum est forma substantialis. Activitas machinae est una terminative, secundum finem suum, sed non secundum originem suam, et explicatur omnino ex partibus machinae et earum ordine ad invicem. At activitas plantae hanc manifestat etiam tamquam substantiam viventem, quae vivit vita vegetativa, ac proinde informata est anima vegetativa. Altior activitas plantae non est tantum ea, quam observamus iam in atomo ex nucleo et electronibus constituta. Atomus substantialem suam unitatem eo manifestat, quod in origine sua ab extrinseco acceptam structuram et motum conaturalem retinet et, datis perturbationibus, restituit tendentia uniformi ad aequilibrium. Planta vero vincit perturbationes et resarcit damna mutando activitatem suam ab intrinseco, adaptando se circumstantiis variis. Activitas plantae statim manifestatur tamquam sui-motio. Partes quidem plantae essentialiter subordinantur toti, tamen eis convenit independentia quaedam, quae partibus corporis non-viventis non convenit. In planta et

in quocumque corpore vivente non obtinet aequilibrium stabile virium. Unaquaeque pars suas vires et suam activitatem habet. Ita singulae partes, agendo ad invicem, agunt etiam in totum. Neque tendunt ad aequilibrium, sed ad continuationem mutuae activitatis. Ita totum movet seipsum iugiter partibus suis. Haec sui-motio non tantum ea est, qua conservatur totum, sed etiam qua evolvitur, acquirendo sibi novas partes substantiales, et qua ultimo novum individuum eiusdem speciei generatur. Atqui haec sui-motio est ipsa vita vegetativa. Ergo planta est substantia, quae vivit vita vegetativa, ac proinde informata est anima vegetativa.

Arg. II. Ex analogia cum animalibus: Si animal est substantia una vivens vita vegetativa et sensitiva seu informata anima, quae simul est vegetativa et sensitiva, etiam planta est substantia una vivens vita vegetativa seu informata anima vegetativa; nam phaenomena vegetativa in animali: nutritio, augmentatio, generatio, eodem modo essentialiter contingunt sicut in planta neque differunt nisi valde accidentaliter. Quare si haec phaenomena in animali vitalia sunt, etiam in planta ita explicari debent. Atqui animal est substantia una vivens vita vegetativa et sensitiva. Ergo etiam planta est substantia una vivens vita vegetativa.

Prob. min. Animal est substantia una sentiens (id quod in homine, animali rationali, ex testimonio sensus communis et tactus constat et in ceteris animalibus ex modo, quo se gerunt, ostenditur), quae simul ostendit phaenomena vegetationis, seu cuius diversae partes ad invicem agunt ad totum nutriendum et evolvendum. Atqui substantia una sentiens, cuius diversae partes ad invicem agunt ad totum nutriendum et evolvendum, est substantia una vivens vita vegetativa et sensitiva.

438. Coroll. Ergo anima tamquam principium substantiale sui-motionis determinat plantam substantialiter et dominatur ei accidentaliter mediantibus viribus suis. Potentia nutritiva et augmentativa et generativa dominantur viribus physicis et chimicis easque ad altiorem ordinem elevant. Diversae partes plantae earumque vires physicae et chimicae subordinantur animae eiusque potentiis. Hac subordinatione constituitur aequilibrium l a b i l e, in quo diversae partes ad invicem inveniuntur. Hoc aequilibrium est praesuppositio ad sui-motionem vitae vegetativae.

439. Schol. Tria distinguamus: machinam (etiam mundi machinam), atomum (generalius: corpus non-vivens, structura praeditum, quod est unum per se), corpus vivens. In machina activitas est accidentaliter altior, ex singulis partibus et ex dispositione artificiali earum explicabilis; activitas est una terminative, finaliter tantum. In atomo activitas est essentialiter altior, ex singulis partibus et dispo-

sitione earum non explicabilis, sed solummodo ex toto qua tali; activitas est una principiative, quae tamen non est sui-motio, sed uniformiter ad extra tendens propter aequilibrium stabile partium ad invicem; nam vincit perturbationes (machina non vincit), sed tendentia uniformi ad aequilibrium. In vivente activitas est essentialiter altior, ex singulis partibus et dispositione earum non explicabilis; activitas est una principiative, quae est sui-motio propter aequilibrium labile partium; nam vincit perturbationes, non tendentia uniformi ad aequilibrium, sed vario modo agendo et se adaptando.

440. Obi. 1. Totum heterogeneum, cuius activitas explicatur viribus physicis et chimicis, non est substantia una informata anima vegetativa. Atqui planta est totum heterogeneum, cuius activitas explicatur viribus physicis et chimicis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Explicatur viribus physicis et chimicis, prout subsunt directioni principii vitalis seu animae, *nego;* explicatur ex solis viribus physicis et chimicis, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui activitas plantae explicatur ex viribus physicis et chimicis sine principio vitali. *Probo.* Activitas, quae explicatur artificiosa organismi constitutione, explicatur ex viribus physicis et chimicis sine principio vitali. Atqui activitas plantae explicatur ex artificiosa organismi constitutione. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Ex artificiosa constitutione organismi informati ab anima, *nego;* non informati ab anima, *conc. Contradist. min.*

3. Atqui activitas plantae explicatur ex artificiosa constitutione organismi ab anima non informati. *Probo.* Eo explicatur activitas plantae, quo habetur virium physicarum et chimicarum directio et modificatio. Atqui sola artificiosa constitutione organismi habetur virium physicarum et chimicarum directio. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quo habetur directio ab intrinseco ad activitatem essentialiter altiorem, *conc.;* directio ab extrinseco tantum ad activitatem non essentialiter altiorem, *nego. Contradist. min.:* Habetur directio ab intrinseco ad activitatem essentialiter altiorem, *nego;* posset haberi aliqua directio ab extrinseco ad activitatem non essentialiter altiorem, *conc.*

Bibliographia ad 436—439: *M. Adrian,* Viruses: are they alive?, NSch 31 (1957) 297—316. *B. Bavink,* Ergebnisse und Probleme der Naturwissenschaften, ed. 8, Bern 1945. *B. Dürken,* Entwicklungsbiologie und Ganzheit. Leipzig-Berlin 1936. *J. Gredt,* Weltganzes, Elektronensystem und lebender Körper. Naturphilosophische Betrachtung über die Einheit und Vielheit der Körpersubstanzen, DThFrib 6 (1928) 14—25. *U. A. Hauber,* The Mechanistic Conception of Life, NSch 7 (1933) 187—200.

Ad 437. *Aristoteles* in plantis potentiam vegetativam inesse asserit (ὑπάρχει δὲ τοῖς μὲν φυτοῖς τὸ θρεπτικὸν μόνον: De an. II 3, 414 a 32), quam primam et communissimam animae potentiam dicit, secundum quam omnibus aliis vita convenit, et cuius operationes sunt generare et nutrimento uti: Ἡ γὰρ θρεπτικὴ . . . καὶ πρώτη καὶ κοινοτάτη δύναμίς ἐστι ψυχῆς, καθ' ἣν ὑπάρχει τὸ ζῆν ἅπασιν. ἧς ἐστὶν ἔργα γεννῆσαι καὶ τροφῇ χρῆσθαι . . . ἔστι δὲ ἡ ψυχὴ τοῦ ζῶντος σώματος αἰτία καὶ ἀρχή (De an. II 4, 415 a 23 b 7). *S. Thomas:* « Operationes igitur quae competunt viventi secundum esse materiale, sunt operationes, quae attribuuntur animae vegetabili, quae tamen, licet ad id ordinentur, ad quod etiam ordinantur actiones in rebus inanimatis, scil. ad consequendum

esse et conservandum, tamen in viventibus hoc fit per altiorem et nobiliorem modum. Corpora enim inanimata generantur et conservantur in esse a principio motivo extrinseco; animata vero generantur a principio intrinseco, quod est in semine, conservantur vero a principio nutritivo intrinseco. Hoc enim videtur esse viventium proprium, quod operentur tamquam ex seipsis mota» (In De an. II lect. 5 n. 285). «Animatum distinguitur ab inanimato in vivendo. Animata enim vivunt, sed inanimata non vivunt... Anima est principium vivendi in plantis» (l. c. lect. 3 n. 254 256).

§ 2. De natura animae vegetativae

441. Quid sit anima vegetativa, et quae sint eius functiones. Anima vegetativa est principium substantiale vitae corporis, quod movet seipsum quoad exsecutionem tantum secundum formas inditas a natura. Iam vero corpus, quod movet seipsum quoad exsecutionem tantum secundum formas inditas, est corpus, quod non movet seipsum nisi operando circa seipsum, cum ea quae movent seipsa non quoad exsecutionem tantum, sed etiam quoad formam et quoad finem, se moveant operando circa alia, ut alia sunt, cognoscendo alia, sive quaedam (viventia sensitiva) sive omnia (viventia intellectiva). Corpus autem, movendo se, operatur circa seipsum, quatenus perficit seipsum, acquirendo sibi partes seu aggenerando sibi partes. Hoc fit per nutritionem, quae est functio fundamentalis vitae vegetativae. Vegetari enim essentialiter est nutriri, et anima vegetativa est anima nutritiva. Sed vivens nutritur triplici ex fine: *a)* ad se evolvendum seu ad acquirendam quantitatem et structuram sibi debitam; vivens enim non statim ab initio perfectam suam quantitatem habet, sed eam pedetentim acquirit; *b)* ad se conservandum in statu ita acquisito seu ad reparandas partes substantiales in processu vitali amissas. Processus enim vitae vegetativae iugis materiae mutatio est seu processus assimilativo-dissimilativus. Nutritione assimilantur seu aggenerantur substantiae, quae multum energiae continent. Quo ipso in vivente energia accumulatur, quae deinde dissimilationis processu impenditur ad motum vitalem continuandum. In hoc processu substantiae illae, quae multum continebant energiae, resolvuntur, dissimilantur, atque ab organismo vivo separantur. Processus iste praesertim apparet in vita vegetativa animalis propter activitatem vitalem valde intensam. At etiam in planta processui assimilativo opponitur dissimilativus, quo iugiter partes substantiae assimilatae dissolvuntur. *c)* Nutritur vivens ad generandum seu ad cellulas germinales ex sua substantia producendas, ex quibus, a generantis organismo decisis, nova eiusdem speciei individua evolvuntur. Quare ex nutritionis functione duplex alia functio vitae vegetativae excrescit: augmentatio et generatio. Distinguimus igitur tres functiones vitae vegetativae: nutritionem, augmentationem, generationem.

442. Quid sit nutritio, et quomodo fiat. Nutritio definitur : conversio alimenti intussuscepti in substantiam aliti. Quattuor in nutritione distinguimus : *a)* selectionem teleologicam alimenti, qua assumitur id, quod est organismo pro datis circumstantiis conveniens et reicitur disconveniens ; *b)* transmutationem alimenti, qua praeparatur ad assimilationem ; *c)* transvectionem alimenti transmutati ad diversas partes viventis — intussusceptionem ; *d)* assimilationem, transmutationem alimenti in substantiam viventis. In planta prima transmutatio, qua praeparatur alimentum, consistit in productione substantiarum organicarum ex substantiis anorganicis [1]. Animalia vero a plantis materias organicas desumunt, quas tamen multipliciter alterant et transmutant in chymum et chylum et sanguinem, antequam assimilentur.

443. Quid sit augmentatio, et quomodo fiat. Augmentatio est actio, qua vivens, nutriendo se, movet seipsum secundum quantitatem motu augmenti. Augmentum autem definitur : motus a minore ad maiorem quantitatem. Augmentatio supponit nutritionem abundantem, qua plus substantiae acquiritur, quam amittitur. Vivens igitur non crescit per iuxtapositionem, sicut minerale, sed per nutritionem seu aggenerationem ab intrinseco seu per intussusceptionem mediante continua materiae mutatione. Et viventia perfectiora, quorum organismus ex pluribus cellulis constat, analytice crescunt, i. e. divisione cellularum. Cellula nutrita se dividit, et ita, repetitis divisionibus cellularum, tota viventis structura pedetentim efficitur.

444. Quae partes ad substantiam viventis pertineant seu informentur ab anima. Ex dictis deducimus, quae partes ad substantiam viventis pertineant seu informentur ab anima : eae omnes, quae nutriuntur et crescunt per intussusceptionem seu sub iugi materiae mutatione. Hae autem partes sunt liquido-solidae propter continuum materiae fluxum. Quare cellulae, quae obdurantur, vitam amittunt amittendo mobilitatem internam. Ideo vita carent capilli, pili, ungues, testa cochleae etc. Haec omnia crescunt per iuxtapositionem tantum. Radices tamen capillorum, pilorum, unguium vivunt. Quod ossa attinet, distinctione opus est. Ossa cellulis constituuntur inter se coniunctis, quibus formatur textura, cuius interstitia phosphato calcii replentur. Hoc phosphatum calcii non vivit, sed textura vivit. Certo vivit sanguis. Cellulas enim continet, quae nutriuntur atque innatant in sero, ope cuius continuantur inter se et cum parietibus arteriarum. Sanguis igitur minime est in arteriis sicut aqua in vase,

[1] Hanc productionem substantiarum « organicarum » recentes physiologi assimilationis nomine designant, cum philosophi hac voce aggenerationem intelligant.

sed sicut liquor organisatus, non contiguus, sed continuus cum arteriis, in quibus continetur. Hac autem continuitate interrupta sanguis amittit vitam, quam habebat in toto, atque mox ex toto moritur, quod extrinsecus ex coagulatione eius apparet.

445. Quomodo differant nutritio et augmentatio. Nutritio et augmentatio sunt mutationes et operationes, quae realiter inter se differunt, licet augmentatio supponat nutritionem. Nutritio enim per se primo est ad substantiam, augmentatio vero ad quantitatem. Ad horum intellectum advertendum est non quamcumque novae quantitatis acquisitionem dici augmentationem stricte, sed eam tantum, vi cuius maior acquiritur quantitas, seu vi cuius vivens evolvitur perfecte seu crescit. Est enim in vivente nondum plene evoluto nisus formaliter et per se primo ad maiorem quantitatem acquirendam. Iste nisus non semper durat, sed tandem cessat, et sequitur decrementum ; nutritio vero per totam vitam perdurat. Nutritio formaliter et per se primo est ad substantiam, per accidens ad quantitatem, quia non potest acquiri nova substantiae pars, nisi simul acquiratur etiam nova pars quantitatis, ac proinde aliqua quantitatis amissio et acquisitio iugiter accidit nutritioni.

446. Nutritio et augmentatio sunt mutationes successivae et continuae. Ratio est, quia ad aggenerationem, quae fit in nutritione et augmentatione, non requiritur determinata quantitas, sicut requiritur ad generationem. Quare in generatione quantitas generatur in instanti et tota simul, in nutritione vero et augmentatione quantitas et pars substantiae acquiruntur in tempore et mutatione continua et successiva. Vivens enim, quod nutritur et crescit, iam habet suam quantitatem sibi debitam, ut exsistere possit, et id quod accedit, accidentaliter se habet. Alteratio autem cibi ad nutritionem et augmentationem praerequisita successive et continue propagatur per molem cibi, et ita dispositiones praeviae continue et successive per totam molem propagantur, quo ipsa substantialis conversio fit successive et continue.

Hoc tamen non obstante augmentum tantum est motus propriissime sumptus, non vero nutritio ; quamvis enim nutritio per totam molem successive propagetur, tamen, ut mutatio substantialis, in se est instantanea.

447. Quomodo sub iugi materiae mutatione, qualem expostulant nutritio et augmentatio, maneat idem numero vivens. Cum dissimilatione veteris et assimilatione novae materiae pedetentim tota corporis materia alia fit, manet tamen idem numero vivens formaliter et simpliciter, non tantum quia manet eadem forma substantialis, sed etiam quia materia, quae pedetentim accedit loco deperditae, assimilatur a toto (fit aliquid totius) et continuatur cum toto. Conce-

dendum tamen est non manere idem numero vivens materialiter, i. e. non manere eandem numero materiam primam.

448. Quid sit generatio viventis. Generatio viventis definitur: origo viventis a principio vivente coniuncto in similitudinem naturae. Dicitur: «a principio vivente coniuncto», quia id quod generatur, ex substantia generantis producitur; dicitur: «in similitudinem naturae», *a)* quia generatum est eiusdem naturae cum generante, *b)* quia generatio ipsa est actio essentialiter assimilativa, natura sua tendens ad simile generantis producendum. Quare si homo posset formare hominem arte manuum suarum, non esset generatio, quia actio artificiosa non tendit per se, ex natura sua, ad simile agentis producendum, et cum producit simile, hoc est per accidens. Cf. S. Thom., S. th. I 27, 2.

Notandum est autem virtutem generativam esse duplicem: alteram in generante, qua novum generat individuum eiusdem speciei, alteram vero in generato, quae etiam vis formativa dicitur, quatenus dirigit formationem seu evolutionem novi organismi (cf. S. th. I 78, 2 ad 2; Pot. 3, 9 ad 16).

449. Quotuplex sit generatio viventis. Generatio primo dividitur in cytogonicam et vegetativam. Generatio cytogonica peragitur divisione cellularum simplicium, quam subsequitur separatio cellularum ad invicem, si agitur de protistis, vel ab organismo generantis. Subdividitur in agamogoniam et gamogoniam. Agamogonia consistit in divisione simplici vel multiplici ipsius generantis, si agitur de protistis, aut in divisione cellularum specialium, si agitur de viventibus pluricellularibus. Cellulae germinales ita exortae agameti vocantur, vel etiam spori in plantis inferioribus. Gamogonia divisioni superaddit fecundationem. Cellulae germinales gameti appellantur, quorum coniunctio zygotam constituit. Gameti ut in pluribus distinguuntur morphologice in cellulas germinales masculinas et femininas (spermata et ovula). Alii modi generationis cytogonicae sunt parthenogenesis et androgenesis, quae tunc habentur, si evolutio viventis incipit a gameto non fecundato, qui plerumque est ovulum (parthenogenesis); raro tantum et nonnisi in organismis inferioribus, qui habent gametos structurae simplicis, evolutio incipit a spermate (androgenesis). Parthenogenesis et androgenesis nihil aliud sunt quam modi regressivi generationis gamogonicae, oriundi ex adaptatione secundaria ad conditiones externas, quae fecundationem difficiliorem reddiderant. Parthenogenesis etiam artificialiter effici potest in quibusdam speciebus, in quibus naturaliter non fit: excitatione physica, chimica, immo mechanica (percussione) ovulum sufficienter impellitur ad se evolvendum. Sed evolutio embryonalis lentius contingit, saepe ad deformitates ducit, et raro ad individuum

plene evolutum pertingit. Generatio vegetativa eo peragitur, quod integri cellularum complexus a corpore vivente separantur atque in novum individuum evolvuntur. Iste generationis modus non solum in plantis invenitur, sed etiam in animalibus (coelenterata, vermes), et quidem plerumque cum generatione cytogonica.

Saepissime alternando sibi succedunt, maiori vel minori constantia, gamogonia et agamogonia vel parthenogenesis vel generatio vegetativa. Alternatio modorum generationis primaria habetur, si generatione gamogonica producuntur individua morphologice diversa a generantibus, quae ipsa agamogonice generant. Econtra habetur alternatio modorum generationis secundaria succedentibus sibi gamogonia et parthenogenesi vel generatione vegetativa, quin individua generata differentias morphologicas exhibeant. Alternantibus gamogonia et parthenogenesi de heterogonia loquuntur, dum econtra succedentes sibi generationes gamogonicam et vegetativam metagenesim appellant.

Fecundatio, in qua non obtinet coniunctio nuclei masculini et feminini, quae proinde non servit nisi ad evolutionem excitandam, dicitur merospermia, si expellitur nucleus spermatis (retento solo centrosomate ipsius), merogonia (quae etiam artificialiter produci potest), si eicitur nucleus ovuli (retento cytoplasmate eius).

Typorum diversitas in una eademque specie dimorphismus (polymorphismus) vocatur. Dimorphismus non est nisi accidentalis differentia, quae naturam specificam non tangit. Praeter dimorphismum, qui in generationibus mutatis obtinet, notatu dignus est dimorphismus sexualis, qui in omnibus speciebus habetur, in quibus est diversitas sexus, et qui aliquando tantus est, ut mas et femina dissimilia sint prorsus secundum typum externum (exemplum sit bonellia viridis). Typorum diversitas in eodem individuo (anura [ecaudata] — rana ; eruca — papilio) metamorphosis vocatur.

Bibliographia ad 449 : *M. Hartmann*, Allgemeine Biologie, Jena 1934.

Ad 441. *Aristoteles* « dicit primo, quod cum vegetativa et generativa ab eadem communi potentia animae contineatur [ἐπεὶ δ' ἡ αὐτὴ δύναμις τῆς ψυχῆς θρεπτικὴ καὶ γεννητική, περὶ τροφῆς ἀναγκαῖον διωρίσθαι πρῶτον : De an. II 4, 416 a 18], licet vegetativa id est nutritiva sit quaedam specialis potentia distincta a generativa, oportet primum determinare de alimento, quod est obiectum generativae sive nutritivae... Ostendit, quomodo alimentum congruit augmento. Et dicit, quod licet idem sit subiecto, quod est obiectum nutritionis, prout dicitur alimentum, et quod est obiectum augmenti, prout dicitur augmentativum, tamen differt ratione. Dictum est enim, quod alimentum est in potentia ad corpus animatum. Corpus autem animatum et est quoddam quantum et est hoc aliquid et substantia. Secundum igitur quod est quoddam quantum, secundum hoc alimentum adveniens ei, "quod etiam et ipsum quantum est", facit augmentum et dicitur augmentativum ; inquantum autem corpus animatum hoc aliquid et substantia est, sic habet rationem alimenti. Hoc enim

est de ratione alimenti, quod conservat substantiam eius quod alitur. Quae quidem conservatio necessaria est propter continuam consumptionem humidi a calido naturali; et ideo tamdiu durat substantia eius quod nutritur, quamdiu nutriatur» (*S. Thom.* in l. c. lect. 9 n. 333 343).

Caput II

DE POTENTIIS ANIMAE VEGETATIVAE

Thesis 29: *Praeter animam et vires naturales in substantia vivente vita vegetativa admittendae sunt potentiae animae vegetativae speciales: nutritiva, augmentativa, generativa.*

450. St. qu. 1. Admissa anima vegetativa, aliqui potentias animae vegetativae s p e c i a l e s negant; qui conantur explicare processum vitae vegetativae ex viribus naturalibus (i. e. chimicis et physicis), quatenus radicantur in substantia vivente seu informata anima vegetativa. Hoc enim solo dicunt has vires elevatas et directas esse ad altiorem activitatem nutritionis, augmentationis, generationis exercendam. Contra hanc doctrinam, in quam inclinat Suárez [1], thesi nostra statuimus potentias vitales animae vegetativae speciales, quas tres esse dicimus: nutritivam, augmentativam, generativam. Doctrina haec est S. Thomae et scholasticorum, non tantum veterum, ut Ioannis a S. Thoma et Complutensium, sed etiam recentium, ut T. Pesch (1836—1899).

2. Admittendo potentias speciales, vires physicas et chimicas minime excludimus, immo contendimus totum processum vegetativum in planta et in animali viribus naturalibus (physicis et chimicis) absolvi, prout tamen sub directione potentiarum specialium animae vegetativae continentur. Quare dicimus vires naturales instrumenta esse virium vitalium atque praemoveri et elevari ab eis ad opera vitae exercenda.

451. Prob. th. I p.: In substantia vivente vita vegetativa admittendae sunt potentiae animae vegetativae speciales. Ex activitate vegetativa: Si vires naturales substantiae viventis vita vegetativa ad altiores activitates elevantur, praeter animam et vires naturales in hac substantia admittendae sunt potentiae animae vegetativae speciales. Atqui vires naturales substantiae viventis vita vegetativa ad altiores activitates elevantur. Ergo admittendae sunt potentiae animae vegetativae speciales.

Mai. patet ex eo, quod substantia creata nulla est immediate operativa, sed operatur mediantibus viribus realiter ab ipsa distinctis;

[1] De anima l. 2, c. 9.

si ergo vires naturales substantiae vegetantis inveniuntur elevatae, admittendae sunt vires altiores seu potentiae vitales, quibus eleventur.

Min. deducitur ex dictis in thesi praec. Processus physici et chimici non tantum alio omnino modo contingunt in corpore vivente quam in materia non-vivente, sed vires physicae et chimicae etiam effectus producunt, qui essentialiter pertinent ad ordinem vitalem: aggenerant et generant. Aggeneratio et generatio fit mediantibus viribus physicis et chimicis. Hoc autem esse non potest, nisi quatenus hae vires ad ordinem vitalem transeunter elevantur. In virtute quidem propria alterant physice et chimice, sed aggenerant et generant, quatenus praemoventur a potentiis animae.

Prob. II p.: Hae potentiae sunt: nutritiva, augmentativa, generativa. Ex diversitate actionum vitae vegetativae: Tot sunt potentiae animae vegetativae speciales, quot sunt functiones seu actiones vitae vegetativae speciales seu specifice distinctae, ad quas vires naturales substantiae viventis vita vegetativa elevantur. Atqui tres sunt actiones vitae vegetativae speciales seu specifice distinctae: nutritio, augmentatio, generatio. Ergo tres sunt potentiae animae vegetativae speciales.

Mai. ex eo patet, quod potentiae specificantur ab actu suo.

Prob. min. a) ex eo, quod nutritio, augmentatio, generatio differunt secundum obiectum suum formale; nam generationis obiectum est novum individuum eiusdem speciei producendum; nutritionis obiectum est substantia ipsius viventis, quod nutritur; augmentationis obiectum est quantitas eius; *b)* probatur ex eo, quod hae operationes inter se separantur secundum tempus; nam nutritio per totam vitam continuatur, augmentatio non durat nisi quoadusque vivens terminum magnitudinis suae attigerit, et generatio non contingit nisi certis periodis; *c)* probatur ex eo, quod a nutritione et augmentatione plerumque separatur generatio etiam secundum organum speciale, quo exercetur, cum nutritio et augmentatio toto corpore exerceantur.

452. Schol. 1. Cum nutritio et augmentatio toto corpore exerceantur, potentia nutritiva et augmentativa per totum corpus est diffusa, ita ut diversae partes heterogeneae earumque vires naturales omnes subdantur nutritivae et augmentativae. Qua subordinatione, non obstante partium heterogeneitate, stricta obtinetur unitas accidentalis respondens unitati substantiali corporis viventis eamque manifestans (cf. n. 240; 408, 1). Generatio organo speciali exercetur, et potentia generativa organo speciali alligatur in omnibus viventibus, quae speciales elaborant cellulas germinales.

2. In generatione gamogonica seu digenetica praeter potentiam generativam, quae in generantibus inest, admittenda est p o t e n -

tia generativa transeunter communicata cum cellulis germinalibus; cellulae enim istae tota sua entitate sunt instrumenta generationis, quibus generantia novum individuum producunt. Nam in generatione gamogonica, separatis cellulis germinalibus a generantium organismo, non statim producitur novum individuum illud, cuius productio tamquam terminus ultimus generationis intenditur. Propterea necesse est tribuere istis cellulis, ovulo et spermati, formas substantiales germinales speciales, animas imperfectas, transitorias, ipso processu fecundationis et generationis corrumpendas. Cellula enim germinalis non est aggregatum mortuum, sed unum per se, vivens vita aliqua imperfecta. Amphimixi autem dispositiones praeviae et proximae producuntur, quibus educitur anima novi individui, quod est terminus generationis. Ipsa amphimixis duplicem scopum habet: *a)* coniunctione spermatis cum ovulo combinantur utriusque parentis dotes individuales, ex quibus dependet character individualis; *b)* est impulsus, quo ovulum impellitur ad se evolvendum. Ovulum fecundatum repetitis divisionibus in integrum organismum excrescit (cf. n. 443). Quae divisiones ita semper fiunt, ut in omnibus cellulis ex eis resultantibus aliquid utriusque principii, masculini et feminini inveniatur.

Dispositiones, quae amphimixi producuntur, sunt specialis organisatio et potentiae vitales (nutritiva et augmentativa) debitae individuo generando. Dispositiones enim pro quacumque forma substantiali generanda sunt accidentia ei propria; accidentia autem propria animae generandae sunt specifica organisatio et potentiae vitales. Dispositiones igitur praeviae in alteratione consistunt, qua tenditur ad specificam organisationem; haec autem organisatio ipsa et potentiae vitales specificae, quae in instanti generationis producuntur, constituunt dispositiones proximas. Attamen organisationis specificae nomine non intelligimus organisationem integraliter evolutam, sed embryonalem, quae coniunctione nucleorum utriusque cellulae germinalis iam habetur. Coniuncto enim ex utroque nucleo, mox incipit vita perfecta, qua, repetitis cellularum divisionibus, individuum recens genitum ex statu embryonali in integrum typum suum excrescit. Tota haec processus generationis gamogonicae explicatio utique supponit cellulas germinales, ab organismo generantium separatas, ante fecundationem non vivere nisi vita aliqua imperfecta, diversa a vita generantium. Hoc certo obtinet in homine; anima enim spiritualis est indivisibilis absolute. Ceterum autem secundum Biologiam recentem probabile est vitam cellularum germinalium, etiam ab organismo separatarum, non esse imperfectam, sed perfectam, sicut est vita, qua vivunt parentes. Amphimixis autem non serviret nisi ad excitandam evolutionem et ad contemperandas determinationes accidentales, quin interveniat aliqua mutatio substantialis.

3. In omni generatione non gamogonica novum individuum immediate a generante producitur. Cellula, vel etiam complexus cellularum, unde incipit eius evolutio, formatur ex organismo generantis, cum eo continuatur, eius vita vivit, eius informatur anima. Facta autem divisione, statim est novum individuum, quod, datis conditionibus convenientibus, se evolvit in integrum typum suum.

4. Aristoteles et veteres scholastici, ignorantes cellulas germinales, semina neque organisata neque viventia putabant. Ideo docebant, coniunctis seminibus, virtute plastica instrumentaria eis inhaerente primo formari organisationem atque ita educi animam.

453. Obi. *Contra I p.* 1. In quo inest anima tamquam principium dirigens virium naturalium, in eo non sunt admittendae potentiae animae vegetativae speciales. Atqui in vivente vita vegetativa inest anima tamquam principium dirigens virium naturalium. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* In quo inest anima tamquam principium proximum dirigens, *conc.;* tamquam principium remotum tantum, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui in substantia vivente vita vegetativa anima est etiam principium proximum dirigens virium naturalium. *Probo.* Quod immediate influit in vires sibi subordinatas, est principium proximum dirigens virium naturalium. Atqui in vivente vita vegetativa anima immediate influit in vires sibi subordinatas. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod immediate influit tamquam causa efficiens, *conc.;* tamquam causa formalis, *nego. Contradist. min.* Effectus formalis primarius formae est substantia, effectus secundarius sunt accidentia; forma substantialis facit esse substantiam, sed secundarie facit esse accidentia.

3. Atqui si anima immediate influit in vires sibi subordinatas tamquam causa formalis, non sunt admittendae potentiae animae vegetativae speciales. *Probo.* Si causalitate formali ipsius animae diriguntur vires, non sunt admittendae potentiae animae speciales. Atqui si anima immediate influit in vires sibi subordinatas tamquam causa formalis, causalitate formali ipsius animae diriguntur vires. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si causalitate formali ipsius animae diriguntur vires naturales, *conc.;* si causalitate formali ipsius animae diriguntur potentiae animae tantum, *nego. Contradist. min.*

4. Atqui causalitate formali ipsius animae diriguntur etiam vires naturales. *Probo.* Si causalitate formali ipsius animae diriguntur potentiae animae, etiam vires naturales ita diriguntur. Atqui (ex concessis) causalitate formali ipsius animae diriguntur potentiae animae. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si hae vires naturales non essent inferioris ordinis, *conc.;* si sunt inferioris ordinis, *nego. Conc. min.; dist. consq.* Vires naturales tamquam vires inferioris ordinis specialiter omnino praemovendae sunt tamquam instrumenta proprie dicta ad effectus altiores v i t a l e s producendos. Contra, potentiae animae sua ipsius natura sunt vires vitales. Ideo sua ipsius natura, quam habent ab anima tamquam a causa formali, diriguntur, i. e. determinantur ad vitaliter agendum, i. e. ad dirigendas vires naturales, prout expedit bono totius viventis secundum circumstantias datas. Praemoventur tamen etiam potentiae animae quoad actum secundum influxu extrinseco circumstantiarum datarum.

Contra II p. 1. Tot sunt potentiae animae vegetativae speciales, quot sunt functiones seu actiones vitae vegetativae. Atqui una tantum est actio vitae vegetativae specialis: formatio cellularum. Ergo. *Resp. Conc. mai.; dist. min.:* Et hae cellulae sunt eiusdem generis et formantur eodem modo, *nego;* et hae cellulae sunt diversi generis et formantur tribus actionibus specifice distinctis, *conc. Dist. consq.:* Si cellulae, quae formantur, essent eiusdem generis et formarentur eodem modo, *conc.;* si non [illegible], *nego.*

2. Atqui hae cellulae non formantur tribus actionibus specifice diversis. *Probo*. Non differunt inter se actiones, quae sunt ad eundem terminum. Atqui nutritio et augmentatio sunt ad eundem terminum. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Ad eundem terminum, qui per se primo attingitur, *conc.* ; qui non per se primo attingitur, *nego. Contradist. min.* (cf. n. 445).

A d 451. *S. Thomas* : « Tres sunt potentiae vegetativae partis. Vegetativum enim, ut dictum est, habet pro obiecto ipsum corpus vivens per animam : ad quod quidem corpus triplex animae operatio est necessaria. Una quidem, per quam esse acquirat : et ad hoc ordinatur potentia generativa. Alia vero, per quam corpus vivum acquirit debitam quantitatem : et ad hoc ordinatur vis augmentativa. Alia vero, per quam corpus viventis salvatur et in esse, et in quantitate debita : et ad hoc ordinatur vis nutritiva. Est tamen quaedam differentia attendenda inter has potentias. Nam nutritiva et augmentativa habent suum effectum in eo in quo sunt : quia ipsum corpus unitum animae augetur et conservatur per vim augmentativam et nutritivam in eadem anima exsistentem. Sed vis generativa habet effectum suum non in eodem corpore, sed in alio : quia nihil est generativum sui ipsius. Et ideo vis generativa quodammodo appropinquat ad dignitatem animae sensitivae, quae habet operationem in res exteriores, licet excellentiori modo et universaliori : supremum enim inferioris naturae attingit id quod est infimum superioris, ut patet per Dionysium, in 7 cap. De Div. Nom. Et ideo inter istas tres potentias finalior et principalior et perfectior est generativa, ut dicitur in II De anima [c. 4, 416 b 24 ; S. Thom. lect. 9 n. 347] : est enim rei iam perfectae facere alteram qualis ipsa est. Generativae autem deserviunt et augmentativa et nutritiva : augmentativae vero nutritiva » (S. th. I 78, 2).

Sectio II

DE ANIMA SENSITIVA

Caput I

DE ANIMA SENSITIVA SECUNDUM SE

Thesis 30 : *In animalibus omnibus inest anima sensitiva, quae unitur corpori ut forma substantialis.*

454. St. qu. 1. Animalium nomine intelligimus corpora viventia, quae non tantum vitam vegetativam, sed etiam sensitivam manifestant, sive sunt animalia rationalia (homines) sive bruta.

2. Thesis habet duas partes. Adversarii primae partis sunt : *a)* ii qui negant animalia vere sentire, ut Cartesius, qui affirmat bruta esse machinas tantum valde artificiosas, et quidam physiologi recentes (M. Verworn, I. Loeb, Bethe), qui brutorum motus ex cognitione et appetitione profectos tamquam « tropismos » habent, i. e. tamquam motus « reflexos » ex irritatione systematis nervei productos, qui contingerent sine sensatione ulla ; *b)* Materialistae, qui nullam omnino

animam admittunt et quamcumque vitam ex viribus communibus materiae et ex structura explicare praesumunt. Ita, data structura systematis nervei, vita sensitiva in materia latens extrinsecus appareret. Secunda pars negatur ab iis, qui, etsi admittunt vitae sensitivae principium substantiale speciale, hoc tamen nolunt esse formam substantialem in sensu scholasticorum, cum reiciant substantias incompletas. Ita Tongiorgi et Palmieri. Cf. n. 459.

455. Prob. th. I p. : In animalibus omnibus inest anima sensitiva : Exsensationibus animalium: Animalia omnia vere sentiunt. Atqui sensatio explicari nequit, nisi admittatur speciale principium vitae sensitivae seu anima sensitiva. Ergo in animalibus inest anima sensitiva.

Mai. quoad animalia rationalia seu homines evidenti testimonio conscientiae patet. Quoad animalia bruta ostenditur: *a)* ex analogia cum hominibus, tum ex eo, quod brutis insunt organa omnino similia iis, quibus in homine sensationes exercentur, ut systema nerveum, oculi etc., tum ex eo, quod similiter omnino se gerunt sicut homines, cum sensilibus afficiuntur et sensili affectione ducuntur. *b)* Ostenditur idem etiam directe : α) Multoties observamus in brutis motus, qui non possunt considerari tamquam motus reflexi, sed sunt motus spontanei, ex cognitione profecti. Nam si causa horum motuum non psychice, tamquam obiectum cognitum, sed mere physice consideratur, omnino deest proportio inter hanc causam et effectum seu motus inde secutos. Modus agendi canis, qui videt dominum suum, unice dependet ab apparentia externa, non a vehementia impressionis physicae. Sive dominus e longinquo stat, sive prope adest, ac proinde impressio physica in cane recepta modo est debilis, modo vehementior, hoc omnino non mutat modum agendi canis, dummodo figura externa, quae apparet, eadem maneat. Si vero haec quomodocumque mutatur, etiam modus agendi canis alius erit. In motibus autem reflexis accurata obtinet proportio inter vehementiam impressionis physicae et motum inde secutum, ut inter vehementiam lucis et contractionem pupillae hac luce causatam. β) Etiam motus brutorum, qui apparent tamquam tentamina ad inveniendum, quid sit conveniens, manifestantur tamquam motus ex cognitione profecti : canis inclusus hinc inde quaerit exitum, quo possit ad dominum suum pervenire. γ) Bruta determinantur in agendo experientia antecedenter facta ; quod ostendit bruta cognitione, immo perfectiore cognitione : perceptione et memoria, praedita esse.

Min. probatur ex indole sensationis, quae est operatio vitalis et alterius omnino ordinis, quam sunt operationes virium physicarum et chimicarum et vegetativarum (cf. infra n. 465, 1). Ergo repeti debet ab aliquo speciali principio alterius omnino ordinis, et quidem a principio substantiali, nam omnis activitatum diversitas tandem aliquando ad substantiae diversitatem reduci debet, ex qua promanat.

Prob. II p.: Haec anima sensitiva unitur corpori ut forma substantialis. Ex eo quod anima et corpus sunt unum operationis principium: Anima et corpus unum constituunt operationis principium seu unam naturam. Atqui non possunt constituere unam naturam, nisi anima sit forma corporis. Ergo anima unitur corpori ut forma substantialis eius.

Mai. eo probatur, quod sensatio non elicitur a sola anima, sed ab organo animato (cf. n. 478-481).

Min. patet ex n. 722-724.

456. Coroll. Ergo in animalibus inest anima, quae simul est sensitiva et vegetativa. Animalia enim non tantum sentiunt, sed etiam vegetantur; vegetationis autem principium substantiale est anima vegetativa. Sed in animalibus inest anima sensitiva, quae est forma corporis, ut probatum est in thesi. Ergo, cum non possint duae formae substantiales informare eandem materiam, haec anima sensitiva simul est vegetativa.

457. Schol. Plantas vita sensitiva carere negatur a Psychovitalistis, Hylozoistis, Panpsychistis. Attamen signa illa, ex quibus colligimus animalia sentire: organa sensus et motus spontanei, i e. ex appetitu sensitivo profecti, desunt in plantis. Quamquam enim motus plantarum non sunt uniformis tendentia ad aequilibrium, sicut est tota activitas non-viventium, numquam tamen se produnt tamquam ex cognitione profecti, sicut motus etiam imperfectissimorum animalium, quae hinc inde se movent experimenti gratia, ut experiantur, utrum aliquid eis conveniens sit necne. Omnia quae in plantis contingunt, optime explicantur ex viribus physicis et chimicis, prout subsunt directioni principii vitalis, tamquam motus reflexi (e. g. motus mimosae pudicae, cuius folium, si tangitur, statim se contrahit).

458. Obi. *Contra I p.* 1. Non in omnibus animalibus inest anima sensitiva, si motus locales externi, quibus animalia bruta se movent, bene explicantur ex irritatione mere physica peripheriae, quae ad nervum motorem transfertur. Atqui motus externi, quibus bruta se movent, bene ita explicantur. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si omnes motus ita explicantur, *conc.;* si aliqui tantum, *nego. Contradist. min.:* Omnes motus brutorum ita explicantur, *nego;* aliqui ita explicantur, *transeat.* Dicimus « transeat », quia dubitari potest, num revera aliqui motus ita causari possint ex irritatione peripheriae sine sensatione ulla; nam etiam motus reflexi sensatione introducuntur (cf. n. 512).

2. Atqui omnes motus, quibus bruta se movent, explicandi sunt tamquam motus reflexi, qui contingunt sine sensatione ulla. *Probo.* Si aliqui motus ita contingere possunt, omnes motus brutorum ita explicandi sunt; explicatio enim simplicior semper praeferenda est. Atqui aliquos motus ita contingere posse, non potest negari. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si plurimi motus brutorum non se manifestarent tamquam ex cognitione et appetitu elicito profecti, *conc.;* si plurimi ita se manifestant, *nego. Conc. aut transmitto min.; dist. consq.*

Contra II p. vide n. 257 528 533.

Bibliographia ad 454—457 : *A. Wenzl*, Das Leib-Seele-Problem, Leipzig 1933.

Ad 455. *Aristoteles* « dicit, quod primum dicitur aliquid esse animal propter sensum, licet animalia quaedam et sentiant et moveantur. Ea enim dicimus esse animalia, et non solum vivere, quae licet non mutent locum, tamen habent sensum [τὸ δὲ ζῷον διὰ τὴν αἴσθησιν πρώτως· καὶ γὰρ τὰ μὴ . . . ἀλλάττοντα τόπον, ἔχοντα δ' αἴσθησιν ζῷα λέγομεν : De an. II 2, 413 b 2]. Sunt enim multa animalium talia, quae naturaliter manent in eodem loco, et tamen habent sensum, sicut ostreae, quae non moventur motu progressivo. Secundo . . . ostendit quod inter alios sensus primo inest tactus animalibus [αἰσθήσεως δὲ πρῶτον ὑπάρχει πᾶσιν ἁφή : l. c. 413 b 4]. Quod probat ex hoc, quod, sicut vegetativum potest separari a tactu et ab omni sensu, sic tactus potest separari ab aliis sensibus. Multa enim sunt animalia, quae solum sensum tactus habent, sicut animalia imperfecta. Omnia autem animalia habent sensum tactus» (*S. Thom.* in l. c. lect. 3 n. 259 sq.).

Ad 456. « Dicit [*Aristoteles*] quod similiter se habent figurae et animae ad invicem ; in utrisque enim illud, quod est prius, est in potentia in eo quod est consequenter. Manifestum est enim in figuris, quod trigonum, quod est prius, est potentia in tetragono. Potest enim tetragonum dividi in duos trigonos. Et similiter in anima sensitiva, vegetativa est quasi quaedam potentia eius et quasi anima per se. Et similiter est de aliis figuris et aliis partibus animae» (Παραπλησίως δ' ἔχε τῷ περὶ τῶν σχημάτων καὶ τὰ κατὰ ψυχήν· ἀεὶ γὰρ ἐν τῷ ἐφεξῆς ὑπάρχει δυνάμει τὸ πρότερον ἐπί τε τῶν σχημάτων καὶ ἐπὶ τῶν ἐμψύχων, οἷον ἐν τετραγώνῳ μὲν τρίγωνον, ἐν αἰσθητικῷ δὲ τὸ θρεπτικόν . . . ἄνευ μὲν γὰρ τοῦ θρεπτικοῦ τὸ αἰσθητικὸν οὐκ ἔστιν : De an. II 3, 414 b 28. *S. Thom.* in l. c. lect. 5 n. 298). *S. Thomas* : « Impossibile est unius rei esse plures formas substantiales ; quia prima faceret ens actu simpliciter, et omnes aliae . . . accidentaliter advenirent subiecto iam exsistenti in actu . . . Forma enim perfectior dat materiae hoc, quod dat minus perfecta et adhuc amplius » (l. c. lect. 1 n. 224 sq.).

Thesis 31 : *Anima bruti non est per se subsistens.*

459. St. qu. 1. Supponimus distinctionem animalium in rationalia seu homines, quae intellectu sunt praedita, in quibus proinde inest anima non mere sensitiva, sed rationalis, et bruta, quae carent intellectu, et in quibus inest anima sensitiva tantum (cf. n. 513-515). De hac anima mere sensitiva dicimus eam non esse per se subsistentem. Thesis haec, ut per se patet, a fortiori valet de anima plantae.

2. Forma per se subsistens ea est, quae in esse non dependet a materia, ita ut possit exsistere sine materia, sicut anima humana, quae a corpore separata subsistit per se sine materia.

3. Adversarii sunt Plato et ii, qui, reiectis formis substantialibus, nihilominus vitam sensitivam bruti ab aliquo speciali principio substantiali repetunt. Hi philosophi, cum non possint capere entitatem substantialem incompletam et in esse a materia dependentem, ponunt animam bruti esse substantiam completam, quae non oriatur nisi per

creationem, desinat per annihilationem et nonnisi accidentaliter uniatur corpori. Ita Tongiorgi. Palmieri idipsum non tantum de anima bruti, sed etiam de anima plantae docet, cum Tongiorgi vitam plantae ex viribus physicis et chimicis nitatur explicare, reiecta anima.

460. Prob. th. Ex modo agendi bruti : Agere sequitur esse. Atqui anima bruti nullam habet operationem a materia independentem. Ergo etiam in esse dependet a materia.

Prob. min. Operationes animae bruti sunt vegetativae et sensitivae, quae non exercentur nisi dependenter a materia : proficiscuntur ab organo animato, i. e. a composito ex materia et forma, non vero a sola anima. Hoc exinde patet, quod non versantur nisi circa res materiales, prout materiales sunt. Etiam intellectus humanus versatur circa res materiales, at non prout materiales sunt, sed prout sunt abstractae.

461. Schol. Thesis adversariorum ad mirabiles ducit consequentias : Anima bruti (et plantae) esset substantia spiritualis, intellectu praedita et immortalitate naturali donata ; quae esset substantia spiritualis omnino completa (spiritus purus), corpori non unita nisi accidentaliter.

462. Obi. Omnis substantia est per se subsistens. Atqui anima bruti est substantia. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Substantia completa, *conc. ;* incompleta, *subdist. :* Materialis, *nego ;* immaterialis, *conc. Contradist. min.*

Alias difficultates vide n. 257 528 533.

Ad 460. *S. Thomas :* « Aristoteles [De an. III 4 ; cf. S. *Thom.* lect. 7] posuit, quod solum intelligere, inter opera animae, sine organo corporeo exercetur. Sentire vero, et consequentes operationes animae sensitivae, manifeste accidunt cum aliqua corporis immutatione ; sicut in videndo immutatur pupilla per speciem coloris ; et idem apparet in aliis. Et sic manifestum est quod anima sensitiva non habet aliquam operationem propriam per seipsam, sed omnis operatio sensitivae animae est coniuncti. Ex quo relinquitur quod, cum animae brutorum animalium per se non operentur, non sint subsistentes : similiter enim unumquodque habet esse et operationem » (S. th. I 75, 3). « Delectationes brutorum animalium omnes referuntur ad conservantia corpus : non enim delectantur in sonis, odoribus et aspectibus, nisi secundum quod sunt indicativa ciborum vel venereorum, circa quae est omnis eorum delectatio. Tota igitur operatio eorum ordinatur ad conservationem esse corporei sicut in finem. Non igitur est eis aliquod esse absque corpore » (C. g. II 82). Cf. text. cit. ad 479 514 543.

Caput II

DE POTENTIIS ANIMAE SENSITIVAE

Quaestio I: *De cognitione in genere.*

§ 1. De radice et de ratione formali cognitionis

Thesis 32: *Radix cognitionis est immaterialitas.*

463. St. qu. 1. Quid sit cognitio, unusquisque in seipso experitur. Quare omnis homo conceptum cognitionis habet clarum, etsi confusum. Philosophi est conceptum hunc confusum in distinctum convertere. Reflexione et analysi accurata ipsius actus cognitionis et comparatione cognoscentis cum non-cognoscente notae essentiales cognitionis explicandae sunt. Qui hanc reflexionem et comparationem instituit, in eo differentiam inter cognoscens et non-cognoscens inveniet, quod non-cognoscens ad suam formam coarctatur, cognoscens vero praeter suam formam etiam aliarum rerum formas habere potest. Nam cognitio omnis fit per notas rei, i. e. per determinationem eius seu per formam. Indeterminatum enim seu potentiale, ut tale, non est cognoscibile. Quod non est factum, i. e. mere potentiale, non cognoscimus nisi mediante actu in quem ordinatur. Cognoscens igitur praeter suam formam, qua est id quod est, habet etiam formas rerum aliarum, quas cognoscit. Et habet has formas ut alienas, ut sibi oppositas et obiectas, i. e. habet eas obiective. Sunt alienae et tamen supereminenter suae. Etiam non-cognoscens formas recipit; at non recipit obiective, sed subiective tantum: Habet has formas in se tamquam suas, non vero obiciuntur ei tamquam alterius. Ita cera, recipiendo formam sigilli, non habet hanc formam ut alterius, sed ut suam; est enim cera formata seu figurata; cognoscens vero, cognoscendo rem a se diversam et distinctam, recipit et habet eius formam, ut est diversa et distincta a se, relinquendo eam in sua « alietate » (in suo « aliud esse ») seu obiectivitate; quod enim visus videt, non est figura visus seu visus figuratus, sed figura sigilli, ut sigilli est. Cognoscens igitur non determinatur ad suum esse, sicut non-cognoscens, sed crescit quasi in infinitum, quatenus eadem obiecta, quae in rerum natura exsistunt, etiam in cognoscente incipiunt esse obiective, intentionaliter. Eadem obiecta, quae in rerum natura habent esse physicum, in cognoscente accipiunt esse psychicum, esse cognitum, ita ut idem obiectum (etiam idem numero) duplicem habeat modum essendi: physicum in rerum natura, et psychicum in

cognoscente. Idem numero sonus, qui est in campana, est etiam in cognitione: cognoscitur enim campanae sonus.

2. Immaterialitas non sumitur a nobis pro independentia a materia prima, sed pro independentia maiore vel minore a potentialitate, a coarctatione per potentialitatem, quae convenire potest etiam rebus corporeis. Et hanc immaterialitatem dicimus radicem cognitionis, sumendo radicem non stricte pro eo, ex quo proprie profluit cognitio, sed pro constitutivo formali cognitionis et gradus cognoscitivi.

464. Prob. th. Ex notione cognitionis: Cognoscentia sunt, quae praeter suam formam possunt habere formas rerum aliarum ut aliarum seu esse alia a se. Atqui radix, cur aliquid possit habere praeter suam formam rerum aliarum formas, est immaterialitas. Ergo immaterialitas est radix cognitionis.

Prob. min. a) Habere formam suam et aliam est ex amplitudine naturae, ergo ex immaterialitate. Nam materia seu potentialitas est principium coarctationis seu limitationis, potentialitas enim essentialiter imperfectionem seu limitationem dicit. Ideo remotione a materia seu eminentia super potentialitatem contrarium accidit: res amplitudinem quandam acquirit, ut possit esse praeter se etiam alia seu fieri alia.

b) Habere in se aut recipere in se alia ut alia, est recipere non-compositive, quo constitueretur aliquod tertium ex recipiente et recepto (sicut ex cera et figura constituitur cera figurata), sed obiective, ita ut non constituatur aliquod tertium, sed ut recipiens sit ipsa res (sicut visus in actu est ipsa figura sigilli: habet enim «esse visum» in visu). Hoc autem est recipere immaterialiter, i. e. non ut potentia, quae recipit actum et actuatur per eum (ita enim constitueretur tertium), sed ut actus, qui obiective fit idipsum, quod recipit seu cognoscit. Sed recipere immaterialiter non potest nisi id, quod saltem aliquo modo super materiam eminet; quidquid enim recipitur ad modum recipientis recipitur, et id quod omnino materialiter recipit, omnino materiale est.

465. Coroll. 1. Ergo cognitio in eo consistit, quod forma aliqua recipitur et habetur immaterialiter, i. e. modo superemineni super potentialitatem, seu in eo, quod subiectum cognoscens habet formam non compositive, non tamquam evolutionem seu actuationem subiecti, sed modo eminentiore, i. e. obiective. Forma enim potest recipi et haberi imperfecte: materialiter, subiective, et perfecte: immaterialiter, obiective (intentionaliter, psychice). Primo modo habetur a non-cognoscente, altero modo habetur a cognoscente.

Cum haec receptio et possessio immaterialis formarum sit aliquid omnino sui generis quod prorsus supergreditur ordinem virium mechanicarum et physicarum et chimicarum et totum ordinem vegeta-

tivum, patet potentias cognoscitivas esse potentias speciales, omnino diversas a potentiis vegetativis et a viribus mechanicis et physicis et chimicis, ac proinde perabsurdum esse, velle explicare cognitionem mechanice aut ex viribus physicis et chimicis et vegetativis.

2. Ergo cognitio est perfectio simpliciter simplex, nullam includens imperfectionem in conceptu suo formali. Cognoscere enim est habere formam (perfectionem, actum) immaterialiter, i. e. modo perfecto, ita ut habens formam in habendo non se habeat ut potentia actuata per formam, ut imperfectum, quod perficitur per formam, sed ut perfectum, ut actus, qui possidet actum, ut immateriale, quod immaterialiter habet actum, ut supereminens super potentialitatem, quod modo supereminenti super potentialitatem habet actum.

3. Ergo cognitio non consistit in receptione speciei impressae (contra Aegidium Romanum), neque in quacumque entitate passive recepta et passive inhaerente, ita enim consisteret in receptione et possessione materiali formae; sed cognitio omnis creata, quae fit cum transitu de potentia in actum, necessario oritur causalitate efficiente subiecti cognoscentis, quod in se efficienter producit cognitionem, neque cognitio perdurat nisi sub iugi influxu efficiente subiecti cognoscentis. Ex quo etiam deducitur, actum cognitionis numquam mere passive infundi posse.

4. Ergo potentia cognoscitiva est potentia operativa, quae ex se efficienter cognitionem producit. Hoc tamen non obstante dicitur passiva duplici ex ratione: *a)* quia eius operatio est immanens seu manet in ipsa potentia tamquam passio eius; *b)* quia non transmutat obiectum suum, sicut potentia vegetativa, quae transmutat alimentum, sed transmutatur ab obiecto recipiendo speciem impressam.

5. Ergo gradus cognitionis sunt gradus immaterialitatis. Primus gradus est gradus cognitionis sensitivae. Hic gradus immaterialiter recipit formas concretas corporeas. Nam formae corporeae concretae, affectiones sensiles corporum sunt obiectum cognitionis sensitivae. Hic gradus infimus est, in quo receptio immaterialis formarum maxime est limitata. Limitatur enim ad formas corporeas, et ad formas corporeas concretas individuas. Secundus gradus est cognitio intellectualis humana. Hic gradus altior est. Recipit quidem etiam intellectus humanus formas corporeas, cum eius obiectum proprium, quod immediate cognoscit, sit corporeum, sensile. Nam intellectus humanus incipit a cognitione sensitiva, quam intellectualiter elaborat; id quod est pure spirituale, non potest cognoscere nisi mediate et imperfecte ad instar rerum corporearum. Sed quia elaborat intellectualiter obiectum propositum a cognitione sensitiva, ideo formas corporeas non concrete recipit, sed abstractas ab iis, quae in rerum natura iis accidunt neque ad earum essentiam pertinent. Quapropter essentiam cognoscit universalem, necessariam. Cum igitur sensus totum concretum

apprehendat, quin concretionem hanc solvat seu distinguat uniuscuiusque essentiam ab iis, quae ad essentiam non pertinent, intellectus hanc distinctionem peragit intelligendo, quid unaquaeque res sit, i. e. apprehendendo quidditatem. Ideo obiectum proprium, immediatum intellectus humani est corporeum, prout incorporeo modo, abstracte, secundum quidditatem suam cognoscitur. Tertius gradus est intellectus animae separatae (et angeli), cuius obiectum est propria substantia spiritualis tamquam forma subsistens irrecepta. Quartus gradus est intellectus divinus, cuius obiectum est ipse Deus, actus purus.

Cum cognitio sit perfectio simpliciter simplex, imperfectio, quae inferioribus cognitionis gradibus adhaeret, non provenit ex cognitione ut sic, sed ex cognitione, quatenus est talis cognitio: limitata, imperfecta.

466. Schol. 1. Immaterialitas, quae est radix cognitionis, immo quae est ratio formalis constitutiva ipsius potentiae cognoscitivae et ipsius cognitionis, est eminentia super potentialitatem in recipiendis seu habendis formis, quatenus potentialitas in recipiendo est radix incommunicabilitatis seu causa, ob quam forma, sive substantialis sive accidentalis, recepta determinatur, ut sit recipientis neque possit recipi ut alterius seu ut obiectum (cf. n. 386-389). Ideo forma cognita dicitur esse in cognoscente immaterialiter, sine materia, quatenus cognoscens in habenda forma non est potentia actuata a forma, sed est ipsum obiectum cognitum, quatenus forma cogniti est in cognoscente modo supereminenti super unionem subiectivam et compositivam. Quo habetur unio omnium maxima, maior illa unione, quae intercedit inter materiam et formam: materia enim non fit forma, cognoscens autem fit obiectum cognitum, ita ut non exoriatur tertium (Averrhoës [1126—1198] [1]).

Haec unio intelligenda est de unitate identitatis in ordine intentionali, quae transcendit realem distinctionem in ordine physico. Quae in ordine physico realiter distinguuntur, in ordine psychico seu intentionali identificantur. Cognoscens enim est ipsum obiectum cognitum a se divisum et distinctum in ordine physico. Nam obiectum, quod est in cognitione, quod habet esse cognitum in cognoscente, cum actu cognoscente identificatur; habet enim eius esse, esse cognitum. Sed haec unio non est intelligenda per modum transmutationis, ita ut cognoscens, amittendo suam formam, suum esse, aliam formam et aliud esse acquireret; nam praeter suam formam habet formas rerum aliarum. Est ergo haec unitas intelligenda per modum incrementi intentionalis. Subiectum cognoscens, manens id,

---

[1] De anima III, comm. V, Disgressionis parte ult., in solut. q. 2; Metaph. XII, comm. XXXIX.

quod est, insuper fit aliud et aliud, seu acquirit aliud et aliud esse intentionaliter. Neque haec unio est compositiva, sed obiectiva. Quae enim ita uniuntur cognoscenti, non fiunt aliquid cognoscentis subiective, sed cognoscens fit et est haec omnia obiective seu intentionaliter, i. e. eadem obiecta (etiam eadem numero), quae habent esse cognitum (esse psychicum) in cognoscente ac proinde identificantur cum eo, in rerum natura habent esse physicum realiter distinctum a cognoscente. Quare hac unione cognoscens acquirit aliud et aliud esse intentionaliter et est obiecta cognita non physice, sed psychice seu intentionaliter et obiective, i. e. est obiecta cognita, ut alia sunt: manet physica distinctio et fit identitas intentionalis secundum esse cognitum. Quo distinguitur omnino haec unio et identitas a quacumque identitate monistica et panpsychistica, qua cognoscens cum obiectis cognitis identificatur physice, ita ut haec non sint alia ab ipso, sed sint in ipso subiective (compositive) tamquam aliquid eius: « Anima est quodammodo omnia »[1], « quodammodo », i. e. obiective.

2. Proportio inter subiectum cognoscens et obiectum cognitum. Cum cognitio consistat in eo, quod cognoscens fit seu est ipsum obiectum cognitum, patet cognitum et cognoscens omnino proportionata esse in modo essendi: Obiectum formale eundem essendi modum habet quam cognoscens. Tres distinguimus modos essendi: Est modus essendi corporeus, concretus; et est modus essendi spiritualis; qui ipse duplex est: eius, quod est spirituale, sed concorporatum, et eius, quod est omnino spirituale, non concorporatum. Ita distinguimus triplex cognoscens: Est cognoscens, quod est omnino corporeum, concretum — sensus, qui est qualitas concreta, corporea; eius obiectum formale est corporeum, concretum: qualitas corporea concreta. Et est cognoscens spirituale, sed concorporatum — intellectus animae humanae corpori coniunctae; eius obiectum formale est spirituale concorporatum: quidditas corporea abstracta (spiritualizata). Et est cognoscens omnino spirituale, non concorporatum — intellectus animae separatae; eius obiectum formale est omnino spirituale, non concorporatum: substantia ipsa animae separatae.

3. Cognitio alterius, cognitio sui ipsius. Forma habetur immaterialiter aut ab alio, est in alio: haec est cognitio alterius; aut habetur a se, est in se, i. e. subsistit: haec est cognitio sui. Quatenus forma subsistit immaterialiter, i. e. non recepta in materia, habet seipsam immaterialiter seu ut forma. Forma enim, quae non est in se, sed in alio, in eo potest esse immaterialiter aut materialiter; ita figura est in visu immaterialiter, in cera autem materialiter tamquam actus cerae seu evolutio potentialitatis cerae. Sed forma, quae est in se, necessario semper est immaterialiter in se,

---

[1] Ἡ ψυχὴ τὰ ὄντα πώς ἐστι πάντα [illegible] De an. III 8, 431 b 21.

quia per subsistentiam formae removetur omnis potentia, quacum communicaretur et cuius evolutio esset : cum nullo omnino communicatur subiecto, ac proinde est in se immaterialiter seu obiective, i. e. cognoscit se. Forma igitur subsistens est substantialis cognitio sui ipsius — sive in actu primo, si forma subsistens est actus primus, sive in actu secundo, si forma subsistens est actus secundus seu esse subsistens. Esse subsistens (Deus) est intelligere actuale subsistens sui ipsius ; forma subsistens, i. e. actus primus subsistens (angelus, anima separata), est subsistens intelligere sui in actu primo seu radicale, i. e. substantia, ex qua promanat intellectus determinatus ad hanc substantiam iugiter cognoscendam perfecte seu quidditative et comprehensive. Forma autem potest subsistere simpliciter, sicut anima humana separata a corpore, aut secundum quid, sicut anima humana coniuncta corpori, quae subsistit secundum intellectum, quem non communicat cum corpore. Subsistentia simpliciter fundat sui cognitionem directam, subsistentia autem secundum quid cognitionem sui reflexam fundat (cf. n. 561-564).

467. Obi. 1. Immaterialitas est aliquid, sine quo invenitur cognitio. Atqui id, sine quo invenitur cognitio, non est radix cognitionis. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Immaterialitas, quae est spiritualitas, *conc.* ; immaterialitas, quae est eminentia super potentialitatem in recipiendis et habendis formis, *nego. Conc. min.* ; *dist. consq.*

2. Atqui immaterialitas, quae est eminentia super potentialitatem in recipiendis formis, non est radix cognitionis. *Probo.* Si sensus recipiunt formas omnino materialiter, immaterialitas illa non est radix cognitionis. Atqui sensus recipiunt formas omnino materialiter. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Si organa sensus recipiunt omnino materialiter, *nego* ; si ipsa potentia sensitiva recipit omnino materialiter, *conc. Contradist. min.* (cf. n. 481).

3. Atqui neque potentia sensitiva recipit formas immaterialiter. *Probo.* Potentia organica non recipit formas immaterialiter. Atqui sensus est potentia organica. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Potentia organica, quae nullam habet eminentiam super potentialitatem in recipiendis formis, *conc.* ; potentia organica, quae habet aliquam eminentiam super potentialitatem, *nego. Contradist. min.*

4. Atqui haec eminentia super potentialitatem in recipiendis formis repugnat. *Probo.* Repugnat unum recipere formam alterius, ut alterius est. Atqui haec eminentia super potentialitatem in recipiendis formis in eo consisteret, quod unum reciperet formam alterius, ut alterius est. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : In ordine physico, *conc.* ; in ordine psychico seu intentionali, *nego. Contradist. min.*

5. Atqui etiam in ordine intentionali hoc repugnat. *Probo.* Etiam in ordine intentionali repugnat ea, quae sunt distincta inter se realiter, realiter tamen idem esse. Atqui cognoscens, quod recipit formam alterius ut alterius, cum eo, a quo distinguitur realiter, realiter tamen idem esset. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Repugnat ea, quae secundum esse physicum sunt distincta inter se realiter, realiter idem esse secundum esse intentionale, *nego* ; repugnat ea, quae secundum esse physicum sunt distincta inter se realiter, realiter idem esse secundum esse physicum, *conc. Contradist. min.* : Cum eo, a quo secundum esse physicum distinguitur realiter, realiter est idem secundum esse intentionale, *conc.* ; cum eo, a quo secundum esse physicum distinguitur realiter, realiter idem est secundum esse physicum, *nego.*

Bibliographia ad 463—466 : *N. Balthasar*, «Cognoscens fit aliud in quantum aliud», RNSPh 25 (1923) 294—310. *Id.*, Quelques précisions au sujet de la connaissance de l'autre, l. c. 430—441. *E. Commer*, Der Erkenntnisgrund, JPhTh 1 (1887) 252—267. *R. Garrigou-Lagrange*, «Cognoscens quodammodo fit vel est aliud a se», l. c. 420—430. *J. Gredt*, Das Erkennen, JPhTh 12 (1898) 408—420. *Id.*, De unione omnium maxima inter subiectum cognoscens et obiectum cognitum, Xenia thomistica I, Romae 1925, 303—318. *C. Henry*, Immatérialité et intellectualité, RTh 21 (1913) 552—571. *M. S. Morard*, De la connaissance, FZPhTh. 3 (1956) 388—406 ; 4 (1957) 197—200. *J. Péghaire*, Qu'est-ce que connaître?, RUO 9 (1939) 64—95. *A. D. Sertillanges*, L'idée générale de la connaissance dans saint Thomas d'Aquin, RSPhTh 2 (1908) 449—465. *H. D. Simonin*, L'identité de l'intellect et de l'intelligible dans l'acte d'intellection, Ag 7 (1930) 218—248. *Id.*, Immatérialité et Intellection, l. c. 460—486. *Id.*, La notion d'«intentio», RSPhTh 19 (1930) 445—463. *Id.*, La connaissance de l'Ange par lui-même, Ag 9 (1932) 43—62. *E. T. Toccafondi*, Immaterialità e conoscenza, Ag 14 (1937) 497—515.

Ad 463 sqq. *Aristoteles* dicit, «quod hoc oportet accipere, universaliter et communiter omni sensui inesse, quod sensus est susceptivus specierum sine materia, sicut cera recipit signum anuli sine ferro et auro [ἡ μὲν αἴσθησίς ἐστι τὸ δεκτικὸν τῶν αἰσθητῶν εἰδῶν ἄνευ τῆς ὕλης : De an. II 12, 424 a 17]. Sed hoc videtur esse commune omni patienti. Omne enim patiens recipit aliquid ab agente, secundum quod est agens. Agens autem agit per suam formam et non per suam materiam ; omne igitur patiens recipit formam sine materia. Et hoc etiam ad sensum apparet, non enim aër recipit ab igne agente materiam eius, sed formam ; non igitur videtur hoc proprium esse sensus, quod sit receptivus specierum sine materia. Dicendum igitur, quod, licet hoc sit commune omni patienti, quod recipiat formam ab agente ; differentia tamen est in modo recipiendi. Nam forma, quae in patiente recipitur ab agente, quandoque quidem habet eundem modum essendi in patiente, quem habet in agente ; et hoc quidem contingit, quando patiens habet eandem dispositionem ad formam, quam habet agens ; quodcumque enim recipitur in altero, secundum modum recipientis recipitur. Unde si eodem modo disponatur patiens sicut agens, eodem modo recipitur forma in patiente sicut erat in agente ; et tunc non recipitur forma sine materia. Licet enim illa et eadem materia numero quae est agentis, non fiat patientis, fit tamen quodammodo eadem, inquantum similem dispositionem materialem ad formam acquirit ei, quae erat in agente. Et hoc modo aër patitur ab igne, et quicquid patitur passione naturali. Quandoque vero forma recipitur in patiente secundum alium modum essendi, quam sit in agente ; quia dispositio materialis patientis ad recipiendum non est similis dispositioni materiali, quae est in agente. Et ideo forma recipitur in patiente sine materia, inquantum patiens assimilatur agenti secundum formam et non secundum materiam. Et per hunc modum sensus recipit formam sine materia, quia alterius modi esse habet forma in sensu et in re sensibili. Nam in re sensibili habet esse naturale, in sensu autem habet esse intentionale et spirituale» (*S. Thom.*, In De an. II lect. 24 n. 551 sqq.). Radicem cognitionis *Aristoteles* ibidem indicat movendo quaestionem, cur «plantae non sentiant, cum tamen habeant quandam partem animae et patiantur a quibusdam sensibilibus, scil. a tangibilibus. Causa igitur, quare non sentiant, est, quia non est in eis illa proportio, quae requiritur ad sentiendum. Non enim habent

medietatem secundum complexionem inter tangibilia, quae requiritur ad organum tactus, sine quo nullus sensus esse potest : et ideo non habent in se huiusmodi principium, quod potest recipere species "sine materia", scil. sensum. Sed accidit eis pati cum materia, scil. secundum materialem transmutationem » (διὰ τί ποτε τὰ φυτὰ οὐκ αἰσθάνεται, . . . αἴτιον γὰρ τὸ μὴ ἔχειν . . . τοιαύτην ἀρχὴν οἵαν τὰ εἴδη δέχεσθαι τῶν αἰσθητῶν, ἀλλὰ πάσχειν μετὰ τῆς ὕλης : De an. II 12, 424 a 32. *S. Thom.* l. c. n. 557 ; cf. lect. 5 n. 282 sqq.). *S. Thomas :* « Res aliqua invenitur perfecta dupliciter. Uno modo secundum perfectionem sui esse, quod ei competit secundum propriam speciem. Sed quia esse specificum unius rei est distinctum ab esse specifico alterius rei, ideo in qualibet re creata huiusmodi perfectioni habitae in unaquaque re, tantum deest de perfectione simpliciter, quantum perfectius in aliis speciebus invenitur ; ut cuiuslibet rei perfectio in se consideratae sit imperfecta, veluti pars totius perfectionis universi, quae consurgit ex singularum rerum perfectionibus, invicem congregatis. Unde ut huic imperfectioni aliquod remedium esset, invenitur alius modus perfectionis in rebus creatis, secundum quod perfectio, quae est propria unius rei, in altera re invenitur ; et haec est perfectio cognoscentis, inquantum est cognoscens ; quia secundum hoc a cognoscente aliquid cognoscitur, quod ipsum cognitum aliquo modo est apud cognoscentem ; et ideo in III De anima [c. 8, 431 b 21 ; S. Thom. lect. 13] dicitur, animam esse quodammodo omnia, quia nata est omnia cognoscere. Et secundum hunc modum possibile est, ut in una re totius universi perfectio exsistat. Unde haec est ultima perfectio, ad quam anima potest pervenire, secundum philosophos, ut in ea describatur totus ordo universi et causarum eius ; in quo etiam finem ultimum hominis posuerunt, qui secundum nos, erit in visione Dei . . . Perfectio autem unius rei in altera esse non potest secundum determinatum esse quod habebat in re illa ; et ideo ad hoc quod nata sit esse in re altera, oportet eam considerare absque his quae nata sunt eam determinare. Et quia formae et perfectiones rerum per materiam determinantur, inde est quod secundum hoc est aliqua res cognoscibilis, secundum quod a materia separatur ; unde oportet quod etiam id, in quo suscipitur talis rei perfectio, sit immateriale ; si enim esset materiale, perfectio recepta esset in eo secundum aliquod esse determinatum ; et ita non esset in eo secundum quod est cognoscibilis, scil. prout exsistens perfectio unius est nata esse in altero. Et ideo erraverunt antiqui philosophi, qui posuerunt simile simili cognosci, volentes, secundum hoc, quod anima, quae cognoscit omnia, ex omnibus naturaliter constitueretur : ut terra terram cognosceret, aqua aquam, et sic de aliis. Putaverunt enim quod perfectio rei cognitae in cognoscente habeat esse determinatum, secundum quod habet esse determinatum in propria natura. Non autem ita recipitur forma rei cognitae in cognoscente ; unde et Commentator dicit in III De anima, quod non est idem modus receptionis quo formae recipiuntur in intellectu possibili et in materia prima, quia oportet in intellectu cognoscente recipi aliquid immaterialiter ; et ideo videmus, quod secundum ordinem immaterialitatis in rebus, secundum hoc in eis natura cognitionis invenitur : plantae enim et alia quae infra plantas sunt, nihil immaterialiter possunt recipere, et ideo omni cognitione privantur, ut patet II De anima [c. 12, v. supra] ; sensus autem recipit species sine materia, sed tamen cum conditionibus materialibus ; intellectus autem etiam a conditionibus materialibus species depuratas recipit. Similiter est etiam ordo in cognoscibilibus : res enim materiales, ut Commentator dicit, non sunt intelligibiles, nisi quia nos facimus eas intelligibiles : sunt enim intelligibiles in potentia tantum ; sed actu intelligibiles efficiuntur per lumen intellectus agentis, sicut et colores actu visibiles per lumen solis ; sed res immateriales sunt intelligibiles per seipsas ; unde sunt magis notae secundum naturam, quamvis minus notae nobis. Quia igitur Deus est in fine separationis a materia, cum ab omni potentialitate sit penitus immunis, relinquitur quod

ipse est maxime cognoscitivus et maxime cognoscibilis ; unde eius natura secundum hoc, quod habet esse realiter, secundum hoc competit ei ratio cognoscibilitatis. Et quia secundum hoc etiam Deus est secundum quod natura sua est sibi, secundum hoc etiam cognoscit secundum quod natura sua est maxime cognoscitiva ; unde Avicenna dicit in VIII suae Metaph., quod ipse intellector et apprehensor sui est, eo quod sua quidditas spoliata, scil. a materia, est res quae est ipsemet » (Ver. 2, 2 ; cf. S. th. I 14, 1 ; 80, 1 ; 85, 1 ; C. g. I 44 : Item, Ex hoc ; III 51 ; Ad huius ; Q. d. an. a. 13 [cit. ad 502]).

§ 2. De specie impressa et expressa

Thesis 33 : *Ad actum potentiae cognoscitivae creatae, quo cognoscit alia a se, requiritur species impressa et plerumque etiam species expressa.*

468. St. qu. 1. Cum cognitio creata oriatur et perduret causalitate efficiente subiecti cognoscentis (cf. n. 465, 3), cognitio creata est operatio, qua cognoscens fit et est ipsum obiectum cognitum in actu secundo. Sed nequit cognoscens fieri obiectum cognitum in actu secundo, nisi illud iam fuerit in actu primo. Potest autem cognoscens esse obiectum cognitum in actu primo aut per identitatem, per suam ipsius entitatem (cf. schol. 1), aut per informationem, per communicationem ab extrinseco. Quae informatio aut immediata est, ita ut obiectum, immediate per seipsum informando potentiam, constituat eam in actu primo (quod in visione beata contingere theologi docent), aut mediata, ita ut obiectum informet mediante sui similitudine. Et haec similitudo seu forma vicaria obiecti vocatur species impressa. Species igitur impressa est forma vicaria obiecti, qua potentia cognoscitiva actuatur et determinatur ad obiectum cognoscendum. Species impressa potentiam cognoscitivam duplici modo informat : entitative seu materialiter, et cognoscitive seu immaterialiter. Species impressa informat entitative. Nam est forma realis actuans et determinans potentiam et constituens cum ea aliquod tertium : potentiam actuatam, determinatam. Sed species constituit etiam potentiam ipsum obiectum cognitum et ita informat cognoscitive. Species determinat potentiam materialiter et superdeterminat eam immaterialiter, ita ut non oriatur tertium, sed ut potentia constituatur aliud a se. Mediante specie impressa cognoscitive informante forma obiecti fit forma potentiae, et ita potentia constituitur ipsum obiectum.

Est quidem absurdum in ordine physico formam unius transire in aliud. Forma enim non migrat de subiecto in subiectum. Calor fornacis non migrat in manum, sed ibi producit sui simile tantum. In ordine autem psychico hoc est factum evidens. Calor fornacis recipitur in cognoscente, nam fornacis calor cognoscitur, ac proinde est in cognoscente. Eadem numero forma unius migrat in aliud. Iam vero id, quod conscientia teste observamus in actu secundo, ad

actum primum transferendum est, dictante principio causalitatis: Quidquid est in actu secundo, in actu primo iam praehabetur virtualiter. Quare mediante specie impressa forma obiecti in actu primo iam recipitur in potentia cognoscitiva, et potentia mediante specie cognoscitive informante constituitur ipsum obiectum in actu primo.

Cum species impressa sit cognitionis principium, species expressa est eius terminus, et est rei cognitae similitudo, quae cognoscendo producitur, et in qua cognoscens contemplatur obiectum cognitum. Quare est medium « in quo », cum species impressa sit medium « quo ». Species expressa est signum rei, at non est signum instrumentale, seu ex quo (quod prius cognitum ducit in cognitionem alterius), sed formale, seu in quo (in quo immediate cognoscitur id, quod repraesentat sine praevia sui cognitione), « est enim tamquam speculum, in quo res cernitur, sed non excedens id, quod in eo cernitur » (Opusc. [14] De nat. verbi intell.). Species expressa a phantasia producta dicitur phantasma, species expressa ab intellectu producta dicitur verbum mentis. Verbum est idem quod conceptus formalis (cf. n. 7), et est id, in quo intellectus cognoscit conceptum obiectivum seu obiectum formaliter intellectum.

2. A scholasticis communiter admittitur species impressa pro actu cognitionis potentiae cognoscitivae creatae, qua cognoscit alia a se. Similiter etiam admittitur in cognitione produci, saltem plerumque, speciem expressam. In extrema oppositione ad hanc doctrinam est idealismus monisticus, secundum quem omnis cognitio sine communicatione ab extrinseco ulla, omnino ab intrinseco ex subiecto cognoscente contingeret.

469. Prob. th. I p.: Ad actum potentiae cognoscitivae creatae, quo cognoscit alia a se, requiritur species impressa. Ex natura huius cognitionis: Ad actum potentiae cognoscitivae, quae in actu primo non est alia a se neque per identitatem neque per informationem immediatam, requiritur species impressa. Atqui potentia cognoscitiva creata non est alia a se neque per identitatem neque per informationem immediatam. Ergo requiritur species impressa.

Mai. patet ex st. qu. Potentia cognoscitiva debet esse obiectum cognitum aut per identitatem aut per communicationem ab extrinseco, i. e. per informationem; informatio autem est aut immediata aut mediata seu species impressa.

Prob. min. quoad 1. p. Potentia cognoscitiva, quae ad suam determinatam et limitatam entitatem coarctatur, non est alia a se per identitatem. Atqui potentia cognoscitiva ad suam determinatam et limitatam entitatem coarctatur. Ergo.

Prob. min. quoad 2. p. Similiter potentia cognoscitiva non est alia a se (saltem finita) per informationem immediatam. Forma enim non migrat de subiecto in subiectum physice, ita ut actus unius fieret

actus alterius physice seu entitative. In informatione autem immediata forma migraret in potentiam physice, quia deberet constituere cum ea tertium aliquod : potentiam actuatam, potentiam determinatam. Hoc autem impossibile est, quia forma ad suum esse coarctatur et limitatur : est essentialiter ita forma seu actus huius subiecti, ut non possit fieri alterius. Quapropter etiam cum obiectum unitur potentiae per contactum immediatum cum organo, ut fit in cognitione tactus et gustus, immo in cognitione omnium sensuum externorum, tamen obiectum non fit per seipsum forma et determinatio potentiae, sed producit aliquid a se distinctum in potentia seu efficit speciem [1].

Prob. II p. : Plerumque requiritur species expressa. Ex necessitate termini : Necesse est potentiam habere terminum, in quem cognoscendo feratur ; itaque si terminus non adest, ipsa potentia cognitione sua eum producit, in quo exerceat cognitionem, id est producit speciem expressam. Sed saepe terminus non adest. Ergo plerumque requiritur species expressa.

Prob. min. Terminus non adest potentiae, si haec fertur in obiectum sub ratione, quae abstrahit a praesentia obiecti, et si obiectum non est proportionatum potentiae ; sed hoc contingit in cognitione tum sensitiva tum intellectiva. Tum intellectus tum sensus aliqui (phantasia, aestimativa, memoria sensitiva) referuntur ad obiecta sub respectu, qui abstrahit a praesentia obiecti. Et tum intellectus tum sensus enumerati referuntur ad obiectum suum sub altiore modo, ita ut obiectum, sicut in rerum natura exsistit, non respondeat simpliciter obiecto, prout est terminus cognitionis. Ita obiectum intellectus humani est quidditas corporea abstractione spiritualizata ; obiectum phantasiae essentialiter est « repraesentatum » hoc vel illo modo ; obiectum aestimativae est res sub respectu utilis et nocivi ; obiectum memoriae est obiectum ut « recognitum ».

470. Coroll. 1. Ergo potentia cognoscitiva non haurit cognitiones suas ex seipsa. Hoc non potest convenire nisi enti infinito, quod ut causa prima est omnia alia a se per identitatem causalem eminentialem, quatenus omnia alia a se praecontinet causaliter eminenter.

2. Ergo theoria cognitionis omnis negans species impressas est pantheistica aut ducit ad pantheismum.

471. Schol. 1. Cognoscens, quod est obiectum per identitatem, hoc esse potest aut per identitatem f o r m a l e m , aut per identitatem n o n f o r m a l e m , sed per identitatem e m i n e n t i a l e m c a u-

[1] Essentiam divinam immediate per seipsam quasi informare seu actuare intellectum beati in visione beata, docent theologi. Hoc ideo possibile est, quia obiectum visionis beatae est Deus, obiectum infinitum, quod in se eminenter continet quamcumque rationem entis

salem, aut per identitatem radicalem: Deus suam substantiam cognoscit per identitatem formalem, alia a se cognoscit per identitatem eminentialem causalem; angelus et anima separata suam substantiam cognoscunt per identitatem radicalem (cf. n. 566-569).

2. Species informando cognoscitive est causa formalis instrumentalis actus cognitionis. Species impressa cum potentia constituit principium efficiens actus cognitionis. Egreditur enim efficienter cognitio ex potentia determinata per speciem, ita ut potentia et species unum constituant principium completum efficiens cognitionis. Ipsa enim taleitas actionis debet habere causam efficientem, quae non potest esse nisi potentia ut determinata per speciem. Sed praeprimis species impressa causalitatem formalem in actum cognitionis exercet. Actus enim cognitionis specificatur ab obiecto. Obiectum igitur est causa formalis extrinseca specificans cognitionis. Sed obiectum causalitatem hanc non exercet nisi mediante specie impressa cognoscitive informante. Ideo dicitur causa formalis instrumentalis analogice.

3. Triplex effectus formalis distinctus speciei impressae. *a)* Entitative informat, quo constituit potentiam in actu primo remoto; *b)* cognoscitive informat, quo constituit potentiam ipsum obiectum: *a)* in actu primo proximo, *b)* in actu secundo. Species enim cognoscitive non informat nisi in instanti, cum elicitur cognitio. Entitative quidem species saepe informat etiam tempore praecedente actualem cognitionem, id quod obtinet in omnibus potentiis, in quibus species habitualiter permanent, i. e. in omnibus potentiis cognoscitivis, exceptis sensibus externis et sensu communi. Species haec, quae habitualiter in potentia adest informando entitative tantum, incipit cognoscitive informare, cum potentia applicatur ad actum secundum, ad actualem cognitionem [1]. Tunc etiam species applicatur ad cognoscitive informandum. Quo ipso potentia constituitur obiectum in actu primo proximo et in actu secundo. Species enim cognoscitive informans habet duplicem effectum formalem: primarium, quatenus constituit potentiam in actu primo proximo, et secundarium, qui est ipse actus secundus actualis cognitionis, egressus ut specificatus ab obiecto.

472. Obi. *Contra I p.* 1. Ad actum, qui egreditur ex potentia immaterialiter determinata, non requiritur forma materialiter determinans potentiam. Atqui species impressa est forma materialiter determinans potentiam cognoscitivam. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Forma, quae materialiter tantum determinat, *conc.;* quae simul etiam immaterialiter seu cognoscitive determinat, *nego. Contradist. min.*

---

[1] Applicatur aut voluntate aut causa physiologica, ut pressione sanguinis, aut imaginum associatione et idearum conexione.

2. Atqui species impressa non determinat potentiam cognoscitivam immaterialiter seu cognoscitive. *Probo.* Quod determinat potentiam cognoscitivam cognoscitive, est obiectum specificans cognitionis. Atqui species impressa non est obiectum specificans cognitionis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Est obiectum, quod plerumque specificat seu determinat mediante forma vicaria seu specie impressa, *conc.;* quod numquam specificat seu determinat mediante forma vicaria seu specie impressa, *nego. Contradist. min.:* Est tamen obiecti specificantis forma vicaria seu instrumentum, *conc.;* non est . . . , *nego.*

3. Atqui species impressa non est forma vicaria seu instrumentum obiecti specificantis cognitionem. *Probo.* Non est forma vicaria seu instrumentum obiecti specificantis cognitionem, quod inhaeret potentiae actu non cognoscenti. Atqui species impressa inhaeret potentiae actu non cognoscenti. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod ita inhaeret, ut moveri non possit ad cognoscitive informandum et ad actualiter causandum actum cognitionis, *conc.;* quod ita inhaeret, ut moveri possit ad cognoscitive informandum . . . , *nego. Contradist. min.:* Inhaeret sensibus externis et sensui communi, cum actu non cognoscunt, *nego;* aliis potentiis cognoscitivis, *subdist.*, ut supra.

Contra II p. 1. Actus potentiae cognoscitivae est actus, quo potentia fit et est ipsum obiectum immaterialiter. Atqui ad actum, quo potentia fit et est ipsum obiectum immaterialiter, numquam requiritur species expressa. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Saepe est obiectum mediante specie expressa, *conc.;* numquam est obiectum mediante specie expressa, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui potentia cognoscitiva numquam est obiectum immaterialiter mediante specie expressa. *Probo.* Si obiectum cognitum semper est praesens, potentia cognoscitiva numquam est obiectum immaterialiter mediante specie expressa. Atqui obiectum cognitum semper est praesens. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si semper est praesens physice et proportionatum potentiae, *conc.;* si semper est praesens intentionaliter et hoc saepe mediante specie expressa, *nego. Contradist. min.*

Bibliographia ad 468—471: *C. Boyer,* Le caractère expérimental et immanent de la connaissance sensible, Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aq. 6 (1939/40) 176—185. *F. Gaetani,* De verbo mentis, l. c. 2 (1935) 70—79. *R. Garrigou-Lagrange,* Non potest esse genuina sensatio sine reali sensato, Studia Anselmiana 7—8, Romae 1938, 189—201. *J. Geyser,* Wie erklärt Thomas von Aquin unsere Wahrnehmung der Aussenwelt, PhJ 12 (1899) 130—147. *Hieronymus a Parisiis,* De transcendentali necessitate verbi ad intellectionem, Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aq. 5 (1938) 93—114. *F. X. Maquart,* Le caractère expérimental de la sensation, RTh 45 (1939) 619—636. *S. Pelletier,* De specie intelligibili, RUO section spéciale 4 (1935) 33*—45*; 97*—112*. *A. Rozwadowski,* De cognitione sensuum exteriorum secundum principia S. Thomae, Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aq. 6 (1939/40) 155—175.

Ad 469. *Aristoteles:* Εἰ δή ἐστι τὸ νοεῖν ὥσπερ τὸ αἰσθάνεσθαι, ἢ πάσχειν τι ἂν εἴη ὑπὸ τοῦ νοητοῦ ἤ τι τοιοῦτον ἕτερον. ἀπαθὲς ἄρα δεῖ εἶναι, δεκτικὸν δὲ τοῦ εἴδους καὶ δυνάμει τοιοῦτον ἀλλὰ μὴ τοῦτο (De an. III 4, 429 a 13). Ad quae *S. Thomas:* « Procedit [Philosophus] ad ostendendum, quod intelligere est simile ei quod est sentire. Quae quidem similitudo ex hoc manifesta est, quod sicut sentire est quoddam cognoscere, et sentimus quandoque quidem in potentia, quandoque autem in actu, sic et intelligere cognoscere quoddam est; et quandoque quidem intelligimus in potentia et quandoque in actu. Ex hoc autem sequitur, quod cum sentire sit quoddam pati a sensibili aut all-

quid simile passioni, quod intelligere sit vel pati aliquid ab intelligibili vel aliquid alterum huiusmodi, simile scil. passioni. Horum autem duorum secundum verius est. Nam sentire, ut supra in secundo dictum est, non proprie pati est... Sed aliquid habet simile passioni, inquantum sensus est in potentia ad sensibile et est susceptivus sensibilium. Ergo, si intelligere est simile ei quod est sentire, et partem intellectivam oportet esse impassibilem, passione proprie accepta; sed oportet quod habeat aliquid simile passibilitati, quia oportet huiusmodi partem esse suceptivam speciei intelligibilis, et quod sit in potentia ad huiusmodi speciem, sed non sit hoc in actu. Et sic oportet, quod sicut se habet sensitivum ad sensibilia, similiter se habeat intellectivum ad intelligibilia, quia utrumque est in potentia ad suum obiectum et est susceptivum eius» (in l. c. lect. 7 n. 675 sq.; cf. lect. 8 n. 718; lect. 9 n. 722 sqq.; In Perih. I lect. 2 n. 6 et 9; S. th. I 14, 2; 79, 2; 85, 2 [cit. ad 687]; Ver. 3, 1 ad 2; 16, 1 ad 13; III Dist. 14 a. 1 sol. 2). «Cognitio sensus exterioris perficitur per solam immutationem sensus a sensibili, unde per formam, quae sibi a sensibili imprimitur, sentit; non autem ipse sensus exterior format sibi aliquam formam sensibilem; hoc autem facit vis imaginativa, cuius formae quodammodo simile est verbum intellectus» (Qdl. V a. 9 ad 2). «Istud sic expressum, scil. formatum in anima, dicitur verbum interius; et ideo comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit, sed sicut in quo intelligit; quia in ipso expresso et formato videt naturam rei intellectae» (In Io. 1, 1 lect. 1; cf. Pot. 8, 1; C. g. I 46 53; III 51: Cum autem; S. th. I 34, 1).

§ 3. De actu cognitionis

473. Actio cognoscitiva est actio immanens. Ad invicem distinguuntur actio transiens, «quae transit in aliquid exterius inferens ei passionem», ita ut habeat rationem cuiusdam «effluxus in passum ab agente», et actio immanens, «quae non transit in rem exteriorem, sed magis manet in ipso agente», quatenus «totum in ipso agente agitur» (S. th. I 54, 2 c.). Actionem cognoscitivam esse immanentem ex eo patet, quod tota in agente (in potentia cognoscitiva) sistit tamquam actus et perfectio ipsius. Quod valet etiam de cognitione, quae speciem expressam producit. Species enim expressa habetur, quando alius est modus essendi obiecti in se et alius modus essendi ipsius in cognitione, ita ut ipsa cognitio productiva sit quoad obiectum seu obiectum constituat[1]. Haec obiecti constitutio, quae fit per cognitionem et in ipsa, productione formae seu speciei expressae efficitur. Species igitur expressa est ipsum obiectum cognitum, secundum quod in cognoscente habet «esse cognitum» diversum ab esse rei in se. Actio cognoscitiva duo dicit: «esse cognitum» obiecti et causalitatem efficientem cognoscentis, a qua dependet hoc «esse cognitum» (cf. n. 465, 3). Quia autem species expressa non est

[1] Loquimur de cognitione creata tantum, in qua species semper producitur ex indigentia, non de cognitione increata Dei Patris, qui, ut theologi docent, cognoscendo se producit speciem (Filium) ex abundantia.

nisi obiectum cognitione constitutum, recte ab ea produci dicitur tamquam terminus illius causalitatis efficientis, quae competit cognoscenti. Non autem producitur a cognitione, inquantum haec dicit « esse cognitum » obiecti, sed est eius modus vel terminus vel forma seu mensura intrinseca.

Productio speciei expressae intellectualis seu verbi mentis vocatur dictio; quae, ut ex dictis patet, nihil aliud est quam ipsa intellectio, inquantum importat causalitatem intelligentis, a qua dependet « esse intellectum » obiectum (diversum ab esse rei in se), non tantum in ortu suo, sed in tota sua duratione.

474. Non omnis cognitio fit mediante specie expressa. Hoc experientia patet: nullam experimur imaginem expressam in cognitione sensuum externorum et sensus communis, cum in cognitione ceterarum potentiarum experiamur, testimonio conscientiae, hanc imaginem seu speciem expressam; in cognitione intellectus et phantasiae experimur nos esse productivos quoad obiecta seu nos producere conceptus et phantasmata, in quibus obiecta intueamur; in cognitione autem sensuum externorum et sensus communis contrarium experimur: nos cognoscere obiecta nobis obtrusa, nullo modo a nobis producta (cf. n. 16, b.). Obiectum igitur harum potentiarum est praesens, immo est in contactu immediato cum organis horum sensuum. Et obiectum est proportionatum his potentiis, ita ut non referantur ad obiectum altiore modo; quare cognitio eorum experimentalis respicit obiecta omnino ita, prout immediate adsunt in rerum natura. Admissa vero specie expressa, sensus externi et sensus communis iam non sufficienter distinguuntur a phantasia, quo periclitatur certitudo cognitionis nostrae experimentalis. Productio igitur speciei expressae non est de essentia cognitionis qua talis, sed contingit per accidens, quatenus propter modum essendi cognoscentis (cf. n. 466, 2) alius est modus essendi obiecti in cognoscente et alius modus essendi obiecti in seipso. Ita species expressa habet rationem medii in quo cognoscens contemplatur obiectum. Cum non producant speciem expressam sensus externi et sensus communis, quorum cognitio experimentalis est, seu causata ex motione obiectorum, ceteri sensus et intellectus cognoscendo exprimunt speciem. Intellectus etiam tunc exprimit verbum, cum obiectum proprium est praesens et spirituale et per seipsum coniunctum intellectui identitate radicali, ut contingit in intellectione, qua angelus et anima separata intelligunt suam substantiam. Nam etiam tunc obiectum non est proportionatum actui secundo intellectionis, quia intellectus fertur in obiectum ut est intellectum (cf. n. 549). Nullum autem obiectum creatum est per seipsum intellectum in actu secundo, i. e. intellectualiter elaboratum seu penetratum secundum gradus suos et relationes suas. Obiectum est intelligibile tantum, non vero actualiter intellectum. Hoc rei finitae

convenire non potest, nisi quatenus est in intellectu per speciem expressam [1].

475. Definitio cognitionis. Cognitio recte definitur: actio metaphysica, qua immaterialiter habetur forma (cf. n. 465, 1). In hac definitione declaranda terminus « immaterialiter » non est exponendus terminis « cognoscitive », « intentionaliter », « obiective », ne fiat circulus vitiosus et explicetur cognitio per cognitionem. Sed exponatur ita: Cognitio consistit in actu secundo, quo forma aliqua habetur immaterialiter, i. e. modo supereminenti super potentialitatem, seu in eo quod subiectum cognoscens habet formam non compositive, non tamquam evolutionem seu actuationem subiecti, sed modo perfecto, ita ut habens formam in habendo eam non se habeat ut potentia, sed ut actus, qui possidet actum, ut immateriale, quod non subiective habet actum (cf. n. 465, 1; 2). Cognitio dicitur actio metaphysica ratione suae immanentiae et ponitur in prima specie qualitatis; formaliter enim dicit « esse cognitum » obiecti, quod non est causalitas, sed accidens bene disponens virtutem cognoscitivam seu qualitas; implicat tamen influxum causalem continuum potentiae cognoscitivae, et propterea actio dicitur; est autem actio vitalis seu sui-motio, et quidem dupliciter: *a)* eminenter, quatenus immediate emanat e potentia cognoscitiva, dependens ab ea efficienter (cf. n. 465, 3), tamquam aliquid, quo ultimo perficitur agens. Cognitio dicitur emanare immediate e potentia cognoscitiva ad excludendam omnem actionem mediam ordinatam ad producendam cognitionem. Exercitium enim causalitatis potentiae cognoscitivae est ipsa potentia actuata seu mota, a qua dependet immediate « esse cognitum » obiecti; et cognitio dicitur actio et sui-motio praecise, quia includit hanc potentiae causalitatem; et dicitur suimotio eminenter, quia tota sistit in ipsa potentia cognoscitiva. *b)* Cognitio est sui-motio eminentissime, quia cognoscens cognoscendo sibi aliquid habet seu possidet immaterialiter, obiective. Nam etiam in cognitione alterius attactum est subiectum cognoscens in obliquo (in actu exercito). Habere enim aliud ut aliud, est habere tamquam sibi oppositum seu obiectum.

Falso cognitio in sua ratione formali definiretur tamquam repraesentatio. Repraesentatio enim non necessario pertinet ad ordinem cognitionis. Est repraesentatio non-cognoscitiva (ita statua hominem repraesentat), et est repraesentatio cognoscitiva, quae a non-cognoscitiva eo praecise differt, quod de sui ratione est, ut forma habeatur immaterialiter.

---

[1] Dicimus « rei finitae », nam res infinita, Deus, est obiectum per seipsum intellectum perfectissime. Ideo theologi docent visionem beatam contingere sine specie expressa seu ipsam essentiam divinam uniri immediatissime intellectui beato per modum speciei expressae.

476. Actus cognitionis, species impressa, species expressa realiter inter se differunt. Nam species impressa pertinet ad actum primum, expressa vero ad actum secundum cognitionis. De distinctione autem inter actum secundum cognitionis et speciem expressam cf. n. 473.

477. Obi. 1. Actus, qui est causalitas, est actio praedicamentalis. Atqui actus cognitionis est actus, qui est causalitas. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Qui est causalitas per se, *conc. ;* per accidens tantum, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui actus cognitionis est causalitas per se. *Probo.* Causalitas per se est actus cognitionis, qui essentialiter et necessario oritur causalitate potentiae cognoscitivae. Atqui actus cognitionis est actus, qui essentialiter et necessario oritur causalitate potentiae cognoscitivae. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Productio huius actus est causalitas aliqua immediata potentiae cognoscitivae, *conc. ;* ipse actus est causalitas, qua aliquid producitur, *nego. Conc. min. ; dist. consq.*

Bibliographia ad 473—476 : *A. Laurent,* De natura actionis immanentis secundum S. Thomam, DThPlac 41 (1938) 233—253. *P. Wintrath,* Immanenz und Transzendenz des Erkennens, DThFrib 17 (1939) 413—450.

Ad 473 et 475. *S. Thomas :* « Duplex est actio : Una, quae procedit ab agente in rem exteriorem, quam transmutat ; et haec est sicut illuminare, et haec est, quae etiam proprie actio nominatur. Alia vero actio est, quae non procedit in rem exteriorem, sed stat in ipso agente ut perfectio ipsius, et haec proprie dicitur operatio ; et haec est sicut lucere . . . Intelligens non se habet ut agens vel ut patiens, nisi per accidens » (Ver. 8, 6). Sola autem actio transiens ponitur in praedicamento actionis : « Actio secundum quod est praedicamentum, dicit aliquid fluens ab agente cum motu » (I Dist. 8, 4 a. 3 ad 3) : unde cum cognitio sit actio immanens, secundum mentem S. Thomae non est actio physica. « Dico autem operationem in ipso [operante] manentem per quam non fit aliud praeter ipsam operationem : sicut videre et audire. Huiusmodi enim sunt perfectiones eorum quorum sunt operationes, et possunt esse ultimum : quia non ordinantur ad aliquod factum quod sit finis. Operatio vero vel actio, ex qua sequitur aliquid actum praeter ipsam, est perfectio operati, non operantis, et comparatur ad ipsum [operatum] sicut ad finem » (C. g. I 100 ; cf. S. th. I 34, 1 ad 2 ; ad 3).

Ad 474. *S. Thomas,* Qdl. V a. 9 ad 2 (cit. ad 469) ; Ver. 4, 2 ad 5.

Ad 476. *S. Thomas,* Pot. 8, 1 c.

Quaestio II : *De cognitione sensitiva.*

§ 1. De potentiis sensitivis in genere

Thesis 34 : *Potentiae sensitivae sunt potentiae organicae.*

478. St. qu. 1. Sensatio est cognitio, cuius obiectum est concretum corporeum, concretum singulare. Sensus hanc concretionem solvere non valet : non potest essentiam separare ab eis, quae accidunt ei a parte rei, a notis individuantibus, quibus a nobis cognoscitur tam-

quam res singularis. Hoc peragit intellectus conceptibus abstractis, quibus attingit essentiam rerum : intelligit quid sint. Sensus vero intuetur res non intelligendo quid sint. Neque substantiam rerum cognoscit, sed accidentia tantum corporis ad invicem coniuncta, i. e. cognoscit corpus secundum externam suam apparentiam tamquam extensum, determinatum loco, tempore, magnitudine, figura, colore etc. Ita neque potest accidens aliquod separare a coniunctione sua cum aliis ; speciatim non potest quantitatem per se solam sumere sine determinata magnitudine, figura etc. Hoc peragit intellectus, qui hoc ipso essentiam extensionis, essentiam extensi seu corporis cognoscit. Cognoscit corpus abstracte, cum sensus non attingat nisi concrete.

2. Supposito, nullam cognitionem ac proinde neque sensationem explicari posse mechanice aut ex viribus physicis et chimicis et vegetativis, sed speciales requiri potentias, thesi nostra dicimus potentias sensitivas esse potentias organicas, quae inhaerent composito ex anima et corpore, seu quae in esse et agere dependent ab organo. Plato, Cartesius, Rosmini (1797—1855), Palmieri multique recentes asserunt sensationem esse solius animae actum ; quorum sententia nititur in falsa de modo unionis animae cum corpore doctrina.

479. Prob. th. *Arg. I.* Ex obiecto formali proprio : Potentia cognoscitiva, cuius obiectum formale proprium seu id quod per se primo attingit, est corporeum, ut corporeum est, ipsa est organica seu corporea ; potentia enim accurate respondet obiecto suo proprio secundum modum essendi (cf. n. 466, 2). Atqui obiectum formale proprium potentiae sensitivae est corporeum, ut corporeum, seu corporeum concretum, prout exsistit in rerum natura. Ergo potentia sensitiva est organica.

Idem argumentum ita evolvitur : Potentia, cuius obiectum formale est extensum concretum, est potentia organica. Atqui sensus est potentia, cuius obiectum formale est extensum concretum. Ergo sensus est potentia organica.

Prob. mai. Potentia, cuius obiectum formale est extensum concretum, seu quae per se primo attingit extensum concretum, est potentia, quae attingit extensum extenso modo, seu cuius ipsa cognitio est qualitas extensa. Debet enim recipi haec extensio in potentia et contineri in eius cognitione ; nam cognitio est obiectum cognitum secundum esse cognitum, obiectum habet esse cognitum in cognoscente. Ita obiectum cognitum in cognitione sensitiva habet esse cognitum concrete extensum, i. e. cognitio sensitiva est qualitas extensa. Atqui potentia, cuius cognitio est qualitas extensa, etiam ipsa extensa seu organica est, ut per se patet. Ergo.

Ad argumentum notetur obiectum sensus etiam tunc esse extensionem concretam, cum cognitione sensitiva non cognoscitur tamquam extensum, sicut obtinet in simplici sensatione auditus et olfactus.

Nam qualitates istae: sonus et odor, non abstracte, sed concrete cognoscuntur tamquam temporaliter determinatae, prout exsistunt in rerum natura. Sed hae qualitates necessario sunt qualitates concrete extensae, quibus non convenit esse abstractum, sed concrete extensum.

Arg. II. Ex absurda sequela: Si potentiae sensitivae essent potentiae anorganicae, potentiae sensitivae essent potentiae spirituales. Atqui repugnat potentias sensitivas esse potentias spirituales. Ergo non sunt anorganicae.

Mai. per se patet; potentia enim anorganica, quae in esse et agere est independens a corpore, est potentia spiritualis.

Prob. min. Si potentia sensitiva est potentia spiritualis, obiectum sensile seu corpus agit in potentiam spiritualem imprimendo speciem, et quidem speciem sensilem, i. e. concretam (cf. n. 481). Atqui repugnat corpus agere in potentiam spiritualem imprimendo speciem concretam. Potest quidem corpus agere in potentiam spiritualem, sed solummodo tamquam instrumentum alterius potentiae spiritualis, sicut phantasma agit in intellectum possibilem tamquam instrumentum intellectus agentis (cf. 576-579). At species, quae ita producitur, semper spiritualis est seu abstracta, non sensibilis seu concreta.

480. Coroll. 1. Ergo sensatio non est operatio solius animae, sed animae organismum corporeum informantis. Ex anima et corpore unum constituitur operationis (sensationis) principium, ex quo una egreditur operatio. Distinguendo inter principium efficiens sensationis proximum et remotum, et inter principium « quod » et « quo », dicimus: Principium « quod » sensationis est suppositum, principium « quo » remotum (seu primum) totale est natura tota composita ex anima et corpore, anima autem est principium partiale tantum; principium proximum « quo » totale est organum animatum seu organum informatum potentia sensitiva, potentia autem haec est principium proximum « quo » partiale tantum. Recte tamen etiam organum animatum dicitur instrumentum « quod », et potentia dicitur instrumentum « quo » (cf. n. 430, 1). Nam instrumentum, etiam instrumentum « quod », est id, quo agit suppositum. Quod dicitur de sensatione, valet etiam de appetitione et de vegetatione.

2. Ergo sensus nequit reflectere super se et super actum suum reflexione propria. Reflexio enim expostulat potentiam anorganicam, spiritualem (cf. n. 466, 3; 543; 562).

3. Ergo anima separata caret potentiis sensitivis; adsunt quidem radicaliter, non vero formaliter. Ut enim salvetur potentia sensitiva, requiritur corpus, et quidem corpus specialiter dispositum seu organum. Ideo potentia sensitiva non tantum perit per mortem, sed etiam per indispositionem corpoream, qua destruitur illa specialis dispositio organi ad potentiam sensitivam requisita; ita

videmus, destructa speciali illa dispositione oculi, etiam visum destrui et effici caecitatem.

4. Ergo reiciendus est sensus fundamentalis propositus a Rosmini et Tongiorgi. Hoc sensu ante quamcumque aliam cognitionem anima dicebatur cognoscere seipsam, et mediante hac cognitione sui etiam corpus sibi unitum. Qualiscumque alia cognitio sensitiva consideratur tamquam ulterior determinatio huius sensationis fundamentalis. Cognitio, quae attribuitur sensui fundamentali, ea esset, qua anima immediate et directe seipsam cognosceret. Sed repugnat hanc cognitionem esse sensitivam ; debuisset esse cognitio intellectiva, et cognitio intellectiva perfecta, quae convenire non posset nisi animae separatae perfecte per se subsistenti. Quomodo homo corpus suum sentiat, cf. n. 485.

481. Schol. Species impressa in potentiis sensitivis efficitur ab ipso obiecto sensili. Nam obiectum sensile potest agere in sensum, quia est proportio inter agens (obiectum) et passum (sensum) ; obiectum enim sensile potest agere in organum sensus, ac proinde etiam in ipsum sensum dependentem ab organo. Obiectum sensile de facto agere in sensum et determinare sensum patet ex experientia.

Probe tamen distinguenda est species sensibilis a determinationibus physicis et chimicis et physiologicis, quae, ut docent physiologi, ab obiecto in organo efficiuntur et quae non sunt nisi media, quibus species sensibilis in sensu producitur ; physice enim et chimice et physiologice immutatur organum informatum a vi sensitiva, quae proinde etiam ipsa immutatur, utpote ab organo in esse dependens. Mutationibus et determinationibus physicis et chimicis et physiologicis determinatio psychica seu species sensibilis introducitur.

482. Obi. 1. Potentiae animae non sunt potentiae organicae. Atqui potentiae sensitivae sunt potentiae animae. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Potentiae animae, quae inhaerent soli animae, *conc.* ; quae non inhaerent soli animae, sed organo animato, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui potentiae sensitivae inhaerent soli animae. *Probo.* Potentiae, quarum obiectum est immateriale, inhaerent soli animae. Atqui obiectum potentiarum sensitivarum est immateriale. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quarum obiectum est immateriale, i. e. abstractum, *conc.* ; quarum obiectum est immateriale, i. e. obtinet esse cognitum in potentia sensitiva, *nego* (cf. n. 466, 2). *Contradist. min.*

3. Atqui obiectum potentiae sensitivae est abstractum. *Probo.* Abstractum est, quod est separatum ab iis, quibuscum invenitur coniunctum in rerum natura. Atqui obiectum potentiae sensitivae est separatum ab iis, quibuscum invenitur coniunctum in rerum natura. Ergo. *Resp. Dist. min.* : Abstractum est quidditas separata ab omnibus, quae ad eam non pertinent, *conc.* ; est qualitas assumpta sine quibusdam aliis qualitatibus ei coniunctis (sicut visu assumitur color pomi sine eius odore et sapore), non tamen separata ab omnibus, quae ad eius essentiam non pertinent, speciatim non separata a concreta quantitate, *nego. Contradist. min.*

4. Atqui obiectum sensus est etiam abstractum a concreta quantitate. *Probo.* Sonus, qui simplici auditione auditur, est abstractus a concreta quantitate. Atqui sonus est obiectum sensus. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Non localizatur in determinata quantitate, *conc.* ; non sentitur tamquam concretus cum determinato tempore, *nego. Conc. min.* ; *dist. consq.* : Aliquando non localizatur in determinata quantitate, *conc.* ; neque tunc sentitur tamquam concretus cum determinato tempore, *nego.* Sonus tamquam ens fluens, successivum inest concrete in quantitate fluente, in tempore, sicut qualitas permanens inest in quantitate permanente. Utraque qualitas habet determinatam positionem et extensionem : altera in quantitate fluente, altera in quantitate permanente.

Bibliographia ad 478—481 : *T. Bartolomei,* La natura della sensazione e la necessità della specie sensibile, DThPlac 44 (1941) 113—135. *P. Borne,* De ente materiali et spirituali sub respectu extensionis et inextensionis, DThPlac 42 (1939) 240—253; 349—369; 461—494. *C. Fabro,* La Fenomenologia della Percezione, Milano 1914. *Id.,* Percezione e Pensiero, Milano 1941. *A. M. Milis,* De natura et origine speciei sensibilis, Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aq. 1 (1934) 163—169.

Ad 479. *Aristoteles* « determinat de organis sensus. Quia enim dixerat, quod sensus est susceptivus specierum sine materia, quod etiam intellectui convenit, posset aliquis credere, quod sensus non esset potentia in corpore, sicut nec intellectus. Et ideo ad hoc excludendum assignat ei organum et dicit, quod "primum sensitivum" idest primum organum sensus est "in quo est potentia huiusmodi", quae scil. est susceptiva specierum sine materia. Organum enim sensus, cum potentia ipsa, utputa oculus, est idem subiecto, "sed esse aliud est", quia ratione differt potentia a corpore. Potentia enim est quasi forma organi, ut supra traditum est » (Αἰσθητήριον δὲ πρῶτον ἐν ᾧ ἡ τοιαύτη δύναμις. ἔστι μὲν οὖν ταὐτόν, τὸ δ'εἶναι ἕτερον : De an. II 12, 424 a 24. *S. Thom.* lect. 24 n. 555 ; cf. Arist., De an. I 1, 403 a 6 ; III 4, 429 a 26 b 5 ; Thom. I lect. 2 n. 17 ; III lect. 7 n. 684 688). *Aristoteles* : Αἴσθησις ὅτι διὰ σώματος γίγνεται . . . δῆλον καὶ διὰ τοῦ λόγου καὶ τοῦ λόγου χωρίς (De sensu et sens. 1, 436 b 6). Ad quae *S. Thomas* : « Quod sensus communis sit animae et corpori, dicit esse manifestum et "per rationem" et "sine ratione". Ratio enim est in promptu : quia cum sensus patiatur a sensibili, sicut ostensum est in libro De anima, sensibilia autem materialia sint et corporea, necesse est corporeum esse, quod a sensibili patitur. "Absque autem ratione" manifestum est experimento : quia turbatis corporeis organis impeditur operatio sensus ; et eis ablatis, totaliter sensus tollitur » (in l. c. lect. 1 n. 17 ; cf. *Arist.,* De somno et vig. c. 1, 454 a 7—11 [v. ad 428]). *S. Thomas* : « Quaedam operationes sunt animae, quae exercentur per organa corporalia; sicut visio per oculum, et auditus per aurem. Et simile est de omnibus aliis operationibus nutritivae et sensitivae partis. Et ideo potentiae quae sunt talium operationum principia, sunt in coniuncto sicut in subiecto, et non in anima sola » (S. th. I 77, 5 ; cf. C. g. II 57 : Item, Impossibile ; 82 : Haec autem ; Comp. 89 92).

Ad 481. *S. Thomas* : « Nec sensibile exterius est nobilius quam sensus proprius, licet moveat ipsum. Est enim secundum quid nobilius, scil. inquantum est actu album vel dulce, ad quod est sensus proprius in potentia. Sed sensus proprius simpliciter est nobilior propter virtutem sensitivam, unde et nobiliori modo recipit sine materia . . . Et sic sensus communis [licet immutetur a sensu proprio] nobiliori modo recipit quam sensus proprius, propter hoc quod virtus sensitiva consideratur in sensu communi ut in radice, et minus divisa » (In De an. III lect. 3 n. 612 ; cf. Pot. 5, 8 c. post med. ; S. th. I 84, 6 ad 2 ; 85, 1 ad 3). Cf. text. ad 577.

§ 2. De sensibus externis

483. Divisio sensuum in externos et internos. Divisio sensuum in externos et internos ab obiecto sumenda est ita, ut sensus externus dicatur, qui obiectum suum immediate, i. e. non mediantibus aliis sensibus, attingit, internus vero, qui mediantibus aliis attingit. Cognitio enim sensuum internorum in eo consistit, quod aliquid iam cognoscitive apprehensum ulterius elaborant. Contra sensus externi immediate referuntur ad obiectum physica irritatione propositum, ad obiectum proinde pure externum. Obiecta autem sensuum internorum non sunt obiecta pure externa, cum hi sensus semper referantur ad aliquid intentionaliter in cognoscente iam receptum. Quapropter cognitio sensuum externorum seu simplex sensatio elementum primitivum est, unde omnis cognitio humana incipit. Ulterior cognitio hominis in simplicibus sensationibus fundatur. Ita perceptio plures sensationes ope sensus communis coniungit easque complet ulteriusque perficit ope repraesentationum phantasiae, quae fundantur in sensationibus antea iam habitis. Intellectus autem intelligibiliter elaborat obiectum perceptionis cognitione quidditativa.

484. Sensuum externorum divisio. Sensus externi dividuntur in superiores (visus, auditus) et inferiores (olfactus, gustus, et tactus, qui complectitur sensum resistentiae et temperaturae). Sensus superiores sunt, qui referuntur ad obiectum suum proprium pure obiective, inferiores, qui referuntur ad obiectum proprium non pure obiective, sed sub respectu aliquo subiectivo. Sentiunt enim obiectum suum tamquam aliquid, quod afficit subiectum sentiens, quod causaliter agit in subiectum sentiens ; ita enim percipimus obiecta propria sensuum inferiorum : resistentiam, temperaturam, sapores, odores. Contra, sensus superiores apprehendunt res pure obiective, sine illo respectu subiectivo : non scimus nisi scientifica demonstratione colores, quos videmus, causaliter agere in oculos ; ipse visus hanc causalitatem non sentit. Idipsum dicendum de aure relate ad sonos. Sonus vero nimis vehemens non tantum auditus, sed etiam tactus sensationem in aure producit ; similiter lux nimis intensa efficit in oculo doloris sensationem, quae est sensatio tactus, ut continuo explicabitur.

Quia sensus inferiores referuntur ad res sub respectu afficientis subiectum, ideo ad obiectum proprium eorum pertinent etiam voluptas sensilis et eius contrarium, displicentia et dolor sensilis, seu conveniens et disconveniens tamquam afficiens subiectum sentiens, cum ad obiectum sensuum superiorum pertineat pulchrum, seu id quod est conveniens pure obiective. Voluptas enim sensilis est sensatio conveniens sensuum inferiorum, dolor est sensatio disconveniens sensus resistentiae ; dolor enim proprie de sensu re-

sistentiae tantum dicitur, cum id quod est disconveniens gustui et olfactui, i n g r a t u m potius dicatur. Etiam dolor productus a temperatura excessiva (calida vel frigida), quatenus organismum laedit, ad sensum resistentiae pertinet; laesio enim haec sensationem disconvenientem resistentiae seu pressionis producit.

Sensationem externam voluptatis et displicentiae et doloris sequuntur actus appetitus sensitivi: gaudium et tristitia quasi voluptas et dolor internus (a f f e c t u s voluptatis, displicentiae, doloris — Lust-, Unlust-, S c h m e r z g e f ü h l — s e n t i m e n t o di piacere, di dispiacere, di dolore), quae a voluptate et displicentia et dolore externo, i. e. a sensationibus sensus externi probe distinguenda sunt (cf. n. 508).

485. Numerus sensuum externorum. Quinque solent numerari sensus externi: visus, auditus, olfactus, gustus, tactus, secundum quinque obiecta formalia immediate sensilia, quae sunt: color, sonus, odor, sapor, qualitas tangibilis. At tactus non est u n u s sensus; nam praeter qualitatem tangibilem in sensu proprio quae est resistentia (durum et molle), circa quam est sensus resistentiae, sunt qualitates tangibiles in sensu improprio: temperatura (calidum et frigidum), circa quam est sensus temperaturae, et sapor, circa quem est gustus. Ideo Aristoteles[1] etiam gustum tactum quendam dicit. Vulgo autem sensus resistentiae et temperaturae per modum unius sumuntur et t a c t u s vocantur, quia per totum corpus alter alterum comitatur, et eorum distinctio organica non facile apparet. Sex igitur sensus externi distinguendi sunt: visus, auditus, olfactus, gustus, sensus resistentiae, sensus temperaturae. Tactus actionem suam exercet etiam intra corpus et inter diversas corporis partes, quatenus pars tangit partem, quae sensatio, etsi contingit intra corpus, nihilominus ad sensum externum pertinet. Ope tactus, quatenus actionem suam exercet intra corpus, homo immediate corpus suum sentit in actu exercito. In actu signato seu quasi reflexe (reflexione impropria) homo corpus suum sentit, quatenus tactui adiungitur sensus communis: ope tactus pars sentit partem, quas sensationes diversarum partium sensus communis tamquam m e a s percipit, et ita ope tactus, adiuncto sensu communi, sentio meum corpus in actu signato. Ex dictis patet sensum m u s c u l a r e m, qui a multis recentibus enumeratur tamquam sensus externus specialis, non distingui a sensu resistentiae, sed esse ipsum sensum resistentiae, prout exercetur inter diversas ipsius corporis partes. Recentes praeterea alios enumerant sensus, qui etiam ipsi ad sensum resistentiae reducuntur. Speciatim reicitur specialis sensus d o l o r i s, quia dolor est sensatio disconveniens sensus resistentiae.

---

[1] De anima III 12, 434 b 21.

486. Sedes sensuum externorum. Secundum multos psychologos omnis sensatio perficeretur in «sensoriis» cerebri. Distinguunt in cerebro: sensorium visus, auditus etc. Si aliquod sensorium destruitur, ita dicunt, etiam sensatio ei respondens eliminatur. Quare putant sensuum externorum omnium sedem esse cerebrum. At dato, non concesso, destructionem alicuius sensorii reddere impossibilem sensationem ei respondentem, exinde tamen nondum esset probatum sensationem in hoc sensorio sedem suam habere; potest enim, hoc non obstante, contingere in peripheria systematis nervei. Etiam S. Thomas (In De an. III lect. 3) et scholastici, quamquam docebant sensationis sedem esse peripheriam, tamen asserebant sensus externos vim suam sensitivam ex coniunctione cum cerebro, cum sensu communi haurire. Sed neque est probatum destructionem horum sensoriorum sensationem impossibilem reddere (cf. n. 495, 2).

Sedes sensuum inferiorum determinari potest immediate sensatione horum sensuum. Ipsa sensatio per seipsam manifestat, quo loco fiat. Sensus inferior sentit obiectum suum agere in corpus sentiens, et quidem in determinatam corporis partem, ibique sensationem producere. Ita percipimus nos lingua, palato gustare, naribus olfacere, i. e. has partes esse sedem gustus et olfactus, et percipimus tactum et sensum temperaturae per totum corpus esse diffusum. At sensus superiores fugit actio obiecti, cum obiectum pure obiective percipiant. Quapropter neque experiuntur sensationem suam tamquam in determinato organo productam. Non experiuntur, sicut sensus inferiores, ipsa sensatione sedem sensationis. Mediantibus tamen sensationibus tactus, quae sensationes visus et auditus comitantur, cum pupilla contrahitur sub influxu lucis, cum aperimus et claudimus oculos, cum caput movemus, cum aures obturamus, experimur nos oculis videre et auribus audire, i. e. haec organa aliquid saltem conferre ad visionem et auditionem. Num revera visio contingat in oculo, auditio in aure, ac proinde oculus sit propria sedes visus et auris sedes auditus, hoc exinde nondum liquet. Possibile esset oculum et aurem non deservire nisi ad undas lucis et soni recipiendas, sensationem vero ipsam non hic, sed alibi contingere. Sed non indicatur ratio sufficiens, cur visio non in oculo et auditio non in aure contingeret. Quapropter per analogiam cum sensibus inferioribus oculus et auris consideranda sunt tamquam sedes visus et auditus.

Concedendum est autem sensationem in peripheria imperfectam esse, cum in centro tantum, ope sensus communis, conscia fiat, ibique sensationes elementares, quas complectitur aliqua sensatio externa, in unitatem seu totalitatem colligantur.

487. Obiectum sensuum externorum. Veteres sensibile seu obiectum sensus latissime sumptum distinguebant in sensibile per se et sensibile per accidens. Sensibile per se ulterius distinguebant

in sensibile per se primo, sensibile proprium et sensibile per se secundo seu sensibile commune. Sensibile per se est id, quod revera sub sensum cadit et ab eo percipitur, quod est revera obiectum. Sensibile per accidens proprie sub sensum non cadit, revera ab eo non apprehenditur, sed ab alia potentia cognoscitiva repraesentatur et cognitioni sensus adicitur. Revera et proprie non est obiectum, sed obiectum concomitans seu aliquid quod adicitur obiecto. Ita substantia corporea est per accidens sensibilis: proprie sub nullum sensum cadit, a nullo sensu cognoscitur, sed ab intellectu tantum, et accidentibus, quae a sensibus cognoscuntur, adicitur. Sapor et odor pomi visibilia non sunt per se, sed per accidens tantum. Sapor et odor non cadunt sub visum, sed repraesentatione phantasiae (fundata in experientia gustus et olfactus) adiciuntur illis accidentibus pomi, quae visu percipiuntur. Etiam obiectum foris ut foris, obiectum extraorganicum, diversitas obiecti a corpore subiecti sentientis non est sensibilis sensatione sensus externi nisi per accidens, ut ex sequentibus patebit. At color pomi est per se visibilis, et generaliter per se sensibiles sunt qualitates immediate sensibiles; revera sub sensus cadunt: color est per se visibilis, sonus per se audibilis etc. Etiam quantitas et figura: accidentia mediate sensibilia, per se sensibilia sunt, etis mediate, i. e. per se secundo. Veteres sensibile per se dividebant in sensibile per se primo et sensibile per se secundo. Sensibile per se primo non tantum sub sensum cadit tamquam obiectum eius, sed est etiam obiectum immediatum. Ideo est obiectum proprium sensus, quod ei soli convenit eique tribuit specificationem. Sensibile proprium visus est color, auditus est sonus, olfactus est odor, gustus est sapor, tactus est resistentia, sensus temperaturae est calor et frigus. Etiam sensibile mediatum (per se secundo sensibile) sub sensum cadit, at non est obiectum immediatum, sed mediatum. Talia sunt quantitas (extensio seu quantitas continua, et numerus) et ea, quae immediate cum quantitate cohaerent: motus localis, quies, figura, situs. Haec a sensibus cognoscuntur mediante obiecto immediato, mediante sensibili proprio. Quantitas ab oculo cognoscitur mediante colore; solummodo quia quantitas est colorata, est visibilis. Tactu cognoscitur mediante resistentia; extensum nulla sensibili resistentia praeditum non est tangibile. Ita unusquisque sensus quantitatem suo modo attingit mediante suo proprio sensili. Idem valet de accidentibus, quae immediate cum quantitate conectuntur: de motu, quiete, figura, situ. Quantitas proinde est sensibile commune, obiectum commune.

Haec veterum divisio factis respondet. Sed complenda est et ulterius determinanda. Sensibile mediatum non est tantum quantitas et ea, quae cum quantitate conectuntur: motus, quies, figura, situs. Sensibile mediatum duplex est: 1. id quod mediate sub sensum cadit, ita tamen, ut a sensu attingatur in se, non in alio, non in imagine tan-

tum. Cognitio intuitiva sensus fertur in idipsum. Ideo mediate tantum sub sensum cadit, quia per aliud sensui proponitur, prout est in se : Est coniunctum cum alio, quo offertur, prout est in se, cognitioni intuitivae sensus. Hoc mediate sed per se sensibile est quantitas et ea, quae immediate cum quantitate conectuntur. Sensibile mediatum est 2. id quod mediate sub sensum cadit ita, ut a cognitione sensitiva non attingatur in se, sed in alio, in imagine, qua plus minusve accurate repraesentatur. Hoc obiectum non est per se sensibile, quatenus τὸ « per se » significaret exclusionem imaginis mediantis, sed est per se sensibile, quatenus non est sensibile per accidens tantum, sed revera sub aliquem sensum externum cadit ab eoque cognoscitur, quamquam in imagine, i. e. mediate : eodem simplici actu sensationis, quo imago cognoscitur, cognoscitur etiam id, quod imagine repraesentatur. Oculus videns imaginem videt id, quod imagine repraesentatur, prout hoc in imagine continetur. Videt proinde utrumque : imaginem et id quod imagine repraesentatur, sed non ut distincta, cum simplex sensatio non possit comparationem instituere inter utrumque. Cum omnes sensus externi cognoscant mediante physico rerum influxu in organismum, in organa sensus, ideo omnes sensus externi naturaliter habent duplex sensibile per se in hac secunda acceptione : alterum immediatum intus, ut est sonus intus in aure receptus ; alterum mediatum foris, quod repraesentatur per obiectum intus, ut est sonus campanae, qui repraesentatur per sonum intus in aure receptum. Obiectum immediatum intus est : coloratum extensum in oculo receptum, quod inest in medio, quod immediate tangit retinam [1] ; sonus intus in aure receptus, qui vibrat in membrana basilari, quae immediate tangit nervum acusticum ; particulae odoriferae intra nasum, in membrana pituitaria receptae ; substantiae sapidae in saliva solutae, quae per tenuissimos canales pertingunt usque ad contactum cum terminationibus nervi gustus ; calor et pressio recepta in corpore subiecti sentientis, in illis partibus, quae immediate tangunt terminationes nerveas tactus. Obiectum mediatum sensuum distantiae (visus, auditus, olfactus) est id, quod per distantiam a subiecto cognoscente separatur ; obiectum mediatum sensuum contactus est foris tangens : sapidum foris, quod superficiem linguae tangit ; calidum foris, quod cutem externam tangit ; resistens foris, cutem externam tangens.

488. Localizatio obiecti sensuum externorum. Simplici sensatione utrumque obiectum, intraorganicum et extraorganicum, cognoscitur, sed ita, ut inter se non distinguantur, quia simplici sensatione obiec-

[1] Imago retinalis physice considerata. Imago retinalis physice considerata distinguatur ab imagine retinali photochimice considerata, quae est accidens retinae seu photochimica retinae transmutatio.

tum foris non cognoscitur ut foris, neque obiectum intus ut intus. Videmus utique coloratum, quod est in oculo, sed non videmus tamquam in oculo. Similiter non audimus sonum membranae basilaris ut talem. Etiam sapidum non sentimus tamquam intus in canalibus linguae, in receptaculis organi gustus. Et quamquam (mediante tactu) sentimus odorem aliquomodo confuse tamquam intra nasum, particulae tamen odoriferae illae in membrana pituitaria receptae nos latent. Et nos latet etiam obiectum immediatum tactus et sensus temperaturae, quod est cutis inferior immediate tangens terminationes nerveas, quamquam simplici sensatione iam cognoscimus calorem et pressionem tamquam se communicantia cum corpore nostro. Obiectum intus, quin se manifestet ut tale, manifestat id, quod est foris. Sed neque hoc manifestat tamquam foris. Obiectum foris ut foris non est perceptum nisi per accidens. Obiectum aliquod, quod tangendo sentimus, non pertinere ad corpus subiecti sentientis, hoc in simplici sensatione tactus non enuntiatur. Hoc non manifestatur nisi multiplici experientia, quosdam contactus modo esse, modo non esse, et diversos esse, neque habere constantiam, in oppositione ad contactus omnium partium quomodocumque ad corpus subiecti sentientis pertinentium. Obiectum igitur tactu percipitur ut foris et ut distinctum a corpore subiecti sentientis per accidens, accedente repraesentatione phantasiae fundata in multiplici hac experientia. Etiam sensus temperaturae et gustus nonnisi mediante eadem multiplici experientia sentiunt per accidens obiectum suum ut foris et ut distinctum a corpore subiecti sentientis. Similiter se habet auditus quoad sonum. Sonus, qui auditur, sitne in campana aut in aëre, aut in aure tantum, de his per simplicem auditionem nihil scimus. Directionem, ex qua sonus ad nos pervenit, mox cognoscimus motu capitis, quo cognoscimus etiam nos auribus audire (i. e. mediantibus auribus sonum recipere). Cum caput hinc inde movemus, melius audimus aut minus bene. Similiter notamus sonum intensius audiri, cum ad campanam appropinquamus, et viceversa, et sonum omnino cessare, cum cessat motus campanae. Per hanc experientiam eo pervenimus, ut in repraesentatione phantasiae campanam et motum eius cum sono coniungamus: audimus per accidens campanam sonantem. Similiter de olfactu dicendum est. Neque visus per se obiectum foris ut foris videt, quia obiectum foris non percipit nisi mediante obiecto intus seu mediante imagine retinali. Ideo visus non percipit nisi duas dimensiones: in longum et in latum. Tertia vero dimensio et consequenter distantia in profundum a visu non attingitur per se, sed per accidens tantum — est visibilis per accidens, quatenus videntur lineae et superficies coloratae et modificatae per maiorem vel minorem lucem et per umbras in quibus apparent. Interpretando has modificationes mediante experientia tactus aut etiam per aestimativam colligitur tertia dimensio, quae proinde ad visionem harum modificationum statim

correpraesentatur et associatur eis, i. e. videtur per accidens. Praeterea visio binocularis concurrit ad tertiam dimensionem apprehendendam, quia uterque oculus paulo aliter idem obiectum percipit secundum positionem diversam. Interpretando has diversitates utriusque oculi mediante experientia tactus, cognoscimus tertiam dimensionem. Ad distantiam in profundum aestimandam et ad tertiam dimensionem cognoscendam iuvat etiam motus muscularis, quo lentem cristallinam accommodamus distantiae, et quo oculos ad invicem accommodamus ad obiectum aliquod contemplandum. Ita per sensum muscularem, i. e. per tactum, tertiam dimensionem et distantiam percipimus.

Ab omnibus igitur sensibus externis percipitur obiectum intus et obiectum foris, sed non percipiuntur ut distincta. Per accidens tantum mediante phantasia obiectum foris ut foris repraesentatur et a corpore subiecti sentientis ac proinde etiam ab obiecto intraorganico distinguitur, quamquam ipsum hoc obiectum intraorganicum etiam tunc nonnisi confuse et implicite apprehenditur. Distincte et explicite non cognoscitur nisi ope investigationis scientificae. Obiectum foris sensus externi mediate et imperfecte cognoscunt, mediante obiecto intus, prout eo repraesentatur. Obiectum foris, prout est in se absolute, proprie non est obiectum sensationis externae, sed obiectum concomitans tantum : aliis verbis, non est sensibile per se, sed per accidens. Quatenus differt ab obiecto intus, non cognoscitur nisi mediante multiplici experientia mediata. Ita scimus sonum ex longinquo sonantem multo intensiorem esse, quam a nobis auditur, quia experientia praecedente didicimus soni intensitatem minui aucta distantia. Et scimus secundum positionem oculi figuras rerum et relationes magnitudinis notabiliter mutari in imagine retinali : Circulus e latere visus in imagine retinali est ellipsis, et res valde distans ibi continetur sub proportione valde parva. Ceterum differentia obiecti foris ab obiecto correspondente intus quoad sensus contactus regulariter est imperceptibilis. Et etiam quoad sensus distantiae regulariter non est perceptibilis nisi relate ad intensitatem et quoad visum relate ad magnitudinem et figuram. Sed haec (magnitudo et figura) tactu accurate dignoscuntur. Ordinarie igitur ope sensuum externorum facile cognitionem acquirimus adaequatam etiam rerum extra nos secundum id, quod absolute in se sunt.

489. Quomodo percipiamus motum localem. Simplici sensatione visus circa res foris positas solum cognoscimus contingere quoad ipsas aliquam mutationem positionis. Utrum autem res moveantur an nos ipsi moveamur, quiescentibus rebus, non apparet. Idem dicatur de simplici sensatione tactus. Si quis tactu sentit motum in aëre, in aqua, hoc ex eo provenire potest, quod ipse movetur in aëre, in aqua ; aut movetur aër vel aqua, quiescente ipso in aëre, in aqua. Qui invisibili causa in obscura nocte transferretur celerrime per aëra, ventum va-

lidum flare crederet. Simplici tamen sensatione tactus et sensu communi sentimus motum membrorum corporis nostri ad invicem et distinguimus membrum motum a quiescentibus reliquis membris. Motum membrorum tactu sentimus intra musculos et intra articulationes membrorum. Nam cum hoc vel illud membrum movetur, et etiam cum idem membrum alio modo movetur, aliam sentimus sensationem in musculis causatam ex contractione et expansione musculorum. Mediante hac experientia, qua experimur motum membrorum nostrorum ad invicem, cognoscimus plurima corpora, quae circa nos sunt : solum, arbores, domos etc., ad motum membrorum nostrorum non moveri, sed quiescere ; atque ita, si ad motum deambulationis nostrae videmus ea positionem mutare, tamen ut quiescentia ea consideramus ; nam positionem non mutant nisi in retina nostra, prout respondet motui nostro. Et generatim rem omnem, quae positionem mutat modo correspondente motui nostro, ut quiescentem habemus, nam positionem non mutat nisi in retina, in imagine retinali nostra. Abstrahendo a casu, quo nos rem aliquam manibus apprehensam movemus, non consideramus rem ut motam, nisi cum positionem mutat, quin nos experiamur motum aliquem membrorum nostrorum, aut si, nobis moventibus membra (ut nobis deambulantibus), modo huic motui non correspondente positionem mutat. Ita per hanc experientiam mediatam tactu et visu motum et quietem rerum extra nos positarum etiam in concreto cum certitudine cognoscimus. Si vero nos movemur non motu proprio, sed motu alieno (ut cum curru vehimur), quin motum nostrum percipiamus, de motu et quiete rerum recte non iudicamus. Exinde fallacia de apparente motu solis et difficultas determinandi de motu siderum. Circa siderum motum aliquid determinare non possumus nisi scientifico ratiocinio et experimento. Ita motum terrae circa axem suum determinamus per vim centrifugalem, hoc motu ortam et perpendiculi motu manifestatam (experimentum Foucault). Similiter admittendum est terram moveri circa solem, si conaturalem phaenomenorum explicationem tradere volumus.

490. Sensatio et perceptio. Mediante sensibili per accidens obiectum sensationis convertitur in perceptionis obiectum. Obiectum simplicis sensationis non est nisi id quod est per se sensibile. At in perceptione una alterave tantum qualitas sentitur, multa vero alia per phantasiae repraesentationem, fundatam in anteriore experientia, i. e. in sensationibus antea habitis, adiciuntur. Speciatim adicitur distinctio obiecti a corpore subiecti sentientis. Ita campana, quae auditur, est obiectum perceptionis ; sensu externo non percipitur nisi sonus. Huic sensationi aliae qualitates adiciuntur, pertinentes ad alios sensus, ut color, resistentia. Adicitur etiam (ab intellectu) substantia, quae tamquam obiectum ad nullum sensum pertinet. Et totum hoc

repraesentatur tamquam res a corpore audientis distincta eique obiecta. Similiter pomum visum obiectum est perceptionis.

491. Habitudo inter irritationis et sensationis quantitatem. Iam experientia quotidiana constat crescente irritationis vehementia etiam crescere sensationis quantitatem. Sed eadem experientia docet non eodem modo crescere sensationis quantitatem quo irritationis, sed lentius. Ita cum duplicatur irritatio, non ideo duplicatur sensationis vehementia, ut, cum duplicatur cantorum numerus, duplicatur quidem soni, sed non sensationis vehementia. Habitudo, quae intercedit inter augmentum irritationis et sensationis, repetitis experimentis accuratius determinata, per legem Weberianam ita enuntiata est: Augmenta sensationis inter se aequalia sunt, si habitudo irritationum eadem permanet. Quam legem Fechner hoc modo proposuit: Crescente irritatione secundum progressionem geometricam, crescit sensatio secundum progressionem arithmeticam. Quod etiam hoc modo enuntiari potest: Sensatio crescit sicut logarithmus irritationis; ex quo deducitur formula: $s = \log i$, id est sensationis quantitas (s) aequivalet logarithmo irritationis (i).

Intrinseca ratio huius habitudinis inter sensationem et irritationem in eo est, quod vires sensitivae sensationis intensitate et vehementia quodammodo obtunduntur. Quae obtusio tantopere potest augeri, ut sensationis quantitas a nullo iam irritationis augmento augeri possit. Unde sicut datur terminus seu limen infimum, infra quod irritatio nimis debilis est ad producendam sensationem (Reizschwelle), ita datur terminus supremus (Reizhöhe), ultra quem sensatio augeri non potest. Quapropter hoc puncto supremo attacto, sensatio non crescit, quantumvis irritatio augeatur. Sicut igitur facultatis ambitus limitibus circumscribitur quoad qualitatem, ita etiam quoad quantitatem. Obiectum ergo debet esse proportionatum facultati non tantum quoad qualitatem, sed etiam quoad quantitatem. Patet non ita accurate calculis subici posse phaenomena psychica sicut naturalia. Ideo lex Weberiana et formula Fechneriana, licet generaliter valeant, propter individuales tamen dispositiones patiuntur irregularitates. Lex Weberiana non valet quoad illas sensationes maximae intensitatis, quibus ad gradum supremum acceditur.

Bibliographia ad 483—491: *M. Barbado*, Localización de las facultades sensitivas según los antiguos, CT 2 (1920) 5—16; 130—141; 265—280. *Id.*, Doctrina aristotelico-thomistica de sensu tactus cum modernis doctrinis comparata, Xenia thomistica I, Romae 1925, 239—256. *F. Budde*, Die Lokalisation der äusseren Sinnesempfindungen in den peripherischen Organen und ihre Bedeutung für die Erkenntnis der Aussendinge, PhJ 46 (1933) 319—330; 441—449. *Id.*, Primäre und sekundäre Sinnesqualitäten, DThFrib 30 (1952) 299—320, 462—500. *J. Fröbes*, Zur Streitfrage um den

Sitz der Empfindungen, PhJ 47 (1934) 38—54. *J. Gredt*, Unsere Aussenwelt, Innsbruck 1921. *Id.*, Das Schmerzproblem, DThFrib 1 (1923) 8—12. *Id.*, De cognitione sensuum externorum², Romae 1924. *M. D. Roland-Gosselin*, Ce que Saint Thomas pense de la sensation immédiate et de son organe, RSPhTh 8 (1914—1919) 104—105. *J. de Tonquédec*, Milieux et organes de la sensation, APh III cah. II, Paris 1925, 156—167.

Ad 483—485. *Aristoteles* agit de sensatione externa et de sensibus externis in genere: II De anima c. 5 et 12, et III c. 1. Exponitur a *S. Thoma* II lect. 10—12; lect. 24, et III lect. 1. In specie disserit Aristoteles de singulis sensibus externis: De an. II c. 7—11; de visu, gustu et odoratu etiam: De sensu et sens. c. 3—5. Quae S. Thomas exponit In De an. II lect. 14—23; In De sensu et sens. lect. 6—14. Sensationem externam proprie in obiectum pure externum ferri affirmat *Aristoteles*: Διαφέρει δὲ [τὸ αἰσθάνεσθαι, pro quo et αἴσθησις <hac voce, sine addito posita, Aristoteles sensationem externam et sensum externum significat>], ὅτι τοῦ μὲν [τοῦ αἰσθάνεσθαι] τὰ ποιητικὰ τῆς ἐνεργείας ἔξωθεν: De an. II 5, 417 b 19. Cf. S. Thom. lect. 12 n. 375.

Aristoteles « ostendit, quod non sit alius sensus praeter quinque » (Οὐκ ἔστιν αἴσθησις ἑτέρα παρὰ τὰς πέντε· . . . ὄψιν, ἀκοήν, ὄσφρησιν, γεῦσιν, ἁφήν: De an. III 1, 424 b 22. *S. Thom.* lect. 1 n. 565 sqq.). *S. Thomas*: « Quia vero sensus proprius, qui est primus in ordine sensitivarum potentiarum, immediate a sensibilibus immutatur, necesse fuit quod secundum diversitatem immutationum sensibilium in diversas potentias distingueretur. Cum enim sensus sit susceptivus specierum sensibilium sine materia, necesse est gradum et ordinem immutationum, quibus immutantur sensus a sensibilibus, accipere per comparationem ad immateriales immutationes. Sunt igitur quaedam sensibilia quorum species licet immaterialiter in sensu recipiantur, tamen etiam materialem immutationem faciunt in animalibus sentientibus. Huiusmodi autem sunt qualitates, quae sunt principia transmutationum etiam in rebus materialibus, sicut calidum, frigidum, humidum et siccum et alia huiusmodi. Quia igitur huiusmodi sensibilia immutant nos etiam materialiter agendo, materialis autem immutatio fit per contactum, necesse est quod huiusmodi sensibilia contingendo sentiantur, propter quod potentia sensitiva comprehendens ea vocatur tactus. Sunt autem quaedam sensibilia quae quidem non materialiter immutant, sed tamen eorum immutatio habet materialem immutationem annexam; quod contingit dupliciter. Uno modo sic, quod materialis immutatio annexa sit tam ex parte sensibilis quam ex parte sentientis; et hoc pertinet ad gustum; licet enim sapor non immutet organum sensus faciendo ipsum saporosum, tamen haec immutatio non est sine aliquali transmutatione tam saporosi quam etiam organi gustus, et praecipue secundum humectationem. Alio modo sic, quod transmutatio materialis annexa sit solum ex parte sensibilis. Huiusmodi autem, transmutatio vel est secundum resolutionem et alterationem quandam sensibilis, sicut accidit in sensu odoratus; vel solum secundum loci mutationem, sicut accidit in auditu; unde auditus et odoratus, quia sunt sine mutatione materiali sentientis, licet adsit materialis mutatio ex parte sensibilis, non tangendo, sed per medium extrinsecum sentiunt; gustus autem solum in tangendo sentit, quia requiritur immutatio materialis ex parte sentientis. Sunt autem alia sensibilia quae immutant sensum absque materiali immutatione annexa, sicut lux et color, quorum est visus: unde visus est altior inter omnes sensus et universalior, quia sensibilia ab eo percepta sunt communia corporibus corruptibilibus et incorruptibilibus » (Q. d. an. a. 13 [priorem partem huius textus v. ad 502]; cf. S. th. I 78, 3). *Aristoteles* « ostendit, quod non est unus sensus tactus, sed plures . . . Omnis enim unus sensus videtur esse unius contrarietatis, sicut visus albi et nigri, auditus gravis et acuti, gus-

tus amari et dulcis. Sed in tangibili, quod est obiectum tactus, sunt multae contrarietates, scil. calidum et frigidum, humidum et siccum, durum et molle et quaedam alia huiusmodi, et grave et leve, et acutum et hebes et similia . . . Unde formaliter loquendo, et secundum rationem sensus tactus non est unus sensus, sed plures » (Πᾶσά τε γὰρ αἴσθησις μιᾶς ἐναντιώσεως εἶναι δοκεῖ, . . . ἐν δὲ τῷ ἁπτῷ πολλαὶ ἔνεισιν ἐναντιώσεις: De an. II 11, 422 b 23. *S. Thom.* lect. 22 n. 519 524). *S. Thomas:* « Sicut Philosophus videtur dicere in II De an., sensus tactus est unus genere, sed dividitur in multos sensus secundum speciem, . . . qui tamen non separantur ab invicem secundum organum, sed per totum corpus se concomitantur ; et ideo eorum distinctio non apparet . . . Sensus gustus, secundum dictum Philosophi [De an. II 9, 421 a 19, et III 12, 434 b 21 ; cf. *S. Thom.*, In De an. II lect. 19 n. 482 ; lect. 21 n. 502 ; III lect. 17 n. 861], est quaedam species tactus, quae est in lingua tantum . . . Si vero tactus sit unus sensus tantum, propter unam rationem communem obiecti : dicendum erit quod secundum rationem diversam immutationis, distinguitur gustus a tactu » (S. th. I 78, 3 ad 3 et 4 ; cf. Q. d. an. a. 13 ad 17).

Ad 486. *S. Thomas:* « Vis sentiendi diffunditur in organa quinque sensuum ab aliqua una radice communi, a qua procedit vis sentiendi in omnia organa, ad quam etiam terminantur omnes immutationes singulorum organorum » (In De an. III lect. 3 n. 609). « Ostendit, ubi sit organum tactus et gustus constitutum ; et dicit quod est iuxta cor . . . Nec obstat quod per totum corpus animal sentit sensu tactus : quia sicut alii sensus fiunt per medium extrinsecum, ita tactus et gustus per medium intrinsecum, quod est caro. Et sicut visivum principium non est in superficie oculi, sed intrinsecus ; ita etiam principium tactivum est intrinsecus circa cor . . . Nec tamen oportet esse duo principia sensitiva in animali ; unum circa cerebrum ubi constituitur principium visivum, odorativum et auditivum, et aliud circa cor ubi constituitur principium tactivum et gustativum. Sensitivum enim principium primo quidem est in corde . . . Sed a corde derivatur virtus sensitiva ad cerebrum, et exinde procedit ad organa trium sensuum, visus, auditus et odoratus : tactus autem et gustus referuntur ad ipsum cor per medium coniunctum, ut dictum est » (In De sensu et sensato, lect. 5 n. 74—76). Principium visionis est interius iuxta cerebrum, ubi coniunguntur duo nervi ex oculis procedentes » (l. c. n. 64). « Organum odoratus dicitur esse in loco, qui est circa cerebrum » (l. c. n. 69).

Ad 487. *Aristoteles:* Λέγεται τὸ αἰσθητὸν τριχῶς, ὧν δύο μὲν καθ' αὑτά . . ., τὸ δὲ ἓν κατὰ συμβεβηκός. τῶν δὲ δύο, τὸ μὲν ἴδιόν ἐστιν ἑκάστης αἰσθήσεως, τὸ δὲ κοινὸν πασῶν (De an. II 6, 418 a 8). Ad quae *S. Thomas:* « Sensibilia tribus modis dicuntur. Uno quidem modo per accidens, et duobus modis per se: quorum uno dicuntur sensibilia illa, quae propria sunt singulis sensibus ; alio modo . . . quae communiter sentiuntur ab omnibus quae sentiunt . . . Dicit quod sensibile proprium est quod ita sentitur uno sensu, quod non potest alio sensu sentiri, et circa quod non potest errare sensus : sicut visus proprie est cognoscitivus coloris . . . [Dicit] quod communia sensibilia sunt ista quinque : motus, quies, numerus, figura et magnitudo. Haec enim nullius sensus unius sunt propria, sed sunt communia omnibus. Quod non est sic intelligendum, quasi omnia ista sint omnibus communia . . . Propria sensibilia sunt proprie per se [h. e. per se primo] sensibilia ; quia substantia uniuscuiusque sensus et eius definitio est in hoc, quod est aptum natum pati a tali sensibili . . . Ad hoc quod aliquid sit sensibile per accidens, primo requiritur quod accidat ei quod per se est sensibile, sicut accidit albo esse hominem . . . Secundo requiritur, quod sit apprehensum a sentiente . . . Oportet igitur quod per se cognoscatur ab aliqua alia potentia cognoscitiva sentientis [scil. intellectu, vel cogitativa aut aestimativa] . . . Non tamen omne quod intellectu apprehendi potest in re sensibili, potest dici sensibile per accidens, sed statim quod ad occursum

rei sensatae apprehenditur intellectu. Sicut statim cum video aliquem loquentem, vel movere seipsum, apprehendo per intellectum vitam eius, unde possum dicere quod video eum vivere » (In De an. II lect. 13 n. 383 sq. 386 sq. 395 sq. ; cf. ib. III lect. 1 n. 577 sqq. : S. th. I 17, 2).

A d 491. *Aristoteles :* Τῶν αἰσθητῶν αἱ ὑπερβολαὶ φθείρουσι τὰ αἰσθητήρια· ... λύεται ὁ λόγος· τοῦτο δ' ἦν ἡ αἴσθησις (De an. II 12, 424 a 29). Ad haec *S. Thomas :* « Excellentia sensibilium [corrumpit] organa sensuum. Oportet enim in organis sentiendi, ad hoc quod sentiatur, esse "quandam rationem", idest proportionem, ut dictum est. Si ergo motus sensibilis fuerit fortior quam organum natum sit pati, solvitur proportio, et corrumpitur sensus, qui consistit in quadam proportione organi, ut dictum est. Et est simile, sicut cum aliquis fortiter percutit chordas, solvitur symphonia et tonus instrumenti, qui in quadam proportione consistit » (l. c. lect. 24 n. 556).

§ 3. De sensibus internis

Thesis 35 : *In homine et in animalibus brutis inest sensus communis, ab omnibus sensibus externis distinctus.*

492. St. qu. 1. Sensus communis est sensus internus, qui percipit sensationes singulorum sensuum externorum, prout sub una ratione formali affectionis sensitivae subiectivae hic et nunc afficientis subiectum sentiens conveniunt. Ex quo deducitur : *a)* sensum communem esse potentiam sensitivam, qua homo (et animal brutum) sentit se sentire ac diversas sensationes elementares seu partiales, quas complectitur aliqua sensatio externa, in unitatem seu totalitatem colligit ; *b)* sensu communi obiecta singulorum sensuum externorum apprehendi et inter se distingui. Sensus communis distinguit seu diiudicat inter sensibilia diversorum sensuum externorum eodem modo, quo aliquis sensus externus, ut visus, inter diversa sua sensibilia (inter diversos colores) diiudicat, in quo sane nullo modo habetur iudicium proprie dictum neque comparatio proprie dicta, sed sensus simpliciter sentit ea obiecta esse diversa inter se.

2. Cum sensus communis dicitur esse potentia, qua animal sentit se sentire, hoc intelligitur in actu signato, non in actu exercito tantum. Nam omne cognoscens cognoscit suam cognitionem in actu exercito saltem : exercendo actum cognitionis, hoc ipso concomitanter experitur suam cognitionem obscure et in obliquo (cf. n. 475). Sed dicimus animal sensu communi sentire suas sensationes in actu signato, i. e. clare et expresse tamquam obiectum, in quod fertur attentio : Obiectum formale sensus communis sunt sensationes sensuum externorum, prout sunt affectiones subiectivae.

493. Prob. th. Ex eo quod homo et animal brutum sentit se sentire : Ipse sensus externus non potest sentire suas sensationes in actu signato, quia non potest reflectere, neque potest discernere suum obiectum ab obiecto aliorum sensuum externorum, quia hoc attingere nullo

modo valet. Iamvero constat homines et animalia bruta sentire sensationes suas easque earumque obiecta inter se discernere. Ergo in homine et in animalibus brutis admittendus est sensus aliquis internus percipiens sensuum externorum sensationes easque earumque obiecta inter se discernens, seu facultas, qua animal affectiones suas sensitivas subiectivas sentit seu sensibiliter percipit. Hoc contingere in nobis hominibus constat ex experientia interna. Experimur nos clare et expresse cognoscere diversas sensationes sensuum externorum. Et experimur hanc cognitionem tamquam sensitivam, tamquam sensationem, quae immediate et directe fertur in sensationes sensuum externorum, quatenus hae sunt affectiones singulares, concretae nostri ipsorum ; quae cognitio non potest esse intellectus, qui semper fertur in res sub respectu quidditatis universalis. Similiter experientia interna nobis manifestat nos non habere simplices sensationes tantum, sed etiam perceptiones, quibus obiecta diversorum sensuum externorum in unum coniungimus. Hoc autem esse nequit sine sensu superiore, i. e. sine sensu communi, qui obiecta diversorum sensuum externorum cognoscit et distinguit. Etiam animal brutum sentire sensationes suas easque earumque obiecta inter se discernere ex eius modo agendi constat : Videmus animal dirigere attentionem suam in sensationem ipsam (in auditionem, in visionem etc.) tamquam in rem, quam cognoscit ; aspicit enim ut videat, aures erigit ut audiat etc. Et ex modo agendi animalis etiam manifestatur animal non tantum habere simplices sensationes, sed etiam perceptionem (cf. n. 490), qua sensibilia diversorum sensuum externorum colligit.

494. Coroll. Ergo animali convenit reflexio aliqua impropria, qua una potentia sensitiva altior (sensus communis) cognoscit actus aliarum potentiarum cognoscitivarum inferiorum (sensuum externorum). In homine haec reflexio improprie dicta convenit etiam intellectui, qui actus omnium potentiarum sensitivarum cognoscere potest (cf. n. 559, 1). Intellectui praeterea convenit reflexio proprie dicta (cf. n. 561-564), quae in eo consistit, quod eadem potentia cognoscitiva (intellectus) cognoscit suum actum et seipsam et subiectum cognoscens, quam reflexionem denegavimus omni sensui (n. 480, 2).

495. Schol. 1. Fundamentum anatomicum sensus communis est coniunctio, quae intercedit inter cellulas nerveas peripheriae et cerebrum, in quo (saltem principaliter ; cf. schol. 2) inest organum sensus communis. Omnis sensatio externa, dummodo ne sit impedimentum, per nervorum fibras motibus physiologicis perducitur usque ad cerebrum. Hi motus physiologici sunt processus physici et chimici, qui irritatione peripheriae excitati nervorum fibras percurrunt atque in cerebro organicam immutationem producunt, qua gignitur species sensibilis ad

actum sensus communis requisita. Sensatio externa in fibra nervea et in cerebro perdurat tamquam affectio subiectiva, quae sensu communi conscia fit atque ita ultimo completur. Quare etiam quoad sensum communem distinguatur obiectum immediatum intus et obiectum mediatum foris in peripheria.

2. De sensatione inconscia. Recentes multum agitant quaestionem, possitne sensatio aliqua esse inconscia. Ad hanc quaestionem solvendam distinguenda est conscientia in actu exercito et conscientia in actu signato. Conscientia in actu exercito est cognitio aliqua sui imperfectissima, concomitans actum cognitionis: Cognoscens, cognoscendo aliud ut aliud, experitur concomitanter suum actum et seipsum. Conscientia seu cognitio sui in actu signato est actio, qua cognoscens cognoscit cognitionem suam et seipsum tamquam obiectum, in quod cognoscendo fertur. Haec cognitio sui est aut directa aut reflexa (cf. n. 466, 3), et reflexa est aut per reflexionem propriam aut per reflexionem impropriam sive sensus communis sive intellectus. In quaestione nostra non agitur de conscientia sui directa, quae est solarum substantiarum spiritualium separatarum, neque agitur de reflexione proprie dicta, quae est solius intellectus ad seipsum, sed solum de conscientia in actu exercito et de reflexione impropria duplici: intellectus cognoscentis sensationes omnes, et sensus communis cognoscentis sensationes sensuum externorum.

Hoc posito, dicimus: *a)* Nulla sensatio potest esse inconscia, si agitur de conscientia in actu exercito; patet ex dictis. *b)* Non est dubium sensationes posse esse inconscias, i. e. non perceptas ab intellectu, aut propter inadvertentiam aut propter impedimentum phantasiae, a qua dependet intellectio. Neque dubium esse potest initio omnem omnino sensationem externam esse inconsciam sensiliter, i. e. a sensu communi nondum perceptam, quia requiritur tempus (etsi minimum) ad hoc, ut sensatio externa a peripheria ad cerebrum perducatur ibique conscia fiat. Ex quo etiam suadetur posse contingere, ut aliquae sensationes externae omnino numquam perducantur usque ad sensus communis organum propter communicationem interruptam, aut omnino numquam percipiantur a sensu communi, sive propter indispositionem physiologicam (ex ebrietate, ex usu chloroformii) sive propter indispositionem psychologicam (propter distractionem et attentionem ad aliud directam); ita vehementi distractione quasi oblivisci possumus dolorem, qui tamen propterea non cessat, sed cessat esse conscius.

Non omnes sensationes animalium, quibus cerebrum excisum est, tamquam inconsciae haberi possunt. Haec enim animalia saepe ita se gerunt et reagunt, cum irritantur, ut eorum motus non tamquam motus mere reflexi, sed tamquam spontanei, i. e. ex appetitu sensitivo profecti habendi sint. Quodsi motus sunt spontanei, neque sen-

sationes inconsciae esse possunt. Dicendum igitur est cerebrum esse quidem sensus communis organum principale, sed hunc sensum secundarie etiam inesse in medulla spinali.

496. Obi. 1. Non est sensus, qui attingit ipsum subiectum sentiens. Atqui sensus communis esset sensus, qui attingeret ipsum subiectum sentiens. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Qui attingit concrete et implicite, *nego;* abstracte et explicite, *conc. Contradist. min.* Hoc ipso, quod sensus communis non attingit sensationem sensus externi abstracte, sed concrete, attingit etiam subiectum sentiens concrete et implicite; hoc ipso, quod sentit hanc sensationem, sentit etiam hoc sentiens. Sed subiectum permanens distinctum a sensationibus non attingit.

2. Atqui non est sensus, cuius obiectum esset subiectum sentiens eiusque sensationes, etsi concrete tantum. *Probo.* Non est sensus, cuius obiectum confunditur cum obiecto sensuum externorum. Atqui sensus, cuius obiectum esset subiectum sentiens eiusque sensationes concrete, est sensus cuius obiectum confunditur cum obiecto sensuum externorum. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Cuius obiectum confunditur cum eo, quod sensus externi attingunt in actu signato, *conc.;* ... in actu exercito, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui non datur sensus, qui in actu signato attingat subiectum sentiens eiusque sensationes. *Probo.* Non datur sensus, cui conveniret reflexio. Atqui sensus, qui in actu signato attingit subiectum sentiens eiusque sensationes, est sensus, cui conveniret reflexio. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Cui conveniret reflexio proprie dicta, *conc.;* improprie dicta, *nego. Dist. consq.*

Bibliographia ad 492—495: *M. de Corte,* Notes exégétiques sur la théorie Aristotélicienne du sensus communis, NSch 6 (1932) 187—214. *Kohlhofer,* Was ist Bewusstheit? Gibt es unbewusste psychische Akte?, PhJ 24 (1911) 382—392.

Ad 493. *Aristoteles,* de sensu communi agens, dicit, «quod, quia discernimus aliqua virtute non solum album a nigro vel dulce ab amaro, sed etiam album a dulci, et unumquodque sensibile discernimus ab unoquoque et sentimus quod differunt, oportet quod hoc sit per sensum; quia cognoscere sensibilia, inquantum sunt sensibilia, est sensus. Cognoscimus autem differentias albi et dulcis, non solum quantum ad quod quid est utriusque, quod pertinet ad intellectum, sed etiam quantum ad diversam immutationem sensus. Et hoc non potest fieri nisi per sensum» (Ἐπεὶ δὲ ... ἕκαστον τῶν αἰσθητῶν πρὸς ἕκαστον κρίνομεν, τίνι καὶ αἰσθανόμεθα ὅτι διαφέρει; ἀνάγκη δὴ αἰσθήσει: De an. III 2, 426 b 12. *S. Thom.* lect. 3 n. 601). Cf. *Arist.,* De somno et vig. 2, 455 a 15; *S. Thom.,* S. th. I 78, 4; Q. d. an. 13 [ad 502].

Thesis 36: *In homine et in animalibus brutis inest phantasia, quae est sensus internus, realiter distinctus a sensu communi.*

497. St. qu. Phantasia est facultas sensitiva, cuius obiectum formale est omne sensile a sensibus externis et a sensu communi perceptum, prout abstrahit a praesentia et absentia. Cum sensus communis non percipiat nisi ea, quibus actu hic et nunc afficimur, phantasia nobis quaecumque obiecta sensilia, etiam absentia, repraesentat. Ideo triplex est munus phantasiae: *a)* recipit perceptiones

sensus communis easque retinet in absentia sensilium; *b)* eas revocat et reproducit; *c)* eas coniungit inter se et cum sensatione sensus externi et sensus communis, quo simplicem sensationem in perceptionem convertit (cf. n. 490). Phantasia recipit obiecta sua a sensibus externis mediante sensu communi. Nihil igitur est in phantasia, quod prius aliquo modo non fuit in sensu externo. Imago rei in phantasia exsistens dicitur phantasma; phantasmata sunt non tantum de qualitatibus visibilibus, sed etiam de aliis qualitatibus sensilibus. Cum sensus externi et sensus communis quoad obiectum se habeant mere receptive — non enim cognoscunt nisi obiectum quod praesentialiter obtruditur —, phantasia quoad obiectum productiva est.

498. Prob. th. I p.: In homine et in animalibus brutis inest phantasia. In homine inesse phantasiam, conscientiae testimonio constat; etiam in brutis inesse, probatur ex eo, quod bruta a sensilibus absentibus moventur; quaerunt enim praedam absentem.

Prob. II p.: Phantasia est sensus internus. Phantasia est sensus internus seu potentia sensitiva interna; nam eius obiectum est singulare concretum, a sensibus externis et a sensu communi iam perceptum.

Prob. III p.: Phantasia est realiter distincta a sensu communi. Phantasia est potentia realiter distincta a sensu communi, quia eius obiectum formale est aliud et altius quam obiectum formale sensus communis, quatenus obiectum phantasiae abstrahit a praesentia et absentia. Eius obiectum est essentialiter obiectum repraesentatum.

499. Schol. 1. Res sensibus externis percepta mediante sensu communi in phantasia sui speciem imprimit, quae species habitualiter in phantasia permanet ut dispositio quaedam habitualis psychica, cui veluti substratum respondet dispositio aliqua permanens in organo, in cellulis cerebri. Ita quaecumque sensatio, quae usque ad phantasiam perducitur, sui vestigia in phantasia relinquit.

2. Obiectum, cuius species in phantasia recondita est, a phantasia iterum actu repraesentatur: *a)* excitatione voluntatis in homine; *b)* excitatione physiologica (cum excitatur cerebrum e. g. pressione sanguinis); *c)* excitatione psychica, quae in imaginum associatione fundatur. Associatio imaginum est conexio imaginum, in virtute cuius, data una, altera excitatur. Imaginum associatio est duplex: obiectiva et subiectiva. Associatio obiectiva habetur, cum inter phantasiae imagines intrinseca contingit conexio ratione similitudinis aut oppositionis (pater — filius), propter quam altera ab altera excitatur; associatio subiectiva habetur, cum nexus in

trinsecus deest, altera tamen imago excitat alteram, quia prius phantasiae iam simul obversatae fuerant. Recentes psychologi totam associationem in lege contiguitatis fundant: Eae, inquiunt, repraesentationes ad invicem associantur, ita ut postea mutuo se reproducant, quae tempore simul aderant aut quarum altera immediate post alteram obversabatur. In associatione fundatur ediscendi opera (cf. text. cit.).

3. Phantasia occasionem praebere potest falsi iudicii ex eo, quod repraesentatio eius nimis vivida tamquam obiectum in rerum natura praesentialiter exsistens apparet, id quod illusionis seu hallucinationis nomine designatur. Hallucinationem ab illusione distinguunt ex eo, quod illa magis repraesentet id, quod omnino non est, quasi esset, haec vero id, quod est, repraesentet aliter atque est. Hallucinationis exemplum in somniis habes (cf. n. 523), illusionis in eo, qui noctu timore agitatus quamcumque umbram pro spectro habet.

500. Obi. 1. Si ratio praesentiae et absentiae non facit differre potentias in ordine cognoscitivo, non inest phantasia tamquam sensus internus distinctus. Atqui ratio praesentiae et absentiae non facit differre potentias in ordine cognoscitivo. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si non facit differre in ordine cognoscitivo sensitivo, *conc.;* in ordine intellectivo, *nego. Contradist. min.* Cf. n. 548, 1.

2. Atqui neque in ordine cognoscitivo sensitivo ratio praesentiae et absentiae facit differre potentias. *Probo.* In ordine, in quo ratio praesentiae et absentiae non facit differre potentiam appetitivam, haec ratio neque facit differre potentiam cognoscitivam. Atqui in ordine sensitivo ratio praesentiae et absentiae non facit differre potentiam appetitivam (cf. n. 508, 1, c). Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si cognitio sicut appetitio fieret per inclinationem ad obiectum secundum esse physicum, *conc.;* si cognitio fit per identitatem cum obiecto secundum esse intentionale, *nego. Conc. min.; dist. consq.* Cf. n. 505—508.

3. Atqui etiam si cognitio fit per identitatem cum obiecto secundum esse intentionale, ratio absentiae non facit differre phantasiam ab aliis potentiis cognoscitivis sensitivis. *Probo.* Ea ratio non facit differre seu non specificat potentiam, quae etiam secundum rationem oppositam fertur in obiectum suum. Atqui phantasia etiam secundum rationem oppositam absentiae fertur in obiectum suum, cognoscendo obiectum praesens. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quae etiam secundum rationem oppositam fertur in obiectum suum formaliter, *conc.;* materialiter tantum, *nego. Contradist. min.* Phantasia cognoscit etiam obiectum praesens, sed sub ratione, quae abstrahit a praesentia; cognoscit enim productivo seu repraesentativo modo, exprimendo speciem.

Bibliographia ad 497—499: *R. E. Brennan,* The Thomistic Concept of Imagination, NSch 15 (1941) 149—161. *G. de Craene,* Nos représentations sensibles intérieurs, RNSPh 3 (1896) 45—69. *V. Ermoni,* Le phénomène de l'association, RNSPh 6 (1899) 30—40. *A. D. Fearon,* The Imagination, NSch 14 (1940) 181—195. *N. Stehle,* Die Phantasie und ihre Tätigkeit, PhJ 19 (1906) 128—143; 421—438. *F. A. Walsh,* Phantasm and Phantasy, NSch 9 (1935) 116—133.

Ad 498. *Aristoteles* dicit, «quod phantasia sit quidam motus causatus a sensu secundum actum; qui quidem motus non est sine sensu neque potest

inesse his, quae non sentiunt. Quia, si aliquis motus fit a sensu secundum actum, similis est motui sensus, et nihil aliud nisi phantasia invenitur esse tale. Relinquitur ergo quod phantasia erit huiusmodi motus» ('Η φαντασία κίνησίς τις δοκεῖ εἶναι καὶ οὐκ ἄνευ αἰσθήσεως γίγνεσθαι ἀλλ' αἰσθανομένοις καὶ ὧν αἴσθησίς ἐστιν: De an. III 3, 428 b 11. *S. Thom.* lect. 6 n. 659). "Phantasias immanere", etiam abeuntibus sensibilibus, omnibusque animalibus phantasiam inesse Aristoteles ibidem asserit (v. text. cit. ad 514). Cf. De an. II 2, 413 b 22; III 3, 427 b 14; 428 a 1 sqq.; S. Thom. II lect. 4 n. 265; III lect. 4 n. 632 sqq.; lect. 5 et 6; III lect. 16 n. 836 sqq.; Arist., De mem. et rem. 1, 450 a 10 sqq.; S. Thom. lect. 2 n. 319 sqq.; lect. 3 n. 328 340 sqq.; Q. d. an. a. 13 (cit. ad 502); Qdl. VIII a. 3; S. th. I 78, 4.

Ad 499, 2. *S. Thomas:* «Causa reminiscendi est ordo motuum, qui relinquuntur in anima ex prima impressione eius, quod primo apprehendimus. Hanc ergo causam . . . proponens, dicit [Philosophus] quod reminiscentiae contingunt per hoc, quod unus motus natus est post alium nobis occurrere: quod quidem contingit dupliciter. Uno modo, quando secundus motus consequitur post primum motum ex necessitate, sicut ad apprehensionem hominis sequitur apprehensio animalis ex necessitate; et sic manifestum est, quod, quando anima movetur primo motu, movebitur etiam secundo. Alio vero modo contingit, quia secundus motus sequitur post primum, non ex necessitate, sed ex consuetudine, quia scil. aliquis consuevit post hoc cogitare vel dicere vel facere, et tunc secundus motus sequitur post primum non semper, sed ut. . . in pluribus. . . Dicta autem consuetudo non firmatur aequaliter in omnibus hominibus; . . . quod potest contingere vel propter maiorem attentionem et profundiorem cognitionem, vel propter naturam, quae est melius receptiva et retentiva impressionis . . . Concludit . . . quod, ex quo unus motus sequitur post alterum vel ex necessitate vel ex consuetudine, oportet quod quando reminiscimur, moveamur secundum aliquem horum motuum, quousque veniamus ad hoc quod moveamur apprehendendo illo motu, qui consuevit esse post primum, quem scil. motum intendimus reinvenire reminiscendo, quia reminiscentia nil est aliud quam inquisitio alicuius quod a memoria excidit. . . Hoc autem primum, a quo reminiscens suam inquisitionem incipit, quandoque quidem est tempus aliquod notum, quandoque autem aliqua res nota. Secundum tempus quidem incipit quandoque a n u n c . . . puta si quaerit memorari id quod fecit ante quattuor dies, meditatur sic: hodie feci hoc, heri illud . . . Quandoque vero incipit a b aliquo a l i o t e m p o r e, puta si quis in memoria habeat quid fecerit octava die ante . . . Quandoque reminiscitur aliquis incipiens ab aliqua re cuius memoratur, a qua procedit ad aliam triplici ratione. Quandoque quidem ratione s i m i l i t u d i n i s . . . Quandoque vero ratione c o n t r a r i e t a t i s . . . Quandoque vero ratione p r o p i n q u i t a t i s cuiuscumque, . . . vel societatis, vel loci, vel temporis; et propter hoc fit reminiscentia» ("Οταν ἀναμιμνησκώμεθα, κινούμεθα τῶν προτέρων τινὰ κινήσεων, ἕως ἂν κινηθῶμεν μεθ' ἣν ἐκείνη εἴωθεν. διό καὶ τὸ ἐφεξῆς θηρεύομεν νοήσαντες ἀπὸ τοῦ νῦν ἢ ἄλλου τινός, καὶ ἀφ' ὁμοίου ἢ ἐναντίου ἢ τοῦ σύνεγγυς. διὰ τοῦτο γίγνεται ἡ ἀνάμνησις: De mem. et rem. 2, 451 b 16. *S. Thom.* lect. 5 n. 359 sqq.). Ibidem circa ediscendi operam haec colligit *S. Thomas:* «A d b e n e m e m o r a n d u m vel reminiscendum ex praemissis quattuor d o c u m e n t a utilia addiscere possumus. Quorum p r i m u m est, ut studeat quae vult retinere, in aliquem ordinem deducere. S e c u n d o ut profunde et intente eis mentem apponat. T e r t i o ut frequenter meditetur secundum ordinem. Q u a r t o ut incipiat reminisci a principio.» Paulo supra dixerat: «Citissime et optime fiunt reminiscentiae, quando incipit aliquis meditari a principio totius negotii» (In De mem. et rem. lect. 5 n. 371 369). Cf. S. th. II II 49, 1 ad 2, ubi tamquam primum ponit: «Eorum quae vult memorari, quasdam similitudines [corporales, ib. infra] assumat convenientes nec tamen omnino consuetas.»

Thesis 37 : *Admittenda est in homine et in animalibus brutis vis aestimativa et memoria sensitiva, quae sunt sensus interni realiter distincti inter se et a reliquis sensibus internis.*

501. St. qu. 1. Vis aestimativa est sensus internus, quo animal in re externa per sensus externos apprehensa vel per phantasiam repraesentata percipit « intentiones insensatas » seu id, quod neque sensibus externis neque sensu communi aut phantasia percipitur. Hoc autem duplex est : *a)* nocivum et conveniens non sensibus, sed naturae individui aut speciei, et generatim habitudo rei sensatae ad naturam subiecti sentientis. Ita avis paleam percipit ope aestimativae tamquam a se colligendam et adhibendam ad nidificandum, quin tamen propterea apprehendat etiam finem, ad quem in se ordinata est illa activitas (instinctus) ; *b)* habitudo unius rei sensatae per sensus externos et sensum communem, vel etiam phantasiam, ad aliam rem sensatam ; ita animalia diversa adhibent instrumenta ad nutrimentum sibi procurandum, percipiendo utilitatem medii in ordine ad finem apprehensum (« intelligentia » brutorum). Animal naturaliter inditam habet aptitudinem, ut aestimet seu percipiat in re sensata eiusmodi « intentiones insensatas » ; quam perceptionem sequitur appetitus inclinatio et operatio conveniens.

2. Memoria sensitiva est sensus internus, cuius est cognoscere praeteritum ut praeteritum. Memoria cum phantasia non est confundenda ; actus enim memoriae non consistit in hoc, quod obiectum prius perceptum iterum percipiatur et eius imago revocetur, sed in eo, quod res (singularis sensilis) recognoscatur, i. e. quod cognoscatur formaliter ut prius iam cognita. Neque est memoria sensitiva confundenda cum memoria intellectiva, quae apprehendit relationem abstractam praeteriti ad praesens.

502. Prob. th. I p. : Admittenda est in homine et in animalibus brutis vis aestimativa. Ex iis, quae animalia appetunt : Appetitus sequitur cognitionem ; iam vero animalia appetunt, quaerunt, refugiunt multa, non quia sunt convenientia aut disconvenientia sensibus, sed quia conveniunt aut disconveniunt naturae ; ita avis quaerit paleam, ovis fugit lupum. Ergo cognoscunt intentiones insensatas. Instinctiva cognitio in homine post acquisitum usum rationis non ita apparet, cum homo adultus ratione dirigatur. Tamen non omnino desinit ; ita manifestatur in modo, quo sexus sexum cognoscit.

Prob. II p. : Admittenda est memoria sensitiva. Ex experientia : Animalia cognoscunt praeterita ut praeterita, seu recognoscunt : dominum, cubilia, pullos, viam. Quae cognitio etiam in homine, cum sit directa rei singularis materialis cognitio, ad facultatem aliquam sensitivam pertinet.

Prob. III p.: Vis aestimativa et memoria sensitiva sunt sensus interni realiter distincti inter se et a reliquis sensibus internis. Ex diversitate obiectorum formalium: Aestimativa realiter differt a sensu communi et a phantasia, nam eius obiectum formale omnino aliud et altius est. Similiter memoria sensitiva propter obiectum formale suum differt ab aestimativa et a sensu communi et a phantasia. Actus enim memoriae est recognitio, et obiectum formale est obiectum ut recognitum.

503. Schol. 1. Vis aestimativa est potentia resultans ex speciei natura. Ideo non est habitus acquisitus neque ab individuo, quia animal statim ab initio secundum instinctum perfecte operatur, neque a specie per evolutionem lentam, continuam, mechanicam, ut Darwinistae volunt; quod probatur 1. ex iis, quae contra Darwinistas in genere infra dicemus (n. 608-611); 2. ex eo, quod multae sunt instinctivae activitates, quae ex natura sua in indivisibili positae sunt, ut omnino repugnet eas ortum habere per lentam, continuam, mechanicam evolutionem. Ita calicurgus immobilem reddit, sed non interficit praedam suam, ut fetui suo nutrimentum procuret vivum. Ad hoc aculeo suo ferire debet plura determinata omnino loca animalis, et quidem statim ab initio cum maxima accuratione, secus aut interficit praedam aut ipse a praeda sua interficitur. Similiter se habet instinctus rhynchitis.

Attamen aestimativa potest acquirere quasdam modificationes, quae etiam ad posteros transmittuntur, ut experientia constat.

2. Aestimativa ad actualem cognitionem determinatur sensibus externis, sensu communi et phantasia. Obiectum horum sensuum ipsa aestimat seu «diiudicat» percipiendo «intentiones insensatas».

3. Memoria sensitiva dicitur a S. Thomas «thesaurus intentionum insensatarum», et ex mente eius definitur: facultas organica conservativa et reproductiva intentionum, quas apprehendit aestimativa. Animalia enim memoriam ostendunt eorum, quae ipsis utilia et nociva sunt; praeterea «ipsa ratio praeteriti, quam attendit memoria, inter intentiones insensatas computatur» (S. th. I 78, 4).

4. Cum homo sit animal, etiam in eo invenitur vis aestimativa, quae tamen potentia in homine dicitur cogitativa, quia propter coniunctionem ad intellectum operandi modum altiorem sortitur, quatenus suo modo sensiliter repraesentat id, quod intellectus cognoscit abstracte et universaliter.

Similiter memoria sensitiva in homine, quatenus movetur ab intellectu, altiorem operandi modum et reminiscentiae nomen sortitur: homo, imperante eius voluntate et dirigente intellectu, quaerit, quae e memoria exciderant; contra, animal brutum nonnisi subita recordatione omnino spontanee rem recognoscit. Homo vero ab aliqua rei parte, ab aliquo rei indicio ad totam rem inventen-

dam libere procedit. Ex quo tamen patet etiam hominem, ad hoc, ut habeatur actus reminiscendi, aliquid rei subita et involuntaria recordatione recognoscere debere ; si enim nihil omnino rei tenet, omnis potestas rei reminiscendae adempta est.

504. Obi. 1. Sensus, qui perciperet utilitatem et nocivum, non est admittendus. Atqui aestimativa est sensus, qui perciperet utilitatem et nocivum. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Qui perciperet utilitatem et nocivum concrete, *nego ;* abstracte, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui sensus neque percipit utile et nocivum concrete. *Probo.* Sensus, qui percipit utile et nocivum, etsi concrete, est sensus, qui cognoscit finem et media ad finem. Atqui nullus sensus cognoscit finem et media ad finem. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Qui cognoscit finem imperfecte et materialiter, et consequenter cognoscit medium concrete, *conc. ;* qui cognoscit finem perfecte et formaliter, et consequenter cognoscit medium abstracte, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui aestimativa nullo modo cognoscit finem et media ad finem. *Probo.* Instinctus seu inclinatio ad determinato modo agendum nullo modo cognoscit finem et media. Atqui aestimativa nihil est nisi instinctus. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Ipsa inclinatio seu appetitus, *conc. ;* cognitio instinctiva seu appetitiva, *nego. Contradist. min.*

Bibliographia ad 501—503 : *R. Allers,* The Vis cogitativa and Evaluation, NSch 15 (1941) 195—221. *E. Domet de Vorges,* L'estimative, RNSPh 11 (1904) 433—454. *R. Hain,* De vi aestimativa et de instinctu animalium, RUO section spéciale 1 (1932) 98*—114*. *Id.,* De vi cogitativa et de instinctu hominis, l. c. 2 (1933) 41*—62*.

Ad 502 sq. *Aristoteles* dicit, « quia memoria [μνήμη : De mem. et rem. 1, 451 a 15] est habitus idest habitualis quaedam conservatio phantasmatis, non quidem secundum seipsum (hoc enim pertinet ad virtutem imaginativam), sed inquantum phantasma est imago alicuius prius sensati. Dictum est etiam ad quam partem animae earum, quae in nobis sunt, pertineat, quia scil. pertinet ad primum sensitivum, inquantum per ipsum cognoscimus tempus » (*S. Thom.,* In De mem. et rem. lect. 3 n. 349 ; cf. lect. 2 ; S. th. I 78, 4 ; 79, 6 ; I-II 30, 2 ad 1 ; Ver. 10, 2). Reminiscentia, ἀνάμνησις : *Arist.,* De mem. et rem. 2, 453 a 6 15 ; cf. *S. Thom.* lect. 5 (cit. ad 499, 2) ; lect. 8 n. 398 sqq. ; Q. d. an. a. 13 (hic infra) ; S. th. I 78, 4. De vi aestimativa (cogitativa) agit *S. Thomas :* In De an. II lect. 13 n. 395 sqq. ; II Dist. 24, 2 a. 1 ; 25 a. 1 ad 7 ; III Dist. 26, 1 a. 2 ; Q. d. an. a. 13 (hic infra) ; S. th. I 78, 4. Totam doctrinam de sensibus *S. Thomas* exponit Q. d. an. a. 13 : « Potentia secundum id, quod est, dicitur ad actum : unde oportet quod per actum definiatur potentia et secundum diversitatem actuum diversificentur potentiae. Actus autem ex obiectis speciem habent . . . Relinquitur igitur quod secundum distinctionem obiectorum attenditur distinctio potentiarum animae. Oportet tamen attendere distinctionem obiectorum, secundum quod obiecta sunt differentiae actionum animae, et non secundum aliud, quia in nullo genere species diversificatur nisi differentiis quae per se dividunt genus . . . Oportet autem in actionibus animae tres gradus considerare. Actio enim animae transcendit actionem naturae in rebus inanimatis operantis ; sed hoc contingit quantum ad duo, scil. quantum ad modum agendi et quantum ad id quod agitur. Oportet autem quod quantum ad modum agendi omnis actio animae transcendat operationem vel actionem naturae inanimati ; quia cum actio animae sit actio vitae, vivum autem est quod seipsum movet ad operandum, oportet quod omnis operatio animae

sit secundum aliquod intrinsecum agens. Sed quantum ad id, quod agitur, non omnis actio transcendit actionem naturae inanimati ; oportet enim, quod fit, esse naturale, et quae ad ipsum requiruntur, sic in corporibus inanimatis sicut in corporibus animatis ; sed in corporibus inanimatis fit ab agente extrinseco, in corporibus vero animatis ab agente intrinseco ; et huiusmodi sunt actiones ad quas ordinantur potentiae animae vegetabilis. Nam ad hoc, quod individuum producatur in esse, ordinatur potentia generativa ; ad hoc autem, quod quantitatem debitam consequatur, ordinatur vis augmentativa ; ad hoc autem, quod conservetur in esse, ordinatur vis nutritiva. . . Sunt autem aliae altiores actiones animae, quae transcendunt actiones formarum naturalium, etiam quantum ad id quod agitur, inquantum scil. in anima sunt nata esse omnia secundum esse immateriale. Est enim anima quodammodo omnia secundum quod est sentiens et intelligens. Oportet autem esse diversum gradum huiusmodi esse immaterialis. Unus enim gradus est, secundum quod in anima sunt res sine propriis materiis, sed tamen secundum singularitatem et conditiones individuales, quae consequuntur materiam ; et iste est gradus s e n s u s , qui est susceptivus specierum individualium sine materia, sed tamen in organo corporali. Altior autem et perfectissimus immaterialitatis gradus est intellectus, qui recipit species omnino a materia et conditionibus materiae abstractas, et absque organo corporali. Sicut autem per formam naturalem res habet inclinationem ad aliquid et habet motum aut actionem ad consequendum id ad quod inclinatur, ita ad formam etiam sensibilem vel intelligibilem sequitur inclinatio ad rem sive per sensum sive per intellectum comprehensam ; quae quidem pertinet ad potentiam appetitivam ; et iterum oportet consequenter esse motum aliquem, per quem perveniatur ad rem desideratam, et hoc pertinet ad potentiam motivam. Ad perfectam autem sensus cognitionem, quae sufficiat animali, quinque requiruntur. Primo, quod sensus recipiat speciem a sensibilibus ; et hoc pertinet ad s e n s u m p r o p r i u m . Secundo, quod de sensibilibus perceptis diiudicet et ea ab invicem discernat, quod oportet fieri per potentiam ad quam omnia sensibilia perveniunt, quae dicitur s e n s u s c o m m u n i s . Tertium est, quod species sensibilium receptae conserventur. Indiget autem animal apprehensione sensibilium non solum ad eorum praesentiam, sed etiam postquam abierint, et hoc necessarium est reduci in aliquam potentiam. Nam et in rebus corporalibus aliud principium est recipiendi et aliud conservandi ; nam quae sunt bene receptibilia, sunt interdum male conservativa. Huiusmodi autem potentia dicitur i m a g i n a t i o sive p h a n t a s i a . Quarto autem requiruntur intentiones aliquae, quas sensus non apprehendit, sicut nocivum et utile et alia huiusmodi. Et ad haec quidem cognoscenda pervenit homo inquirendo et conferendo, alia vero animalia quodam naturali instinctu, sicut ovis naturaliter fugit lupum tamquam nocivum ; unde ad hoc in aliis animalibus ordinatur a e s t i m a t i v a naturalis, in homine autem vis c o g i t a t i v a , quae est collativa intentionum particularium ; unde et ratio particularis dicitur et intellectus passivus. Quinto autem requiritur, quod ea quae prius fuerunt apprehensa per sensus et interius conservata, iterum ad actualem considerationem revocentur. Et hoc quidem pertinet ad r e m e m o r a t i v a m virtutem, quae in aliis quidem animalibus absque inquisitione suam operationem habet, in hominibus autem cum inquisitione et studio ; unde in hominibus non solum est memoria, sed r e m i n i s c e n t i a . Necesse autem fuit ad hoc potentiam ab aliis distinctam ordinari, quia actus aliarum potentiarum sensitivarum est secundum motus a rebus ad animam, actus autem memorativae potentiae est e contrario secundum motum ab anima ad res ; diversi autem motus diversa principia motiva requirunt ; principia autem motiva potentiae dicuntur. » (Quae sequuntur de sensibus propriis, v. supra ad 483—485.)

Quaestio III: *De appetitu sensitivo.*

§ 1. De appetitu in genere

Thesis 38: *Inest in viventibus cognitione praeditis appetitus elicitus, realiter distinctus a potentiis cognoscitivis.*

505. St. qu. 1. Appetitus « nihil aliud est quam quaedam inclinatio appetentis in aliquid » (S. th. I-II 8, 1 c.). Obiectum appetitus est bonum ; nam bonum est id, quod est conveniens appetitui. Ad invicem distinguuntur appetitus naturalis et appetitus elicitus. Appetitus naturalis est insita naturae ordinatio, identificata cum natura ipsa (relatio transcendentalis), ad id quod est conveniens seu bonum ipsi ; a S. Thoma definitur tamquam « inclinatio rei et ordo ad aliquam rem sibi convenientem » (Ver. 25, 1 c.). Ita materia per seipsam ordinatur ad formam, potentia ad actum, et omnis res ope potentiarum suarum inclinatur ad conaturaliter operandum in finem suum. « Quia vero res in suo esse naturali determinata est, et una est eius inclinatio ad aliquam rem determinatam, unde non exigitur aliqua apprehensio, per quam secundum rationem appetibilitatis distinguatur res appetibilis a non appetibili. Sed haec apprehensio praeexigitur in instituente naturam, qui unicuique naturae dedit inclinationem propriam sibi convenientem » (l. c. ; cf. n. 772, 5 ; 790 V). Appetitus elicitus est inclinatio, quae sequitur cognitionem ; et sequitur cognitionem boni ; nam « sicut imaginatio formae sine aestimatione convenientis vel nocivi non movet appetitum sensitivum, ita nec apprehensio veri sine ratione boni et appetibilis » (S. th. I-II 9, 1 ad 2). Ergo « quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio » (S. th. I 80, 1 c.) : naturam sequitur appetitus naturalis, et cognitionem sequitur appetitus elicitus.

2. Actus appetitus naturalis est naturaliter inditus, actus vero appetitus eliciti cognitione elicitur. Ideo quoad appetitum elicitum distinguatur potentia appetitiva et huius potentiae actus. Actus sequitur actualem cognitionem. Cognitionem boni sequitur inclinatio, quasi gravitatio versus hoc bonum cognitum, quae est ipse actus appetitus eliciti. Hic vero actus supponit potentiam appetitivam, sicut cognitio potentiam cognoscitivam. At quoad appetitum naturalem non obtinet distinctio actus et potentiae, cum appetitus naturalis naturaliter ac proinde necessario sit actu eo ipso, quod res, cuius est appetitus et quacum identificatur, actu est.

3. Cum appetitus elicitus sit potentia, quae immediate cognitionem sequitur, satis patet a viribus non cognoscitivis eam esse omnino diversam ; probandum igitur solummodo est eam esse etiam a potentia cognoscitiva realiter distinctam.

506. Prob. th. *Arg. I.* Ex experientia interna : Conscientia teste patet in nobis inesse inclinationes apprehensionem seu cognitionem secutas ; ex experientia externa : Videmus etiam in aliis hominibus et in animalibus brutis ex cognitione oriri inclinationem ad rem cognitam.

Arg. II. Ex cognitione boni : Bonum cognitum, quia est b o n u m cognoscentis, requirit, ut appetatur a cognoscente qua tali ; implicatur hoc in ipsa natura boni : bonum est appetendum. Iam vero ipsa cognitio secundum se non est ordo et inclinatio in aliud ; eo enim perficitur, quod res cognita habetur a cognoscente o b i e c t i v e. Cognitionem boni itaque sequi debet appetitus, ab ea realiter quidem distinctus, sed ab ea postulatus tamquam proprietas, seu appetitus a cognitione elicitus.

Appetitum elicitum esse distinctum realiter ab actu cognitionis, iam ex eo patet, quod in cognitione non implicatur, sed ab ea elicitur. Patet autem ista distinctio ulterius ex eo, quod obiectum formale cognitionis et appetitionis est essentialiter diversum : obiectum formale cognitionis est obiectum prout est intentionaliter in cognoscente ; obiectum autem appetitionis est obiectum prout est in rerum natura, ad quod fertur appetitus ; terminus enim cognitionis est in cognoscente, terminus autem appetitionis in re ipsa, quae appetitur ; nam cognoscendo trahimus res ad nos, quia cognitio eo fit, quod cognoscens fit intentionaliter ipsum obiectum cognitum ; appetendo autem trahimur ad res, quia appetitio eo fit, quod appetens trahitur ad rem physicam extra se exsistentem. Si autem datur appetitio a cognitione realiter distincta, datur etiam potentia appetitiva a potentia cognoscitiva distincta realiter, quia scilicet ex una parte nullum agens creatum est immediate per seipsum operativum, ex altera parte potentiae diversificantur penes actus et obiecta specifice diversa.

507. Coroll. Ergo sequela, qua appetitus elicitus sequitur cognitionem, est sequela realis, cum appetitus naturalis sequatur sequela logica tantum naturam. Actus appetitus eliciti sequitur immediate actualem cognitionem, mediante cognitione potentiam cognoscitivam ; potentia vero appetitiva immediate sequitur potentiam cognoscitivam.

508. Schol. 1. Cum obiectum formale appetitus sit bonum, *a)* appetitus non potest appetere malum ut malum ; potest tamen appetere malum sub ratione boni, quatenus in malo aliquid boni invenitur, ut in vitio delectatio ; *b)* omnis actus appetitus est appetitio boni, et ipsa fuga mali est appetitio boni, quia carere malo est conveniens appetitui seu bonum ; *c)* ad appetitum pertinet non tantum tendere in bonum absens (desiderium, concupiscentia) et fugere malum absens (horror), sed etiam quiescere in bono acquisito, et frui bono acquisito (delectatio, fruitio, gaudium), et tristari de malo prae-

senti (tristitia). Gaudium et tristitia affectus dicuntur. Exinde reicitur specialis potentia affectiva (Gefühl, sentimento), a recentibus in Psychologiam introducta[1].

2. Probe distinguatur appetitus naturalis ipsius potentiae cognoscitivae, identificatus cum ea, ab appetitu elicito, qui eam sequitur tamquam realiter ab ea distinctus. Nam etiam formam naturalem ipsius potentiae cognoscitivae, i. e. ipsam naturam potentiae, sequitur (sequela logica) appetitus naturalis ad formam cognoscitive apprehendendam, i. e. ad rem secundum esse intentionale; hanc autem formam cognitione apprehensam sequitur (sequela reali) appetitus elicitus, qui est ad rem secundum esse reale in rerum natura.

Etiam appetitui naturali competit analogice tendere, quasi desiderare formam sibi convenientem et quiescere in ea, abhorrere a disconveniente et tristari de eo. Quies haec potentiae cognoscitivae in obiecto cognito sibi convenienti, quia cognoscitiva est, veram delectationem constituit, quae in sensibus externis inferioribus est voluptas, in superioribus et in intellectu est fruitio pulchri. Eius contrarium est displicentia et dolor et horror foedi. Foedum dicitur quod est contrarium pulchri (cf. n. 484).

3. Sicut forma cognitione apprehensa duplex est: sensitiva et intellectiva, ita appetitus elicitus est duplex: sensitivus et intellectivus. Appetitus intellectivus voluntas dicitur.

509. Obi. 1. Non est appetitus realiter distinctus a forma, quam sequitur. Atqui appetitus elicitus, realiter distinctus a potentiis cognoscitivis, est appetitus realiter distinctus a forma, quam sequitur. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Non est appetitus naturalis, *conc.;* elicitus, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui neque appetitus elicitus realiter distinguitur a forma, quam sequitur. *Probo.* Appetitus, qui sequitur naturam potentiae cognoscitivae, est appetitus, qui non distinguitur realiter a forma, quam sequitur. Atqui appetitus elicitus est appetitus, qui sequitur naturam potentiae cognoscitivae. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Appetitus, cuius actus immediate sequitur (sequela logica) naturam potentiae cognoscitivae, *conc.;* cuius actus sequitur mediante cognitione, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui actus appetitus eliciti immediate sequitur potentiam cognoscitivam. *Probo.* Appetitus obiecti convenientis immediate sequitur potentiam cognoscitivam. Atqui appetitus obiecti convenientis est actus appetitus eliciti. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Appetitus obiecti secundum esse intentionale, *conc.;* secundum esse reale, *nego. Contradist. min.*

Ad 505 sq. *S. Thomas* distinguit appetitum naturalem contra appetitum animalem, i. e. sensitivum et rationalem seu intellectivum: Ver. 25, 1; III Dist. 27, 1 a. 2; S. th. I 19, 1; 59, 1; 80, 1; I-II 26, 1; 27, 2 ad 3; 29, 1. «Appetitus naturalis ad duo tendit: scilicet ad consequendum id quod est congruum et amicum naturae et ad habendum quandam victoriam super illud quod est ei adversum: et primum est quasi per modum recep-

[1] Divisio potentiarum animae in cognoscitivam, appetitivam, affectivam, primo proposita a Tetens, Kantii auctoritate in philosophiam modernam introducta est.

tionis, secundum vero est per modum actionis ». (Ver. 25, 2 ; cf. 25, 7). *Aristoteles :* « Si autem est ibi [in animalibus] sensitivum, oportet, quod adsit tertium, scil. appetitivum. Quod quidem dividitur in tria, scil. desiderium, quod est secundum vim concupiscibilem, et iram, quae est secundum vim irascibilem, qui duo appetitus pertinent ad partem sensitivam, sequuntur enim apprehensionem sensus. Tertium autem est voluntas, quod est appetitus intellectivus, consequens scil. apprehensionem intellectus. Quod autem appetitivum insit omnibus animalibus, probat duplici ratione, quarum prima est, quod omnia animalia habent ad minus unum sensum, scil. tactum ; quibus autem inest sensus, inest laetitia et tristitia, delectatio et dolor. Laetitia enim et tristitia magis videntur sequi apprehensionem interiorem. Sed delectatio et dolor consequuntur apprehensionem sensus et praecipue sensus tactus. Et si est laetitia et tristitia, necesse est, quod sit aliquid triste et dulce i. e. delectabile et dolorosum ; oportet enim omne, quod sentitur secundum tactum, esse vel conveniens, et sic est delectabile, vel nocivum, et sic est dolorosum. Quibuscumque autem inest aliquid delectabile et triste, his inest et concupiscentia, quae est appetitus delectabilis. Ergo de primo ad ultimum omnibus animalibus, quibus inest sensus tactus, inest appetitus » (Εἰ δὲ τὸ αἰσθητικὸν [ὑπάρχει τινί], καὶ τὸ ὀρεκτικόν· ὄρεξις μὲν γὰρ ἐπιθυμία καὶ θυμὸς καὶ βούλησις : De an. II 3, 414 b 1. *S. Thom.* lect. 5 n. 288 sq.). *S. Thomas :* « Id quod apprehenditur [cognoscitur] et appetitur, est idem subiecto, sed differt ratione . . . Diversitas autem rationum in obiectis requiritur ad diversitatem potentiarum. » « Per vim appetitivam anima habet ordinem ad ipsas res, prout in seipsis sunt : unde Philosophus dicit in VI Met. [c. 4, 1027 b 25 ; S. Th. m. lect. 4 n. 1230], quod bonum et malum, quae sunt obiecta appetitivae potentiae, sunt in ipsis rebus. Vis autem apprehensiva non trahitur ad rem, secundum quod in seipsa est ; sed cognoscit eam secundum intentionem rei, quam in se habet vel recipit secundum proprium modum. Unde et ibidem dicitur quod verum et falsum, quae ad cognitionem pertinent, non sunt in rebus, sed in mente » (S. th. I 80, 1 ad 2 et I-II 22, 2 ; cf. I 78, 1 ad 3 ; q. 16, 1 ; 27, 4 ; 82, 3 ; II-II 27, 4 ; Ver. 22, 3).

A d 508. Cf. S. th. I 78, 2 ad 3 ; 80, 1 ad 3.

§ 2. De appetitu sensitivo

510. Quid sit appetitus sensitivus. Appetitus sensitivus est appetitus, cuius obiectum est bonum sensu apprehensum. Appetitus sensitivus sequitur cognitionem sensilem tamquam gravitatio seu ponderatio eius versus bonum sensu repraesentatum. Cognitio enim sensilis, qua repraesentatur bonum, quasi propendet versus obiectum cognitum, in qua propensione consistit actus appetitus eliciti sensitivi, qui supponit appetitivam potentiam sensitivam.

Potentia appetitiva haec, quia consequitur potentiam cognoscitivam sensitivam, est potentia organica. Quia enim radix appetitus est cognitio, patet, quod appetitus, qui sequitur cognitionem tamquam proprietas eius, est eiusdem naturae quam potentia cognoscitiva. Appetitus sensitivus sequitur cognitionem sensitivam internam, ac proinde in organo centrali subiectatur.

Antiqui pro organo appetitus sensitivi habebant cor, quod est musculus et organum centrale circulationis sanguinis. Potest tamen

dici cor organum manifestativum appetitus sensitivi; quia enim cor est organum principale vitae vegetativae, motus appetitus sensitivi ad cor maxime reflectuntur, et talis reflectio etiam sentitur.

511. Quotuplex sit appetitus sensitivus. Appetitus sensitivus dividitur in concupiscibilem et irascibilem. Concupiscibilis est, cuius obiectum est bonum sensu cognitum, et propter se appetibile. Apprehensionem enim, qua sensus (interni) apprehendunt conveniens sensibus et naturae, sequitur motus appetitus ad apprehensum. Appetitus irascibilis est, cuius obiectum est bonum sensu cognitum, quod est utile, i. e. propter aliud appetibile. Exorta enim difficultate, motus appetitus animalis non minuitur, sed crescit, quatenus animal nititur superare difficultatem, atque ideo etiam ea suscipit, quae non sunt convenientia (immo etiam disconvenientia) sensibus ac proinde contraria appetitui concupiscibili. Bonum autem ut conveniens secundum seipsum et bonum ut « arduum » (quod non est conveniens secundum se, sed propter aliud) constituunt in ordine sensitivo duplex obiectum formale diversum. Sensus enim nequeunt attingere ipsam rationem boni communis, sub quo utraque ratio formalis in ordine intellectivo unitur.

Secundum Scotum appetitus concupiscibilis dividitur in internum, qui sequitur sensum communem et phantasiam, et externum, qui immediate cognitionem sensuum externorum sequitur; actus appetitus externi sunt voluptas et dolor sensilis. At hic appetitus sensitivus externus, ut patet ex dictis n. 484 et 508, 2, non ad appetitum elicitum, sed ad naturalem pertinet; voluptas enim et dolor sensilis sunt actus appetitus naturalis potentiae cognoscitivae.

512. De potentia locomotiva. Vis motrix, secundum scholasticos potentia locomotiva, est facultas organica illa, quae motum localem producit, sive totius animalis (ambulare, volare etc.) sive partium ipsius, ut manus, capitis, sanguinis. Organum huius potentiae sunt centra motoria, quae mediantibus nervis motoribus diversos motus eliciunt ope energiae in musculis accumulatae.

Motus autem, quos potentia motiva exsequitur, in duo genera dividuntur: motus scilicet ab appetitu sensitivo imperatos et motus absque interventu appetitus sensitivi contingentes. Quoad motus imperatos ab appetitu sensitivo merito duplex distinguitur vis motiva: una, quae imperat motum, scilicet appetitiva, et altera, quae motum exsequitur, quae proprie vis motiva dicitur (cf. S. th. I 75, 3 ad 3; 78, 1 ad 4). Motus vero absque interventu appetitus contingentes possunt esse innati vel acquisiti, quatenus irritatio aliqua communicatur centro motorio secundum dispositionem organicam innatam vel acquisitam. Motus innati respicere possunt totum animal (e. g. geotropismus ne-

gativus paramaecii in aqua positi) vel aliquam partem ipsius ; hoc ultimum iterum contingit vel irritatione sensitiva (motus reflexi, e. g. contractio pupillae sub influxu lucis) vel irritatione non sensitiva (motus autoregulatorii, e. g. respiratio). Ad motus acquisitos pertinent qui dicuntur automatismi, fundati in synergismis sensomotoriis, qui inseruntur tamquam motus partiales motibus ab appetitu imperatis, ut sunt ambulare et natare ; ad motus acquisitos ulterius pertinent reflexi conditionati seu psychici, qui provocantur stimulo sensitivo per se inepto ad motum provocandum, qui tamen stimulus ratione associationis cum stimulo naturali reflexum producere valet (reflexi dicti de Pavlov et Bechterew).

Bibliographia ad 510—511 : *H. D. Noble*, La nature de l'émotion selon les modernes et selon saint Thomas, RSPhTh 2 (1908) 225—245 ; 466—483. *Id.*, La passion et la sensation, DThPlac 29 (1926) 447—460.

Ad 510 sqq. *S. Thomas :* « Sed quaeritur, quare in appetitu sensitivo sunt duae potentiae appetitivae, scil. irascibilis et concupiscibilis, in appetitu autem rationali est unus tantum appetitus, scil. voluntas. Et dicendum est, quod potentiae distinguuntur secundum rationes obiectorum. Obiectum autem appetitivae est bonum apprehensum. Alio autem modo apprehendit bonum intellectus et sensus. Nam intellectus apprehendit bonum secundum universalem rationem boni ; sensus autem apprehendit sub determinata ratione boni. Et ideo appetitus, qui sequitur apprehensionem intellectus, est unus tantum. Appetitus autem, qui sequuntur apprehensionem sensus, distinguuntur secundum diversam rationem boni apprehensi. Nam aliquid apprehensum per sensum, habet rationem boni appetibilis, inquantum est delectabile secundum sensum ; et ad hoc bonum ordinatur concupiscibilis. Aliquid autem habet rationem boni et appetibilis, inquantum perficitur delectabilibus, quasi habens facultatem ad libitum utendi eis ; et ad hoc ordinatur irascibilis, quae est quasi propugnatrix concupiscibilis. Et inde est quod animalia non irascuntur neque pugnant nisi propter delectabilia, id est propter cibos et venerea » (In De an. II lect. 14 n. 803 sq. ; cf. lect. 4 fin. ; Ver 22, 4 ; 25, 1 et 2 ; II Dist. 24, 2 a. 1 ; III Dist. 26, 1 a. 2 ; Malo 8, 3 ; S. th. I 80, 2 ; 81, 2).

Ad 512. *Aristoteles* « ponit esse duo principia motus [localis in animalibus]... Scil. [movent] intellectus comprehendens sub se phantasiam, et appetitus.... Intellectus qui movet,... est intellectus practicus, qui... speculatur veritatem propter operationem ..., [qui dicitur] movere, quia scil. eius principium, quod est appetibile, movet. Et [hoc] intelligendum est etiam de phantasia, quia ... non movet sine appetitu ... Haec duo moventia [intellectus cum phantasia et appetitus] reducuntur in unum, quod est appetibile » (τὸ ὀρεκτὸν γὰρ κινεῖ, καὶ διὰ τοῦτο ἡ διάνοια κινεῖ, ὅτι ἀρχὴ αὐτῆς ἐστὶ τὸ ὀρεκτόν. καὶ ἡ φαντασία δὲ ὅταν κινῇ, οὐ κινεῖ ἄνευ ὀρέξεως : De an. III 10, 433 a 18. *S. Thom.* lect. 15 n. 818 sqq.). *S. Thomas :* « Quamvis sensus et appetitus sint principia moventia in animalibus perfectis, non tamen sensus et appetitus, inquantum huiusmodi, sufficiunt ad movendum, nisi superadderetur eis aliqua virtus : nam in immobilibus animalibus est sensus et appetitus, non tamen habent vim motivam. Haec autem vis motiva non solum est in appetitu et sensu ut imperante motum ; sed etiam est in ipsis partibus corporis, ut sint habiles ad obediendum appetitui animae moventis. Cuius signum est, quod quando membra removentur a sua dispositione naturali, non obediunt appetitui ad motum » (S. th. I 78, 1 ad 4). « Potentia motiva ... est vis affixa musculis et nervis »

(Ver. 22, 4 ad 3). « Imaginationi, si fortis fuerit, naturaliter oboedit corpus quantum ad aliqua. Puta . . . casum de trabe in alto posita » (S. th. III 13, 3 ad 3 ; cf. I 117, 3, arg. 3).

Sectio III

DE ANIMA INTELLECTIVA

Caput I

DE ANIMA INTELLECTIVA SECUNDUM SE

§ 1. De natura animae intellectivae

Thesis 39 : *In homine, in eoque solo, inest anima intellectiva. Haec anima est substantia unicuique homini individualiter propria et spiritualis.*

513. St. qu. 1. Hominis nomine intelligimus animal illud, quod communi aestimatione tamquam specifice distinctum habetur a ceteris animalibus, eo quod ipsum solum intellectu seu ratione sit praeditum, cum in ceteris animalibus sensitiva tantum insit cognitio, quae proinde tamquam bruta habentur, cum homo animal dicatur rationale. Materialistae nituntur quidem oblitterare specificam distinctionem inter hominem et brutum, et aliqui recentes psychologi de beluino loquuntur intellectu. Omnino tamen communiter specifica distinctio admittitur inter animal rationale seu hominem et animal irrationale seu brutum.

2. Intellectus est potentia cognoscitiva, quae essentias rerum cognoscit tam absolutas quam relativas, ac proinde ipsas relationes perspicit rerum inter se, ut relationem effectus ad causam, medii ad finem ; quae conceptus formulat universales, iudicat, ratiocinatur et ratiocinando pervenit ad cognoscenda etiam ea, quae sub cognitionem sensitivam nullo modo cadunt, ut causam primam et ultimum finem, et relationem actuum humanorum ad ultimum finem seu moralitatem. Anima intellectiva est principium seu radix intellectus. Hoc principium seu animam dicimus substantiam, et substantiam spiritualem.

Animam dicimus substantiam. Quo contradicimus iis, qui « actualitatis theoriam » profitentur, qui destruunt substantialitatem animae, quam in activitates suas resolvunt sine subiecto permanente (« Psychologia sine anima »). Theoriae actualitatis, iam ab Hume pro-

positae, multi recentes inhaerent, quorum tamen plurimi, negato subiecto permanente individuali, subiectum aliquod absolutum activitatum affirmant (monismus). Contra hos in thesi nostra dicimus animam esse substantiam unicuique homini individualiter propriam. Ex recentibus, qui theoriam actualitatis propugnant, nominentur Wundt et James (1842—1910).

Animam dicimus spiritualem substantiam. Substantiae dividuntur in compositas et simplices. Substantiae sunt compositae essentialiter, ex partibus essentialibus : ex materia et forma ; et integraliter, ex partibus quantitativis. Substantiae sunt simplices essentialiter, i. e. non compositae ex materia et forma ; et integraliter, i. e. inextensae. Substantiae compositae sunt corpora, substantiae simplices sunt spiritus. Sed haec divisio respicit substantias completas. Substantia aliqua incompleta seu partialis est spiritus, si non est materia neque in esse a materia dependens. Nam materia est illa pars substantiae, qua substantia est corpus seu corporea. Ita animam intellectivam dicimus spiritualem tamquam independentem in esse a materia. Quare non est purus spiritus, cum sit substantia incompleta et ex natura sua forma corporis. Eodem modo etiam accidentia dicimus spiritualia tamquam a materia independentia. Sed in ordine accidentium independentia a materia singificat independentiam ab extensione seu esse inextensum. Nam extensio est primum accidens corporis (cf. n. 422, 1). Cetera accidentia omnia corporea corpori conveniunt mediante extensione, ac proinde extensa sunt. Accidens autem inextensum est spirituale. At in ordine substantiali, si agitur de partibus substantialibus, de partibus essentialibus substantiae, esse inextensum nondum arguit spiritualitatem : Anima brutorum perfectorum est inextensa, et tamen non est spiritualis, cum a materia et a corpore dependeat in esse. Sed substantia completa, si est inextensa, est spiritualis. Haec substantia neque est composita ex materia et forma, quia ex hac compositione necessario resultat extensio. Spiritualitatem animae intellectivae negant Materialistae, qui dicunt animam humanam esse corpus aliquod subtilius (Democritus, Empedocles [495—435]), aut proprietatem corporis (Hobbes [1588—1679], Lamettrie [1709—1751], Holbach [1723—1789], Büchner [1824—1899], Uljanov—Lenin [1870—1924]), aut effectum corporis : cogitationes sunt secretiones seu phosphorescentia cerebri (Cabanis [1757—1808], C. Vogt [1817—1895], Moleschott [1822—1893]).

514. Prob. th. I p. : In homine inest anima intellectiva. Ex intellectu hominis : In vivente corporeo, in quo inest intellectus, inest etiam anima intellectiva. Atqui in homine inest intellectus. Ergo in homine inest anima intellectiva.

Mai. ex eo patet, quod anima intellectiva est principium substantiale intellectus.

Min. probatur ex testimonio conscientiae. Constat in nobis, qui homines sumus, inesse intellectum, i. e. potentiam cognoscitivam, quae essentias rerum cognoscit, relationes perspicit rerum inter se, conceptus formulat universales, iudicat, ratiocinatur et ratiocinando pervenit ad cognoscenda etiam ea, quae sub cognitionem sensitivam nullo modo cadunt. Hoc factum conscientiae ex tota Logica manifestatur, et praesertim ex iis, quae de universalibus sunt disputata. Quod autem attinet relationem effectus ad causam, medii ad finem, ulterius explicabitur in Metaphysica.

Prob. II p.: In solo homine inest anima intellectiva. Ex eo quod in solo homine est intellectus: Si in animalibus, quae vulgo habentur ut bruta, non inest intellectus, in solo homine inest anima intellectiva. Atqui in animalibus brutis non inest intellectus. Ergo in solo homine inest anima intellectiva.

Mai. ex eo patet, quod cetera viventia, plantae, nulla cognitione, ne sensitiva quidem, praedita sunt; cf. n. 457.

Prob. min. Arg. I. Ex experientia: Animalia, quae *a)* non cognoscunt relationes et *b)* ignorant supersensilia, non sunt praedita intellectu, ut patet ex statu quaestionis. Atqui animalia bruta *a)* non cognoscunt relationes: quamquam sensitive et concrete res relatas cognoscunt, ignorant tamen ipsas relationes effectus ad causam, medii ad finem, ut multiplex experientia docet. *b)* Animalia bruta ignorant supersensilia: nullus enim in animalibus apparet sensus religionis et moralitatis. Ergo animalia bruta non sunt praedita intellectu. Ad *a)* haec notentur: Animalia bruta ignorant, in quo consistat essentia relationis causalitatis et habitudinis medii ad finem, ac proinde neque percipiunt, quo modo res inter se conectantur in ratione causae et effectus, medii et finis, neque rationem sibi reddere possunt, cur haec res illum effectum producat, et cur hoc medium sit aptum ad hunc finem. Quare si apte ad finem agunt, semper ex instinctu agunt et ex associatione perceptionum sensilium. Possunt enim discere aliquid, at non ex eo, quod perveniunt ad perspiciendam habitudinem causae ad effectum et medii ad finem, sed ex mera associatione perceptionum. Simiae quidem instrumentis utuntur quasi artificiose ad aliquid attingendum. Ita utuntur baculo. Sed hic modus agendi intra limites continetur aestimativae horum animalium; etiam in silva ramis utuntur ad poma attingenda. Multa etiam, quae simiae agunt quasi ratione utentes, ex nisu explicantur, quo ducuntur ad hominum actiones imitandas. Modum agendi simiarum ex intellectu non procedere etiam experimentis ostendi potest: Disposita serie capsularum, in quarum una cibus absconditur, ita quidem, ut subsequentibus experimentis semper in subsequente capsula cibus inveniatur, simiae in quaerendo cibo abscondito numquam perveniunt ad hoc successionis principium intelligendum, cum pueruli post 3—5

experimenta hoc intelligant. Ea quae bruta aptissime agunt ex instinctu aut ex perceptionum sensilium associatione, etiam tunc agunt, cum propter specialem aliquam circumstantiam inepta sunt (ita apis iugiter mel favo infundit etiam pertuso receptaculo) ; id quod iterum ostendit animalia non agere ex cognitione relationis inter medium et finem.

Arg. II. Ex defectu loquelae in animalibus : Animalia, quae non loquuntur, i. e. non manifestant signis ad placitum conceptus suos universales horumque conexiones seu iudicia, cum tamen praedita sint organis aptis ad loquendum et nisum habeant naturalem ad manifestandas signis sensilibus affectiones suas internas, non sunt praedita intellectu. Atqui animalia bruta non loquuntur, plurima tamen habent organa ad loquendum apta et nisum naturalem ad affectiones suas manifestandas. Ergo animalia bruta non sunt praedita intellectu.

Ad mai. Animalia, quae non manifestant conceptus universales neque horum conexiones, cum tamen habeant organa, quibus possunt manifestare affectiones suas, et nisum ad eas manifestandas, non formulant conceptus universales neque iudicia, i. e. carent intellectu.

Minoris 1. p.: animalia non loqui, ex experientia patet[1] ; non enim emittunt nisi signa naturalia, quibus affectiones suas sensiles concretas manifestant, quo patet etiam *minoris 2. p.*, i. e. bruta habere organa apta ad loquendum et nisum naturalem ad manifestandas affectiones suas.

Prob. III p.: Anima intellectiva est substantia unicuique homini individualiter propria. Ex testimonio conscientiae : Anima, speciatim anima intellectiva, non potest resolvi in activitates suas ; anima est substantia permanens. Reflexione in nosmetipsos non experimur activitates et affectiones sine subiecto, sed immediate experimur subiectum his statibus affectum ; non experimur separatas cogitationes, sed Ego cogitans. Ita iam statim apprehendimus concrete et implicite substantiam cogitantem seu substantiam animae. Sed mox etiam distinguimus subiectum permanens a statibus suis transeuntibus, i. e. cognoscimus substantiam abstracte et explicite tamquam sub statibus permanentem ab eisque distinctam. Et hoc duplici via : 1. quatenus nobis conscium fit idem subiectum ex uno statu in alium transire ; 2. quatenus ope memoriae cognoscimus idem subiectum per diuturnum tempus, immo per totam vitam nostram permanere. Anima intellectiva est etiam substantia unicuique homini individualiter propria. Nam homo se cognoscit non tantum tamquam Ego cogitans, sed etiam tamquam corpus sentiens, distinctum ab omnibus aliis cor-

[1] Quaedam animalia, ut psittacus, hominum voces imitantur, minime tamen loquuntur, cum non loquatur nisi qui signis ad placitum suos conceptus et sua iudicia profert.

poribus, speciatim ab omnibus aliis hominibus, qui etiam ipsi se cognoscunt tamquam Ego cogitantia et corpora sentientia. Anima humana unicuique igitur homini individualiter propria est. Ipsa cum corpore unam constituit substantiam, unum subiectum ultimum omnium statuum conscientiae, quamquam status conscientiae spirituales : intellectiones et volitiones immediate in sola anima spirituali insunt.

Facta, quae « reduplicatio personalitatis » et « mutatio personalitatis » dicuntur, nihil probant contra Ego permanens et contra substantiam animae permanentem. « Ego » apparet reduplicatum et mutatum ex morbido defectu memoriae, quae meminit activitatum et statuum praeteritorum, sed horum iam non meminit tamquam statuum, quos habuerit ipsum subiectum cognoscens, et ita hoc apparet ut mutatum, seu Ego apparet ut aliud et alienum.

Prob. IV p. : Anima intellectiva est substantia spiritualis. Ex activitate intellectus : Animam intellectivam dicimus spiritualem tamquam in esse independentem a materia. Hanc autem independentiam animae a materia probamus ex independentia intellectus a materia seu ab extensione : Intellectus cognoscit essentias rerum abstracte. Abstrahit a concreta extensione, quae realiter a parte rei in corpore inest. Ipsam hanc extensionem abstracte secundum essentiam suam cognoscit inextenso modo, abstrahendo a determinata magnitudine, figura, positione etc., quae extensioni a parte rei conveniunt. Sed haec cognitio necessario est inextensa, ac proinde intellectus est inextensus seu independens ab extensione et a materia. Quare etiam anima intellectiva, radix huius intellectus, a materia independens est seu spiritualis.

515. Coroll. 1. Ergo anima humana est substantia realiter distincta a corpore. Esse realiter distinctum a corpore, quod iam competit omni animae et formae substantiali, speciali ratione tribuendum est animae humanae, quia substantia spiritualis est.

2. Ergo anima humana est substantia inextensa seu quantitative simplex. Etiam haec proprietas, quam omni animae perfectiori vindicavimus (n. 422-425), speciali ratione convenit animae humanae spirituali. Qualis sit simplicitas animae, cf. n. 531, 1. Animam humanam etiam essentialiter seu quoad essentiam simplicem esse per se patet, cum sit forma.

516. Obi. *Contra I p.* vide n. 545.

Contra II p. 1. Si bruta multa agunt apte ad finem et multa etiam addiscunt propria experientia, non in solo homine inest anima intellectiva. Atqui bruta multa agunt apte ad finem et multa etiam addiscunt propria experientia. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Si multa agunt apte ad finem ex instinctu et multa discunt associatione perceptionum sensilium tantum, *nego* ; si multa agunt apte

ad finem et multa addiscunt ex perspecta habitudine causae ad effectum, medii ad finem, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui bruta habitudinem causae ad effectum, medii ad finem perspiciunt. *Probo.* Qui instrumentis utitur, perspicit habitudinem causae ad effectum, medii ad finem. Atqui bruta quaedam instrumentis utuntur. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Qui instrumentis utitur, inquantum hoc continetur intra ambitum aestimativae speciei suae, *nego* ; . . . inquantum hoc est extra ambitum aestimativae, *conc. Contradist. min.*

Contra III p. (ad mentem James). 1. In Psychologia nihil ponatur, nisi quod, sine ratiocinio deductivo, colligitur ex experientia interna. Atqui substantia animae non colligitur ex experientia. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : In Psychologia rationali, *nego* ; in Psychologia experimentali, *transeat* (quia haec Psychologia, etsi est « scientia quia », tamen ab omni deductione vix abstinere potest). *Dist. min.* : Exsistentia substantiae seu exsistentia alicuius subiecti permanentis non colligitur ex experientia, *nego* ; distincta cognitio essentiae huius subiecti non colligitur ex experientia sine ratiocinio aliquo deductivo, *conc. Dist. consq.* : In Psychologia rationali non est ponenda anima, *nego* ; in Psychologia experimentali, *subdist.* : Non est ponenda exsistentia alicuius subiecti permanentis, *nego* ; huius subiecti essentia non est accurate determinanda ope ratiocinii deductivi, *conc.* Cf. n. 561—564.

2. Atqui per experientiam neque exsistentia attingitur alicuius principii substantialis permanentis. *Probo.* Experientia, qua non manifestatur nisi successio cogitationum, non attingitur exsistentia alicuius principii cognitionis substantialis permanentis. Atqui experientia non manifestatur nisi successio cogitationum. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Experientia, qua non manifestatur nisi successio cogitationum sine subiecto permanente, *conc.* ; qua manifestatur successio cogitationum et subiectum permanens cogitationum, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui exsistentia huius subiecti permanentis seu permanentia τοῦ Ego est mere apparens seu phaenomenalis. *Probo.* Permanentia τοῦ Ego, quae eo explicatur, quod omnis cogitatio in ortu suo sibi appropriat cogitationem praecedentem, est mere phaenomenalis. Atqui permanentia τοῦ Ego eo explicatur, quod cogitatio omnis in ortu suo sibi appropriat cogitationem praecedentem. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quae ita explicatur sine subiecto permanente, *conc.* ; quae ita explicatur supposito subiecto permanente, *conc. Contradist. min.* Praesens cogitatio non sibi appropriat praecedentem nisi eo, quod est Ego permanens, quod cognoscit cogitationes omnes sibi succedentes suas esse.

Bibliographia ad 513—515 : L'Anima umana. Acta et Comm. Pont Acad. Rom. S. Thomae Aq. 11 (1958) II-III. *H. André,* Der Wesensunterschied von Pflanze, Tier und Mensch, Habelschwerdt 1924. *J. Gredt,* De specifica indivisibilitate speciei humanae, Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aq. 5 (1938) 163—168. *G. v. Holtum,* Die Natur der Seelensubstanz und ihrer Potenzen, JPhTh 14 (1900) 272—278. *A. Stocker,* Instinct animal et intelligence humaine, RPh 38 (1938) 532—565. *C. Švorčik,* Übersichtliche Darstellung und Prüfung der philosophischen Beweise für die Geistigkeit und die Unsterblichkeit der menschlichen Seele, PhJ 11 (1898) 265—284 ; 12 (1899) 148—167. *J. de Vries,* Die Substanz im Bereich des geistigen Seins, Schol 27 (1952) 34—54.

Ad 514. *Aristoteles* « ostendit causam, quare animalia agunt et patiuntur secundum phantasiam ; et dicit, quod phantasiae "immanent", idest perseverant, etiam abeuntibus sensibilibus, et sunt similes sensibus secundum actum. Unde sicut sensus secundum actum movet appetitum ad praesentiam sensibilis,

ita et phantasiae in absentia sensibilis. Et propter hoc dicit, quod animalia multa operantur secundum phantasias . . . Alia quidem, quia omnino non habent intellectum, sicut bestiae, alia vero, quia habent intellectum velatum sicut homines. Quod contingit tripliciter. Quandoque quidem ex aliqua passione . . . Quandoque autem accidit ex aliqua infirmitate, sicut patet in phreneticis vel furiosis. Quandoque autem in somno, sicut accidit in dormientibus » (καὶ διὰ τὸ ἐμμένειν καὶ ὁμοίως εἶναι ταῖς αἰσθήσεσι, πολλὰ κατ' αὐτὰς πράττει τὰ ζῷα, τὰ μὲν διὰ τὸ μὴ ἔχειν νοῦν, οἷον τὰ θηρία, τὰ δὲ διὰ τὸ ἐπικαλύπτεσθαι τὸν νοῦν ἐνίοτε πάθει ἢ νόσοις ἢ ὕπνῳ, οἷον οἱ ἄνθρωποι : De an. III 3, 429 a 4. *S. Thom.* lect. 6 n. 669 sq.). *S. Thomas :* « Non intelligunt [bruta] neque ratiocinantur. Quod ex hoc apparet, quia omnia animalia eiusdem speciei similiter operantur, quasi a natura motae et non ex arte operantes : omnis enim hirundo similiter facit nidum, et omnis aranea similiter telam » (C. g. II 82 ; cf. 66 ; S. th. I 75, 3). Cf. text. ad 460 543.

Aristoteles diserte ponit animam esse substantiam : ἀναγκαῖον τὴν ψυχὴν οὐσίαν εἶναι . . . : De an. II 1, 412 a 19. Cf. S. Thom. lect. 1 (cit. ad 530). « Ostendit [Philosophus] naturam intellectus possibilis . . . Primo . . . , quod intellectus possibilis non est aliquid corporeum vel commixtum ex rebus corporalibus . . . , ex hoc scil. quod intellectus omnia cognoscit. Et hoc est quod addit "Hoc autem est, ut cognoscat", quasi dicat : Sicut Anaxagoras posuit intellectum esse immixtum ad hoc ut imperet, ita oportet nos ponere intellectum esse immixtum ad hoc ut cognoscat [Ἀνάγκη ἄρα, ἐπεὶ πάντα νοεῖ, ἀμιγῆ εἶναι <τὸν νοῦν>, ὥσπερ φησὶν Ἀναξαγόρας, ἵνα κρατῇ, τοῦτο δ' ἐστὶν ἵνα γνωρίζῃ : De an. III 4, 429 a 18]. Quod quidem tali ratione apparet. Omne enim quod est in potentia ad aliquid et receptivum eius, caret eo ad quod est in potentia et cuius est receptivum . . . ; sed intellectus noster sic intelligit intelligibilia, quod est in potentia ad ea et susceptivus eorum, sicut sensus sensibilium ; ergo caret omnibus illis rebus, quas natus est intelligere. Cum igitur intellectus noster natus sit intelligere omnes res sensibiles et corporales, necesse est, quod careat omni natura corporali, sicut sensus visus caret omni colore, propter hoc quod est cognoscitivus coloris. Si enim haberet aliquem colorem, ille color prohiberet videre alios colores. Sicut lingua febricitantis, quae habet aliquem humorem amarum, non potest recipere dulcem saporem, sic etiam intellectus, si haberet aliquam naturam determinatam, illa natura conaturalis sibi prohiberet eum a cognitione aliarum naturarum. Et hoc est quod dicit: "Intus apparens enim prohibebit cognoscere extraneum et obstruet", idest impediet intellectum et quodammodo velabit et concludet ab inspectione aliorum. Et appellat intus apparens aliquid intrinsecum conaturale intellectui, quod dum ei apparet, semper impeditur intellectus ab intelligendo alia, sicut si diceremus, quod humor amarus esset intus apparens linguae febricitantis. Concludit autem ex hoc, quod non contingit naturam intellectus esse "neque unam", idest nullam determinatam, sed hanc solam naturam habet, quod est possibilis respectu omnium. Et hoc quidem contingit intellectui, quia non est cognoscitivus tantum unius generis sensibilium, sicut visus vel auditus, vel omnium qualitatum et accidentium sensibilium communium vel propriorum, sed universaliter totius naturae sensibilis. Unde sicut visus caret quodam genere sensibilium, ita oportet, quod intellectus careat tota natura sensibili . . . Deinde . . . ostendit, quod intellectus non habet organum corporale . . . , concludens ex praedictis, quod, si intellectus noster ad hoc quod cognoscat omnia, oportet quod non habeat naturam aliquam determinatam ex naturis rerum corporalium, quas cognoscit, eodem modo rationabile est, quod non "misceatur corpori", idest quod non habeat aliquod organum corporale, sicut habet pars animae sensitiva : quia si erit aliquod organum corporale intellectui, sicut est parti sensitivae, sequetur quod habeat aliquam naturam determinatam ex naturis rerum sensibilium [διὸ οὐδὲ

μεμῖχθαι εὔλογον αὐτὸν τῷ σώματι : 429 a 24] . . . Manifestum est enim, quod potentia animae, quae est actus alicuius organi, conformatur illi organo, sicut actus susceptibilis. Neque refert quantum ad actum potentiae, utrum ipsa potentia habeat aliquam qualitatem sensibilem determinatam aut organum, cum actus non potentiae sit solum, sed compositi ex potentia et organo corporeo... [Quae sequuntur, vide infra ad 543.] Sed horum occasione verborum [scil. "intellectus est separatus"], quidam intantum decepti sunt ut ponerent intellectum possibilem esse a corpore separatum, sicut una de substantiis separatis [et sic animam intellectivam non esse substantiam singularem unicuique homini individualiter propriam]. Quod quidem omnino impossibile est. Manifestum est enim, quod hic homo intelligit. Si enim hoc negetur, tunc dicens hanc opinionem non intelligit aliquid, et ideo non est audiendus : si autem intelligit, oportet quod aliquo formaliter intelligat. Hic autem est intellectus possibilis, de quo Philosophus dicit : "Dico autem intellectum quo intelligit et opinatur anima" [h. c. 4, 429 a 23]. Intellectus ergo possibilis est, quo hic homo, formaliter loquendo, intelligit . . . Sed impossibile est illud, quo aliquid operatur formaliter, separari ab eo secundum esse . . . Quia nihil agit nisi secundum quod est actu. Sic igitur aliquid formaliter operatur per aliquid, si cum eo sit actu. Non autem fit aliquid cum aliquo ens actu, si sit separatum ab eo secundum esse . . . Mirum est autem quomodo tam leviter erraverunt, ex hoc quod dicit quod intellectus est separatus, cum ex littera sua huius rei habeatur intellectus, dicitur enim separatus intellectus quia non habet organum, sicut sensus. Et hoc contingit propter hoc, quia anima humana propter suam nobilitatem supergreditur facultatem materiae corporalis, et non potest totaliter includi ab ea. Unde remanet ei aliqua actio, in qua materia corporalis non communicat. Et propter hoc potentia eius ad hanc actionem non habet organum corporale, et sic est intellectus separatus » (*S. Thom.*, In De an. III lect. 7 n. 677 679 sqq. 684 sq. 689 sq. 699 ; cf. I lect. 2 n. 19 sq.). *S. Thomas :* « Intellectuale principium . . . habet operationem per se cui non communicat corpus [v. text. ad 543]. Nihil autem potest per se operari nisi quod per se subsistit . . . Relinquitur igitur animam humanam . . . esse aliquid incorporeum et [substantiam, scil. aliquid <h. l., sed cont.>] subsistens » (S. th. I 75, 2 ; cf. Pot. 3, 9 et 11 ; Spir. creat. a. 2 ; Q. d. an. a. 1 et 14 ; C. g. II 50 sq. 68 fin. ; Comp. 79). « Intellectum esse unum omnium hominum omnino est impossibile » (S. th. I 76, 2 ; cf. II Dist. 17, 2 a. 1 ; C. g. II 73 75 ; Spir. creat. a. 9 ; Q. d. an. a. 3 ; De unit. intell. ; Comp. 85). Cf. text. ad 518 525 530.

A d 515. Cf. *S. Thom.*, I Dist. 8, 5 a. 2; C. g. II 65 ; S. th. I 75, 1 et 5 ; 50, 2 ; Spir. creat. a. 1 ; Q. d. an. a. 6 ; Qdl. III a. 20 ; Op. De subst. sep. c. 7 (ed. Mandonnet, c. 5 post med.) ; Ente et ess. c. 5.

Thesis 40 : *Una est anima humana, quae simul est intellectiva et sensitiva et vegetativa.*

517. St. qu. 1. Homo vivit non tantum vita intellectiva, sed etiam sensitiva et vegetativa. Cum igitur etiam vita vegetativa et sensitiva reducenda sit ad principium aliquod substantiale a corpore distinctum (cf. n. 436-439 ; 454-457 ; 465, 1), iam quaeritur, utrum illud principium sit ipsa anima intellectiva, quae proinde esset simul sensitiva et vegetativa, an admittenda sint principia specialia realiter distincta ab anima intellectiva.

2. Plato dicitur tres animas in homine posuisse : λόγον, ἐπιθυμίαν, θυμόν. Sed non constat, utrum Plato has animas realiter an virtualiter

tantum distinxerit. Quidam tamen Gnostici et aliqui Platonici medii aevi tres in homine animas asserunt. Multi Gnostici et Manichaei hominem ex tribus principiis : corpore et duabus animis, quarum altera bona, altera mala sit, constitutum dicunt (trichotomismus). Apollinaris (310—390), Occam (ca. 1300—1349), Günther (1785—1861), Baltzer (1803—1871) in homine duas ponunt animas realiter inter se distinctas : intellectivam et sensitivam.

518. Prob. th. Ex unitate hominis : In uno vivente, quod vivit vita intellectiva et sensitiva et vegetativa, una tantum inest anima, quae simul est intellectiva et sensitiva et vegetativa ; pluribus enim animis plura constituerentur viventia. Atqui homo est unum vivens, quod vivit vita intellectiva et sensitiva et vegetativa. Ergo una tantum in eo inest anima.

Prob. min. ex testimonio conscientiae. Idem homo, qui reflexione intellectus se percipit tamquam subiectum intelligens, similiter intellectu, mediante tactu et sensu communi, se percipit etiam tamquam corpus sentiens et vegetans, i. e. tamquam corpus, quod sentit et nutritur et crescit.

519. Schol. 1. Pugna intestina, quam experimur in nobis, cum appetitus sensitivus inclinatur in bonum sensile, oppositum bono spirituali, in quod inclinatur voluntas, non tantum non ostendit animam sensitivam realiter distingui ab intellectiva, sed luculenter utriusque unitatem manifestat. Conscientia enim teste experimur idem subiectum oppositis inclinationibus trahi, non vero duo subiecta, alterum adversus alterum pugnans.

2. Quomodo triplex vita in homine se habeat inter se. Vita vegetativa et sensitiva et intellectiva hominis sunt vitae partiales unius viventis. Per consequens ad perfectionem totius ordinantur, sicut universaliter omnis pars, inquantum est pars, ordinatur ad perficiendum totum. Perfectio autem essentialis totius hominis attenditur per se primo secundum perfectionem vitae spiritualis. Ergo in homine vita corporalis, quae est vegetativa et sensitiva, essentialiter, ordinatur ad vitam spiritualem. Revera vita vegetativa est quasi substratum sensitivae, et sensitiva intellectivae. Hac ratione explicatur mutuus influxus, quem exercent inter se.

Vitam sensitivam quasi substerni intellectivae patet ex dependentia intellectus a phantasia. Inde laesio cerebri, quod est organum phantasiae, usum rationis impedit et insaniae statum producit.

Vita vegetativa est sensitivae substratum. Vegetatione enim nutriuntur organa sensuum, et nutritur organismus totus. Activitate autem sensitiva, ad quam pertinet etiam actio appetitus sensitivi et musculorum motus, inde secutus, alteratur et exhauritur organismus, et alterantur ipsa organa sensuum. Hic nexus physiologice etiam et

anatomice manifestatur ex eo, quod systema nerveum cerebrospinale, quod vitae sensitivae praeest, fibris nerveis coniungitur sympathico, a quo dependet vita vegetativa. Ex hac habitudine declaratur mutuus influxus vitae vegetativae in sensitivam, et viceversa. Deficit vita sensitiva, cum organa convenienter iam non nutriuntur; ita ex anaemia aliquis conscientiae usu destituitur, cerebro iam non convenienter enutrito. Contra, impeditur vita sensitiva ex intensa activitate vegetativa: post coenam ratio minus expedita est, propterea quod phantasiae actio ex ciborum digestione aliquod impedimentum patitur. Ex eo enim, quod totus organismus nunc occupatur in concoquendis assimilandisque cibis, cerebrum seu phantasiae organum indispositum redditur et impeditur, quominus convenienter deserviat virtuti sensitivae. At iterum viceversa intensa activitas sensitiva impedit processum vitae vegetativae: indiscreta mentis exercitatio, quippe quae iugiter dependeat a phantasiae activitate, potest turbare vitae vegetativae processum et stomachi morbum causare.

Nota. Etiam in animalibus brutis habetur vita sensitiva superior et vita vegetativa inferior. Tamen dici nequit in animalibus vitam vegetativam ordinari essentialiter ad perfectionem vitae sensitivae; nam vita vegetativa et sensitiva unam constituunt vitam corporalem, cuius diversae partes (vegetativa et sensitiva) ordinantur ad perfectionem totius animalis; perfectio autem totius animalis est organismus (corpus) perfecte evolutus. Non igitur in vita animalis vita sensitiva eundem obtinet primatum, sicut in homine vita intellectiva, ita ut pro animali perfectio essentialis per se primo consisteret in perfectione vitae sensitivae, sicut pro homine consistit in perfectione vitae intellectivae. Ultima autem huius ratio est, quod in creaturis omnia ordinantur ad vitam intellectivam; nam soli vitae intellectivae competit vera possessio suiipsius et beatitudo; hac ratione intra hominem ipsum vita corporalis ordinatur ad vitam spiritualem. Creaturae autem mere corporales non conduntur propter seipsas, sed ordinantur necessario ad creaturas intellectuales. Quapropter in creaturis mere materialibus praeter finalitatem internam, quae propriam respicit evolutionem, necessario admittenda est finalitas externa, qua ad creaturas intellectuales ordinantur, sive immediate sive mediate.

520. Obi. 1. Anima praedita appetitu sensitivo multipliciter opposito appetitui rationali, non est una. Atqui anima humana est anima praedita appetitu sensitivo multipliciter opposito appetitui rationali. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Non est una anima praedita duplici appetitu, *nego*; non est una anima non praedita duplici appetitu, *conc. Contradist. min.:* Est una anima praedita duplici appetitu, *conc.*; non praedita duplici appetitu, *nego.*

2. Atqui non datur anima una praedita duplici appetitu illo. *Probo.* Haec anima esset anima spiritualis praedita appetitu sensitivo. Atqui non datur anima spiritualis praedita appetitu sensitivo. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Praedita appetitu sensitivo, qui convenit animae, prout est in corpore, *conc.*; qui convenit,

prout est separata, *subdist.* : convenit formaliter, *nego* ; radicaliter, *conc. Contradist. min.*

Bibliographia ad 517—519 : *F. X. Pfeifer*, Ein Argument des hl. Thomas für die Einheit der Seele im Menschen, JPhTh 3 (1889) 473—485.

Ad 518. *Aristoteles* non solum definitione animae innuit animae humanae unitatem (De an. II 2, 414 a 12 [v. ad 416]), sed satis diserte eam tradit agendo de diversis potentiis seu partibus animae : De an. II 3, 414 b 28 sqq. ; cf. *S. Thom.* lect. 5 (v. utrumque text. supra ad 456). *S. Thomas* : « Ipse idem homo est qui percipit se intelligere et sentire » (S. th. I 76, 1 ; cf. ib. a. 3 ; Comp. 90 ; Q. d. an. a. 11 ; Pot. 3, 9 ad 9). « Diversae vires quae non radicantur in uno principio, non impediunt se invicem in agendo . . . Videmus autem quod diversae actiones animae impediunt se : cum enim una est intensa, altera remittitur. Oportet igitur quod istae actiones, et vires quae sunt earum proxima principia, reducantur in unum principium. Hoc autem principium non potest esse corpus : tum quia aliqua actio est in qua non communicat corpus, scil. intelligere ; tum quia, si principium harum virium et actionum esset corpus inquantum huiusmodi, invenirentur in omnibus corporibus, quod patet esse falsum. Et sic relinquitur quod sit principium earum forma aliqua una, per quam hoc corpus est tale corpus. Quae est anima . . . Et sic non sunt in nobis plures animae » (C. g. II 58 ; cf. S. th. I 76, 3).

Appendix : De somno et somnio

521. Notio somni. Somnus est interruptio plus minusve perfecta vitae sensitivae. Secundum Aristotelem definitur : « ligatio sensus communis ». Organa sensuum ipsa activitate sensitiva alterantur et exhauriuntur. Quae alteratio et exhaustio speciatim cerebri seu organi sensus communis est dispositio adducens sensuum ligationem. Et licet in somno omnes sensus sint ligati seu plus minusve impediti, ligatio tamen, quae somnum constituit, speciatim cadit super sensum communem. Probatur hoc 1. ex eo, quod sensus communis ligatio est causa ligationis ceterorum sensuum omnium : *a)* est causa ligationis sensuum externorum ; hoc ostenditur a priori, quia sensus externi a coniunctione cum sensu communi vim suam sensitivam deducunt ; et constat etiam a posteriori, nam ex defatigatione et gravitate capitis descendit ligatio ad sensus externos ; *b)* est causa ligationis ceterorum sensuum internorum, cum hi a sensu communi materiam suam desumant et ad activitatem excitentur. 2. Probatur ex eo, quod in somno interdum ceteri sensus non sunt ligati, sed in activitate valde intensa : *a)* Sensus interni non sunt ligati, cum dormientes somniamus. *b)* Externos sensus non esse ligatos ostenditur ex eo, quod dormientes sensiliter irritati reagunt (sensationes inconsciae aut imperfecte consciae). Sensuum externorum activitas in somnambulis et in iis, qui in somno hypnotico sunt constituti, intensissima est. Quare in eo, quod est non esse sui compotem sensiliter, ac proinde etiam intel-

lectualiter (nam conscientia sensitiva est fundamentum intellectivae), consistit ratio somni. Exinde provenit defectus libertatis et imputabilitatis moralis in dormientibus, qui, licet quandoque intellectualiter agant et recte ratiocinentur, semper tamen carent libertate, saltem perfecta, quia numquam perfecte sui compotes sunt [1].

522. Divisio somni. Somnus dividitur ratione causae, a qua producitur, in naturalem et artificialem. Somnus naturalis est, qui defatigatione et exhaustione systematis nervei et musculorum producitur, cuius finis est restauratio virium vita sensitiva consumptarum. Per somnum enim vita vegetativa vehementius peragitur, quiescente vita sensitiva. Somnus artificialis producitur, cum artificialiter systema nerveum ita alteratur, ut sequatur somnus, quod fit agendo in cerebrum, aut immediate ope chloroformii, spiritus vini aliarumque substantiarum soporiferarum, aut mediate mediantibus impressionibus uniformibus in sensus externos, vel etiam solo imperio dormiendi seu suggestione. Hoc modo producitur somnus hypnoticus seu hypnosis. Impressiones enim uniformes disponunt ad somnum, ut experientia docet, atque in perceptione imperii dormiendi inest vis dispositiva ad somnum.

523. Notio somnii. Repraesentationes phantasiae ceterorumque sensuum internorum, immo et intellectus, quibus adiunguntur variae appetitiones, quae ligato sensu communi in somno contingunt, vocantur somnia. Hae repraesentationes evolvuntur secundum leges associationis. Causantur vero *a)* ab impressionibus habitis ante somnum ; *b)* a sensationibus externis inconsciis, aut imperfecte consciis, quae durante somno contingunt. Has sensationes phantasia saepe ita excipit, ut eas mirum in modum augeat, adiungendo alias imagines secundum legem associationis. Ita aliquis strepitum levem audiens putat tormentum bellicum emitti, et somniat de bello. *c)* Causantur causa interna physiologica, ut pressione sanguinis.

Cum repraesentationes et appetitiones per somnium habitae tantae virtutis fiunt, ut agant etiam in vim motricem, status exinde ortus vocatur somnambulismus. Hypnotismus est quidam somnambulismus artificialis, in quo diversa somnia ab hypnotisante suggeruntur hypnotisato. Constat enim iam ex supra dictis somnia causari posse impressionibus et sensationibus ab extrinseco receptis. Atque hoc mirum in modum fit in hypnotisatis, qui somniant et agunt secundum ea, quae ab hypnotisante eis suggeruntur.

---

[1] *S. Thomas* (S. th. I 84, 8 ad 2) negat hominem in somnio unquam recte ratiocinari. Distinctione opus est : In somnio contingit aliquando rectum ratiocinium materialiter et per accidens, non vero formaliter et per se, deficiente evidentia, quae haberi non potest sine conscientia perfecta.

Ad 521. *Aristoteles:* Ὁ γὰρ ὕπνος πάθος τι τοῦ αἰσθητικοῦ μορίου ἐστίν, οἷον δεσμὸς καὶ ἀκινησία τις . . . φανερὸν τοίνυν, ὅτι τούτου [τοῦ κοινοῦ αἰσθητηρίου] ἐστὶ πάθος ἡ ἐγρήγορσις καὶ ὁ ὕπνος: De somno et vig. 1, 454 b 9 et 2, 455 a 25; cf. ib. b 8—13; 3, 458 a 28. Cf. *S. Thom.*, S. th. I 84, 8 ad 2; Ver. 28, 3 ad 6; IV Dist. 9, a. 4 sol. 1.

Ad 523. *Aristoteles:* Φανερὸν ὅτι τοῦ αἰσθητικοῦ μέν ἐστι τὸ ἐνυπνιάζειν, τούτου δ' ᾗ τὸ φανταστικόν: De insomniis 1, 459 a 21; cf. ib. 458 b 24; 3, 462 a 15—31; *S. Thom.*, ut supra ad 521.

§ 2. De unione animae humanae cum corpore

Thesis 41: *Anima humana et corpus uniuntur ad constituendam unam naturam et unam substantiam.*

524. St. qu. 1. Natura est primum operationis principium intrinsecum seu essentia substantialis. Asseritur ergo in thesi ex anima et corpore unum conflari operationis principium primum seu substantiale.

2. Ad tria systemata reduci possunt falsae sententiae ad explicandum nexum inter animam humanam et corpus propositae: *a)* Systema influxus physici (Plato et Platonici, Cartesius, Storchenau [1751—1797], multi recentes): Corpus et anima ut substantiae completae coniunguntur agendo inter se. *b)* Systema occasionalismi (Malebranche, 1638—1715): Solus Deus agit actiones et animae et corporis ita, ut haec videantur agere inter se et dependere inter se. *c)* Systema harmoniae praestabilitae (Leibniz): Monades, ex quarum aggregatione constituitur corpus, et monas, quae est anima, immanenter tantum agunt, sed ita agunt secundum harmoniam ab initio a Deo praestabilitam, ut earum actiones perfecte inter se conspirent. Ad systema influxus physici reducitur sententia Tongiorgii, Palmierii aliorumque recentium, qui docent animam corpori uniri eo, quod anima, penetrando corpus, vires suas cum corporis viribus coniungat et quasi commisceat, et sententia Rosminii, qui statuit unionem animae sensitivae cum corpore fieri sensatione, qua anima sensitiva sensiliter percipiat corpus, unionem vero animae rationalis eo contingere, quod anima rationalis hanc sensationem intellectualiter percipiat. Haec sententia Rosminii influxum physicum continet, quatenus corpus ageret in animam, excitando eam ad sui perceptionem (perceptio enim non fit, nisi obiectum percipiendum agat in subiectum), et anima mediante actione percipiendi uniretur corpori.

3. In thesi speciatim dicitur animam et corpus uniri ad constituendam unam substantiam, propter eos, qui, negata doctrina scholastica de substantiis incompletis, putant ex anima et corpore tamquam ex duabus substantiis completis constitui unam naturam,

seu unum operationis principium primum seu substantiale. Ita Tongiorgi, Palmieri aliique recentes, qui ex eo, quod anima vires suas cum corporis viribus coniungat et quasi commisceat, putant ex anima et corpore constitui u n a m naturam.

525. Prob. th. I p.: Anima humana et corpus uniuntur ad constituendam unam naturam. Ex eo quod anima humana est sensitiva et vegetativa : Anima sensitiva et vegetativa cum corpore unam constituit naturam. Atqui anima humana est sensitiva et vegetativa. Ergo cum corpore unam constituit naturam.

Min. patet ex th. praec., *mai.* ex eo, quod vegetatio et sensatio non sunt operationes spirituales, quae essent solius animae, sed sunt operationes organicae, quae immediate proficiscuntur ab organo animato, i. e. a composito ex anima et corpore, quod proinde constituit unum operationis principium seu unam naturam (cf. n. 454-457 ; 459-461 ; 478-481).

Prob. II p.: Anima humana et corpus uniuntur ad constituendam unam substantiam. Ex eo quod sunt una natura : Ut ex duobus principiis una constituatur natura, necesse est, ut ex iis etiam constituatur una substantia. Atqui ex anima humana et corpore constituitur una natura, ut patet ex I p. Ergo etiam una ex iis constituitur substantia.

Prob. mai. Ut ex duobus principiis una constituatur natura, ita inter se coniungantur necesse est, ut ex utroque u n a numerice operatio egrediatur ; natura enim principium operationis est ; quare ut habeatur una natura, necesse est habeatur u n u m operationis principium. Hoc autem non obtinetur, nisi haec principia sint substantiae incompletae, quae ad invicem in unam substantiam coniungantur. Si enim non coniunguntur ad invicem tamquam substantiae incompletae, utrumque est substantia per se solum in se subsistens. Quod autem est per se solum in se subsistens, tamquam sui iuris, etiam per se operatur, neque constituit cum altero u n u m principium operationis.

526. Coroll. 1. Ergo anima humana est substantia incompleta. Est tamen anima humana incompleta in ratione speciei tantum, quia est substantia spiritualis.

2. Ergo reicienda sunt systemata influxus physici, occasionalismi, harmoniae praestabilitae; destruunt enim unitatem naturae humanae[1]. Systema influxus physici etiam ex eo peccat, quod statuit actionem corporis in animam spiritualem. Speciatim contra Tongiorgi notanda est differentia, quae intercedit inter unionem animae humanae ad corpus humanum et spiritus puri ad corpus assumptum, ut daemonis ad corpus obsessi; haec unio accidentalis tantum est, illa vero sub-

[1] Principia, quibus nituntur occasionalismus et harmonia praestabilita, refutabuntur in Metaphysica

stantialis ; haec mediante actione contingit, illa vero in ipsis actionum primis principiis seu in componentibus naturam radicatur ; in hac operatio egressa e corpore iungitur operationi egressae e spiritu, in illa una operatio ex corpore et spiritu egreditur.

527. Schol. Reiecta doctrina scholastica de unione substantiali inter animam et corpus, recentes aut profitentur systema influxus physici aut parallelismum psychophysicum. Secundum parallelismum psychophysicum psychicum et physicum sibi ad invicem accurate respondent, quin alterum in alterum causalem influxum exerceat. In quo convenit parallelismus psychophysicus cum harmonia praestabilita leibniziana. Sed parallelismus psychophysicus iam non potest considerari tamquam systema propositum ad explicandam unionem animae cum corpore, quia substantiam animae destruit eiusque diversitatem a corpore negat. Parallelismus *a)* destruit substantialitatem animae, cum animam in activitates resolvat sine subiecto permanente (theoria actualitatis, cf. n. 513, 2) ; *b)* destruit distinctionem inter animam et corpus, cum aut psychicum in physicum resolvat (parallelismus materialisticus), aut physicum in psychicum (parallelismus spiritualisticus), aut doceat realem omnium essentiam esse aliquid altius psychico et physico, cuius duo latera essent psychicum et physicum (parallelismus materialistico-spiritualisticus, theoria identitatis). Parallelismus psychophysicus, quatenus continet theoriam actualitatis, et quatenus destruit distinctionem inter animam et corpus, inter cognoscitivum (psychicum) et non cognoscitivum (physicum), iam refutatus est n. 514 et 515, 1 ; quatenus vero continet idealismum et monismum, refutabitur in Metaphysica.

528. Obi. 1. Non uniuntur ad constituendam unam naturam, quae non constituunt unum principium quo operationis. Atqui anima et corpus non constituunt unum principium quo operationis. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quae nullo modo constituunt unum principium quo operationis, *conc.* ; quae non constituunt unum principium quo intellectionis, constituunt tamen unum principium quo vegetationis et sensationis, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui anima et corpus neque constituunt unum principium quo vegetationis et sensationis. *Probo.* Principium quo vegetationis et sensationis est potentia vegetativa et sensitiva. Atqui anima et corpus non constituunt potentiam vegetativam et sensitivam. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Principium quo proximum et partiale, *conc.* ; principium remotum (primum) et totale, *nego. Conc. min.* ; *dist. consq.*

3. Atqui anima et corpus neque constituunt unum principium quo primum et totale vegetationis et sensationis. *Probo.* Hoc principium quo esset substantia composita. Atqui anima et corpus non constituunt substantiam compositam. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Composita ex substantiis completis, *nego* ; ex substantiis incompletis, *conc. Contradist. min.*

4. Atqui repugnat substantia incompleta. *Probo.* Vide n. 257, 4.

Bibliographia ad 524—527 : *F. van Cauwelaert*, Quelques théories contemporaines sur les rapports de l'âme et du

corps, RNSPh 12 (1905) 454—471. *T. Pesch*, Seele und Leib als zwei Bestandteile der einen Menschensubstanz gemäss der Lehre des hl. Thomas von Aquin, PhJ 7 (1894) 1—29.

Ad 525. *Aristoteles* naturalem corporis et animae humanae unitatem ipsa sua definitione animae [v. ad 416] indicat ; ita enim arguit : « Duorum, quorum utroque dicimur esse aliquid aut operari, unum, scil. quod primum est, est quasi forma et aliud quasi materia. Sed anima est primum quo vivimus, cum tamen vivamus anima et corpore : ergo anima est forma corporis viventis . . . Circa hanc autem demonstrationem . . . primo ponit maiorem, dicens quod, quo vivimus et sentimus, dicitur dupliciter, scil. altero sicut forma, et altero sicut materia . . . Secundo . . . ponit minorem propositionem et dicit, quod anima est primum, quo et vivimus et sentimus et movemur et intelligimus. Et referuntur haec quattuor ad quattuor genera vitae, de quibus superius fecerat mentionem . . . Tertio . . . ponit conclusionem . . . quod anima se habet ut ratio et species, et non sicut materia et subiectum . . . Subiungit, quod cum substantia dicatur tripliciter, ut supra dictum est, scil. de materia, forma et composito ex utrisque, quorum materia est potentia, et species sive forma est actus, et compositum ex utrisque est animatum, manifestum est, quod corpus non est actus animae, sed magis anima est actus corporis alicuius ; corpus enim est in potentia respectu animae. Et ideo cum consequatur ex praedicta demonstratione, quod vel corpus vel anima sit species, et corpus, ut dictum est, non sit species animae, sequitur, quod anima sit species corporis » (τριχῶς γὰρ λεγομένης τῆς οὐσίας, . . . τὸ μὲν εἶδος, τὸ δὲ ὕλη, τὸ δὲ ἐξ ἀμφοῖν· τούτων δ' ἡ μὲν ὕλη δύναμις, τὸ δὲ εἶδος ἐντελέχεια· ἐπεὶ δὲ τὸ ἐξ ἀμφοῖν ἔμψυχον, οὐ τὸ σῶμά ἐστιν ἐντελέχεια ψυχῆς, ἀλλ' αὕτη σώματός τινος : De an. II 2, 414 a 14. *S. Thom.* lect. 4 n. 271 sqq.). *S. Thomas* : « Impossibile est quod eorum quae sunt diversa secundum esse, sit operatio una. Dico autem operationem unam, non ex parte eius in quod terminatur actio, sed secundum quod egreditur ab agente : multi enim trahentes navim unam actionem faciunt ex parte operati, quod est unum, sed tamen ex parte trahentium sunt multae actiones, quia sunt diversi impulsus ad trahendum ; cum enim actio consequatur formam et virtutem, oportet quorum sunt diversae formae et virtutes, esse et actiones diversas. Quamvis autem animae sit aliqua operatio propria, in qua non communicat corpus, sicut intelligere ; sunt tamen aliquae operationes communes sibi et corpori, ut timere et irasci et sentire et huiusmodi : haec enim accidunt secundum aliquam transmutationem alicuius determinatae partis corporis, ex quo patet quod simul sunt animae et corporis operationes. Oportet igitur ex anima et corpore unum fieri, et quod non sint secundum esse diversa » (C. g. II 57; cf. S. th. I 75, 4 ; 76, 1). Cf. text. ad 530 sqq.

Thesis 42 : *Anima humana est forma substantialis corporis, ita quidem, ut sit actus eius substantialis simpliciter primus.*

529. St. qu. Thesis I pars (Anima humana est forma substantialis corporis) doctrinam enuntiat omnino communem scholasticorum. II pars thomisticam doctrinam profitetur, secundum quam anima ita actuat corpus, ut nullus alius actus praecedat et quicumque actus corporis ab anima proveniat. Ideo substratum adaequate distinctum

ab anima, quocum communicatur anima, est materia prima, pura potentia in sensu strictissimo. Haec pars statuitur *a)* contra Suarezium et eos, qui materiae primae tribuunt actum aliquem entitativum seu esse actu incompletum ; *b)* contra omnes, qui docent subiectum, quocum communicatur anima, non solum habere actum aliquem entitativum, sed etiam actum formalem ; hi sunt Scotus, qui docet materiam primam ante animae infusionem iam praeditam esse forma aliqua corporeitatis, et generatim omnes, qui pluralitatem formarum substantialium admittunt in eadem materia.

530. Prob. th. I p. : Anima humana est forma substantialis corporis. Ex eo quod substantialiter corpus determinat : Quod substantialiter determinat corpus, tribuens ei specificationem, est forma substantialis corporis. Atqui anima humana substantialiter determinat corpus, tribuens ei specificationem. Ergo est forma ipsius substantialis.

Mai. est per se nota ; praedicat enim definitionem de definito (cf. n. 253, 2).

Min. patet ex thesibus praecedentibus : anima humana tamquam principium substantiale vitae vegetativae et sensitivae et intellectivae unitur corpori substantialiter, ac proinde substantialiter determinat corpus.

Prob. II p. : Anima humana est actus substantialis simpliciter primus corporis. Ex eo quod est forma substantialis : Forma substantialis corporis est actus substantialis simpliciter primus corporis. Atqui anima humana est forma substantialis corporis, ut patet ex I p. Ergo est actus substantialis simpliciter primus.

Ad. mai. a) Forma substantialis corporis non potest supponere aliam formam substantialem, ita ut in eadem materia duplex haberetur forma substantialis : Unius enim rei non potest esse nisi unum esse substantiale ; nam esse est id quo est substantia. Multiplicato vero esse substantiali necesse est multiplicari ipsas substantias. Forma autem substantialis tribuit esse substantiale, est forma secundum quam substantia recipit esse. Admissa igitur pluralitate formarum substantialium multiplicatur esse substantiale et per consequens ipsa substantia. *b)* Forma substantialis corporis non potest supponere in materia aliquem actum entitativum : esse enim est actus simpliciter ultimus, ad nullum alium actum ordinatus ; si conceditur aliqua partium multitudo in ipso esse, singulae partes iam immediate et per se sunt, quo ipso amittunt rationem partis, quae non est nisi in toto et mediante toto.

531. Coroll. 1. Ergo anima est praesens in toto corpore ; est enim forma seu principium specificativum totius corporis et omnium partium ipsius. Et est tota in toto corpore et tota in singulis partibus,

non quidem totalitate quantitativa, secundum quam nihil est totum in toto et totum in singulis partibus, et quam a se respuit anima humana absolute ratione suae spiritualitatis (cf. n. 425, 3) ; sed est tota in toto corpore et tota in singulis partibus totalitate essentiae, quae per se formis convenit ; totum enim corpus et singulae partes ipsius sunt specifice humanae. Secundum totalitatem autem virtutis anima humana non est tota in singulis partibus corporis, immo neque in toto corpore est tota : « quia diversae partes corporis sunt proportionatae ad diversas operationes animae » (Q. d. an. a. 10 ; cf. S. th. I 76, 8), propterea anima diversis corporis partibus tribuit diversas virtutes ; potentias autem spirituales, intellectum scilicet et voluntatem, cum corpore omnino non communicat. Cum anima partes non habeat, dicitur simplex. Potest autem aliquid esse simplex seu carere partibus aut propter suam imperfectionem, i. e. ex defectu entitatis et perfectionis (simplicitas imperfectionis ; exemplum sit punctum), aut propter suam perfectionem, quia ita perfectum est, ut non sit diffusum per partes, sed perfectiones suas seu entitatem suam simul habeat (simplicitas perfectionis). Simplex simplicitate perfectionis est virtualiter extensum, i. e. virtute sua spatium extensum tangere potest. Haec simplicitas convenit animae, quatenus gaudet virtute informandi seu determinandi substantialiter corpus extensum.

2. Ergo unum est esse animae et corporis, et homo est unum per se seu simpliciter (cf. n. 260, 2). Ita dualismus animae et corporis in verum resolvitur monismum.

3. Ergo anima humana ita unitur uni corpori, ut uniri nequeat alteri. Continet enim anima intrinsecus, essentialiter habitudinem ad hoc corpus individuum, cuius est forma (cf. n. 386-389).

4. Ergo repugnat metempsychosis seu transmigratio animarum admissa a Pythagoreis.

5. Ergo anima non praeexsistit corpori (contra Platonem) ; conaturaliter postulat creari in corpore, licet absoluta potentia divina posset creari extra corpus et praeexsistere corpori cum intrinseca tamen et essentiali habitudine ad determinatum corpus, sicut etiam perdurat in esse post corporis corruptionem, sed cum habitudine ad illud (cf. S. Thom., S. th. I 90, 4).

6. Ergo, ex parte animae considerata, mors seu separatio animae a corpore non est naturalis ; ex parte autem corporis corruptibilis et per consequens etiam ex parte totius hominis ex anima et corpore compositi considerata, consequitur naturam : non quasi corpus positive ordinetur ad corruptionem, sed quatenus eam naturaliter admittit. Propterea perfecte naturae humanae correspondet status, in quo non moritur homo ; status autem hominis morti subiecti minus perfecte naturalis est, quatenus animae conaturale non est esse separatam a corpore. Tamen uterque status secundum na-

turam est, et propterea possibilis fuisset status hominis morti subiecti, etiamsi homo non peccasset[1].

7. Ergo innata diversitas indolis mentis ex diversa corporis dispositione repetenda est[2]. Mens enim secundum se in diversis hominibus diversa non est, secus forma (anima) ratione formae differret a forma, et mutaretur species (cf. n. 386-389). Data alia et alia dispositione materiae in animam introducuntur diversitates non essentiales, quamvis in individuo immutabiles et ab essentia specifica non distincta realiter. Ideo Aristoteles (De an. II 9, 421 a 25) : « Molles carne bene aptos mente videmus » (cf. S. *Thom.* in l. c. lect. 19).

8. Ergo animae etiam substantialiter differunt in perfectione secundum perfectiorem dispositionem corporis, quocum communicantur in origine sua. Corpus enim melius dispositum est causa occasionalis, ut Deus creet etiam animam perfectiorem. Anima enim accurate respondet subiecto, cui infunditur. Notetur tamen unam animam differre ab altera in perfectione substantialiter quidem, at non essentialiter, sed accidentaliter (intelligendo τὸ accidentaliter de accidente praedicabili). Cf. S. Thom., S. th. I 85, 7 ; C. g. II 81.

532. Schol. Ad solvendas difficultates nota : *a)* Quamvis anima det corpori ipsum esse corpus, rectius tamen dicitur informare corpus quam materiam primam (cf. n. 417). *b)* Cadaver non est corpus humanum, sed quid essentialiter ab eo diversum, neque est unum per se, sed aggregatum substantiarum chimicarum valde complexarum, ex quibus, chimice loquendo, coalescit corpus humanum. Et quamquam sub animae informatione harum substantiarum formae non permanserant, permanserant tamen vires, quae ab anima ad vitae opera peragenda dirigebantur. Recedente vero anima, formae substantiales, his viribus respondentes, redeunt (cf. n. 408, 3).

533. Obi. 1. Anima, quae informat corpus, non est actus eius substantialis simpliciter primus. Atqui anima humana informat corpus. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quae informat corpus, dando corpori ipsum esse corpus, *nego ;* non dando . . . , *conc. Contradist. min.*

2. Atqui anima humana non dat corpori ipsum esse corpus. *Probo.* Forma, qua recedente manet corpus, non dat corpori ipsum esse corpus. Atqui anima humana est forma, qua recedente manet corpus. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Manet idem corpus, *conc. ;* non idem, *nego. Contradist. min.:* Manet idem corpus humanum, *nego ;* non manet idem, sed mutatione substantiali statim elementa proxima corporis humani oriuntur, propter quorum ortum dicitur manere corpus, *conc.*

---

[1] Propterea status, in quo homo non moritur, a natura non exigitur, naturae non debetur, et de facto concessus habet rationem doni gratuiti.

[2] Cf. *M. Thiel*, Die thomistische Philosophie und die Erkennbarkeit des Einzelmenschen, DThFrib 6 (1928) 26—44 ; 177—195 ; 316—334 ; 404—430.

3. Atqui manet idem corpus humanum. *Probo.* Corpus realiter distinctum ab anima manet idem. Atqui corpus humanum est realiter distinctum ab anima. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Corpus realiter distinctum adaequate (aut realiter actualiter), *conc.;* inadaequate (aut realiter potentialiter), *nego. Contradist. min.* Cf. n. 417.

Alias difficultates vide n. 262.

Bibliographia ad 529—532: *J. Endres,* Vom Tode, DThFrib 21 (1943) 48—62. *V. Marcos,* De animarum humanarum inaequalitate, Ag 9 (1932) 449—468. *N. v. Seeland,* Über das «Wo» der Seele, PhJ 14 (1901) 315—319.

Ad 530 sqq. *Aristoteles:* «Primo investigat hanc particulam [definitionis animae ⟨v. ad 416⟩], quod anima est actus. Secundo hanc, quod est actus primus . . . Sic igitur, cum sit triplex substantia, scil. compositum, materia, et forma, et anima non est ipsum compositum, . . . neque est materia, quae est corpus subiectum vitae [per animam enim intelligimus id, quo habens vitam vivit ⟨h. l. paulo supra⟩] : relinquitur, per locum a divisione, quod anima sit substantia, sicut forma vel species talis corporis, scil. corporis physici habentis in potentia vitam . . . Et ne aliquis crederet quod anima sic esset actus sicut aliqua forma accidentalis . . . , subdit quod anima est sic actus, sicut substantia est actus . . . Sciendum autem est quod . . . forma substantialis facit ens actu simpliciter. Unde . . . non advenit subiecto iam praeexsistenti in actu, sed exsistenti in potentia tantum, scil. materiae primae. Ex quo patet, quod impossibile est unius rei esse plures formas substantiales; quia prima faceret ens actu simpliciter, et omnes aliae advenirent subiecto iam exsistenti in actu, unde accidentaliter advenirent . . . Per quod tollitur positio Avicebron in libro Fontis vitae, . . . quod secundum ordinem generum et specierum est ordo plurium formarum substantialium in una et eadem re . . . Oportet enim secundum praemissa dicere, quod una et eadem forma substantialis sit, per quam hoc individuum est . . . substantia, et . . . corpus et animatum corpus, et sic de aliis . . . Unde anima non solum facit esse substantiam et corpus, . . . sed etiam . . . animatum corpus. Non ergo sic est intelligendum quod anima sit actus corporis, et quod corpus sit eius materia et subiectum, quasi corpus sit constitutum per unam formam, quae faciat ipsum esse corpus, et superveniat ei anima faciens ipsum esse corpus vivum; sed quia ab anima est, et quod sit, et quod sit corpus vivum. Sed . . . esse corpus, quod est imperfectius, est quid materiale respectu vitae . . . Dicit quod non oportet quaerere, si ex anima et corpore fit unum, sicut nec dubitatur circa ceram et figuram, neque omnino circa aliquam materiam et formam, cuius est materia. . . Forma per se unitur materiae sicut actus eius; et idem est materiam uniri formae, quod materiam esse in actu . . . Et ideo sicut corpus habet esse per animam sicut per formam, ita et unitur animae immediate, inquantum anima est forma corporis» (Οὐ δεῖ ζητεῖν εἰ ἓν ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα, ὥσπερ οὐδὲ . . . τὴν ἑκάστου ὕλην καὶ τὸ οὗ ὕλη: De an. II 1, 412 b 6. *S. Thom.* lect. 1 n. 220 sq. 223 sqq. 234; cf. III lect. 7 n. 690). *S. Thomas:* «Speciem nunquam sortitur aliquid nisi ex forma. Id igitur per quod hic homo speciem sortitur, est forma. Unumquodque autem ab eo speciem sortitur quod est principium propriae operationis speciei. Propria autem operatio hominis inquantum est homo, est intelligere. . . Principium autem quo intelligimus, est intellectus . . . Oportet igitur ipsum [intellectum] uniri corpori ut formam: non quidem ita quod ipsa intellectiva potentia sit alicuius organi actus; sed quia est virtus animae, quae est actus corporis physici organici» (De unit. intell. [Opusc., ed. Mandonnet, Paris 1927, I 55 sq.]; cf. S. th. I 76, 1; C. g. II 56—57 68 70; Spir. creat. a. 2; Q. d. an. a. 1 2). «Si autem intellectiva unitur corpori ut

forma substantialis, ... impossibile est quod aliqua alia forma substantialis praeter eam inveniatur in homine» (S. th. I 76, 4). «Haec positio [pluralitatis formarum substantialium], secundum vera philosophiae principia, quae consideravit Aristoteles, est impossibilis. Primo quidem, quia nullum individuum substantiae esset simpliciter unum. Non enim fit simpliciter unum ex duobus actibus, sed ex potentia et actu, inquantum id quod est potentia fit actu ... Secundo ... quaelibet forma substantialis ... facit ens actu et constituit; unde sequitur quod sola prima forma, quae advenit materiae, sit substantialis; omnes vero subsequenter advenientes sint accidentales ... Tertio, quia sequeretur quod in adeptione postremae formae, non esset generatio simpliciter, sed secundum quid tantum» (Spir. creat. a. 3). «[Quarto,] si Socrates dicatur homo et animal secundum aliam et aliam formam, sequeretur quod haec praedicatio, homo est animal, sit per accidens; et quod homo non sit vere id quod est animal» (Q. d. an. a. 11). «Sic ergo dicimus quod in hoc homine non est alia forma substantialis quam anima rationalis; et quod per eam homo non solum est homo, sed animal, et vivum, et corpus, et substantia, et ens» (Spir. creat. a. 3; cf. a. 1 ad 9; Qdl. XII a. 9; I a. 6; XI a. 5; Q. d. an. a. 9 et 11; Pot. 3, 9 ad 9; IV Dist. 44, 1 a. 1 sol. 1 c. et ad 4; C. g. II 57—58; IV 81: Corporeitas; Comp. 90—92; S. th. I 76, 3 et 4 et 6—7). Cf. text. cit. ad 259 sq. 456. «Anima intellectualis dicitur esse quasi quidam horizon et confinium corporeorum et incorporeorum, inquantum est substantia incorporea, corporis tamen forma. Non autem minus est aliquid unum ex substantia intellectuali et materia corporali quam ex forma ignis et eius materia, sed forte magis: quia quanto forma magis vincit materiam, ex ea et materia efficitur magis unum» (C. g. II 68). «Sicut de ratione animae est quod sit forma corporis, ita de ratione huius animae, inquantum est haec anima, est quod habeat habitudinem ad hoc corpus» (Spir. creat. a. 9 ad 4; cf. Ente et ess. c. 2 fin. et c. 6; Q. d. an. a. 3 c. fin.; a. 6 ad 13; C. g. II 75 81; S. th. I 76, 2).

§ 3. De ortu et duratione animae humanae

Thesis 43: *Anima humana non oritur neque per emanationem a substantia divina, neque per generationem a parentibus, sed per creationem a Deo.*

534. St. qu. Triplex est doctrina circa originem animae humanae: *a)* creatianismus, qui docet animam a Deo creari, i. e. produci ex nihilo, nullo praeiacente subiecto; *b)* emanatianismus, qui ponit animam esse emanationem a substantia divina aut per divisionem substantiae divinae, ita ut singulae animae essent particulae eius, aut per simplicem communicationem et informationem, ita ut una esset anima omnium, substantia divina (semipantheismus); *c)* generatianismus, qui tenet animam humanam oriri a parentibus per generationem. Generatianismus multiplici sub forma propositus est: α) Traducianismus asserit animam esse ex traduce seu ex semine aut cor-

p o r e o (Tertullianus nat. ca. 160, qui tamen valde obscure loquitur in hac materia), aut s p i r i t u a l i (S. Augustinus, dubitando). β) Secundum Frohschammer (1821—1893) parentibus, cum generant, communicatur a Deo vis creativa. γ) Secundum alios, de quibus loquitur S. Thomas (S. th. I 108, 2 ad 2), « illa eadem anima, quae primo fuit vegetativa tantum, postmodum per actionem virtutis, quae est in semine, perducitur ad hoc, ut ipsa eadem fiat sensitiva, et tandem ad hoc, ut ipsa eadem fiat intellectiva, non quidem per virtutem activam seminis, sed per virtutem superioris agentis, scilicet Dei, de foris illustrantis » (theoria conversionis).

535. Prob. th. I p.: Anima humana non oritur per emanationem a substantia divina. Ex simplicitate et perfectione Dei : Anima humana, quae non potest oriri a substantia divina neque per divisionem substantiae divinae, neque per simplicem communicationem seu informationem, non oritur per emanationem. Atqui anima humana non potest oriri a substantia divina neque per divisionem neque per simplicem communicationem. Ergo non oritur per emanationem a substantia divina.

Prob. min. a) Anima humana non potest oriri a substantia divina per divisionem, quia substantia divina simplicissima est et indivisibilis. *b)* Anima humana non potest oriri a substantia divina per simplicem communicationem seu informationem, quia substantia divina perfectissima est, quae nequit communicari cum corporibus per modum formae seu animae ; forma enim informans habet rationem incompleti seu imperfecti, quod completur a corpore.

Prob. II p.: Anima humana non oritur per generationem a parentibus. Per exclusionem : Anima, quae non potest oriri a parentibus, neque quatenus cum parentibus generantibus a Deo communicaretur vis creativa, neque quatenus parentes efficerent animam per ipsam generationem ex semine aliquo sive corporali sive spirituali, neque quatenus generarent solam sensitivam, postea transmutandam in intellectivam, nullo modo potest oriri a parentibus per generationem. Atqui anima nullo ex his modis enumeratis potest oriri a parentibus. Ergo anima humana non oritur per generationem a parentibus.

Mai. patet ex st. qu. et continet disiunctionem completam ; anima enim a parentibus generantibus efficeretur aut tota aut ut sensitiva tantum, aut mediante aliquo semine, sive spirituali sive corporali, aut nullo mediante semine ex nihilo efficeretur seu crearetur.

Prob. min. per partes. *a)* Anima nequit a parentibus creari, quia creatio solius Dei est (cf. n. 830 sq.). *b)* Anima nequit a parentibus propagari per traducem corporeum, quia spiritualis est. *c)* Anima nequit propagari per traducem spiritualem, quia integraliter simplex est; quare anima generantis non potest ex se emittere semen spirituale seu

suae substantiae partem. *d)* Anima sensitiva a parentibus generata non potest transmutari in spitirualem, quia essentialiter simplex est.

Prob. III p.: Anima humana oritur per creationem a Deo. Ex spiritualitate animae: Substantia, quae in esse independens est a subiecto, etiam in fieri est independens ab eo seu creatur. Atqui anima humana est substantia, quae in esse est independens a subiecto. Ergo oritur per creationem a Deo.

Mai. patet; fieri enim est via ad esse. Ita unumquodque fit, sicut est; illud igitur, quod est independenter a materia, etiam fit independenter ab ea seu creatur.

Min. probatur ex spiritualitate animae humanae.

536. Schol. 1. Etsi parentes non generant animam, generant tamen hominem: sunt causa, ut homo fiat (causa fiendi, non essendi); producunt enim, quatenus generatione materiam ad animam humanam disponunt, corpus, quod exigit naturaliter animae infusionem; quatenus materiam disponunt in ordine ad animam humanam, Deo exhibent materiam pro anima infundenda, et hac ratione applicant corpus animae a Deo creatae. Non solum igitur sunt causa corporis, sed etiam iunctionis animae ad corpus seu hominis (cf. n. 379). Actione generativa parentes etiam producunt accidentia propria corporis humani, quae sunt dispositio proxima ad unionem corporis cum anima. Haec accidentia consistunt in organisatione embryonali specifica hominis et in potentia nutritiva et augmentativa propria hominis. Accidentia vero spiritualia: intellectus et voluntas, a solo Deo producuntur, i. e. concreantur.

2. Quo tempore oriatur anima intellectiva. Cum generatio eo fiat, quod ovum seu principium femininum spermate seu principio masculino fecundatur (conceptio), veteres docebant initio per virtutem plasticam spermati instrumentaliter inhaerentem educi animam mere vegetativam, imperfectam, transitoriam, quae ipso evolutionis processu corrumperetur locumque daret alii animae imperfectae, sensitivae, qua iterum corrupta, tandem die a conceptione quadragesima crearetur infundereturque anima rationalis. Hanc doctrinam rationibus tum morphologicis tum physiologicis suadebant. Initio enim apparet in embryone organisatio et activitas vitalis mere vegetativa, quatenus nutritur et crescit, postea organisatio refert delineamenta viventium sensitivorum, et apparent motus spontanei, qui vitam sensitivam manifestant, denique embryo organisationem humanam nanciscitur. Attamen cum recentibus optime dicitur: statim ab initio, coniunctis cellulis germinalibus, haberi organisationem specialem et dispositiones proximas ad animae intellectivae infusionem (cf. n. 452, 3), eamque proinde a Deo creari et infundi, nulla alia anima praecedente; nam etsi unaquaeque forma substantialis requirat suas dispositiones spe-

ciales, has tamen a typo extrinseco tantopere non dependere ex dimorphismo constat (cf. n. 449).

537. Obi. 1. Non oritur per creationem a Deo, quod producitur a parentibus. Atqui anima humana producitur a parentibus. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quod producitur a parentibus quoad esse, *conc.;* quoad inesse tantum, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui anima humana a parentibus producitur quoad esse. *Probo.* Ab eo producitur anima humana quoad esse, a quo producitur totus homo quoad esse. Atqui a parentibus producitur totus homo quoad esse. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* A quo producitur totus homo productione animae et corporis, *conc.;* unione tantum, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui a parentibus producitur totus homo productione animae et corporis. *Probo.* Ab eo producitur anima et corpus, qui disponit corpus ad animam. Atqui a parentibus disponitur corpus ad animam. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Qui disponit corpus ad animam, quae educitur ex materia, *conc.;* quae non educitur, *nego. Contradist. min.*

Ad 535 sq. *Aristoteles,* inquirens in originem animae in communi, reicit praeexsistentiam eius et statuit quoad animam vegetativam et sensitivam eductionem de potentia materiae, quoad animam vero intellectivam asserit eam ab extrinseco accedere eamque rem divinam esse, cum activitas corporis actualitatem eius non attingat: Λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον· οὐθὲν γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια (De gen. animal. II 3, 736 b 27; cf. Met. XII 3 [cit. ad 539]). *S. Thomas* probat «animam non esse de substantia Dei» (C. g. II 85; cf. Comp. 94; S. th. I 90, 1). «Anima intellectiva ... cum sit immaterialis substantia, non potest causari per generationem» (S. th. I 118, 2; cf. C. g. II 86 88—89; Comp. 93). «Cum fieri sit via ad esse, hoc modo alicui competit fieri, sicut ei competit esse ... Anima autem rationalis est forma subsistens [non habet esse suum dependens a materia corporali, ... et excedit capacitatem materiae, ib. ad 2] ... Et quia non potest fieri ex materia praeiacente, ... necesse est dicere quod non fiat nisi per creationem» (S. th. I 90, 2; cf. C. g. II 87; Pot. 3, 9). «Solius autem Dei est creare ... A solo igitur Deo anima rationalis in esse producitur» (Comp. 93; cf. S. th. I 90, 3 [cf. text. ad 830]). Quando oriatur anima intellectiva: cf. S. th. I 118, 2 ad 2; III 33, 2 ad 3; C. g. II 89; Pot. 3, 9 ad 9—12; Q. d. an. a. 11 ad 1; III Dist. 3, 5 a. 2.

Thesis 44: *Anima humana est naturaliter immortalis, i. e. etiam mortuo homine anima ex natura sua iugiter in esse perdurat, iugiterque operatur vitaliter.*

538. St. qu. 1. Mors est amissio vitae. Vita autem duplex est: in actu primo et in actu secundo (cf. n. 410). Vita in actu secundo amittitur eo, quod cessant opera vitae; vita in actu primo amittitur eo, quod ipsa viventis substantia esse amittit. Potest autem viventis substantia amittere esse aut per corruptionem, i. e. eo quod transit de esse ad aliud esse, aut per annihilationem, eo quod transit de esse ad non esse. Corruptio iterum duplex est: quaedam est per se et quaedam per accidens. Per se corrumpitur compositum, cum resolvitur: ita homo corrumpitur, cum moritur;

per accidens aliquid corrumpitur eo corrupto, a quo in esse dependet: ita anima bruti corrumpitur corrupto seu indisposito corpore.

2. Cum certum sit hominem mori seu animam hominis a corpore separari, thesis nostra de hac anima separata docet: *a)* eam ex natura sua in esse semper perdurare seu numquam amittere vitam in actu primo; *b)* eam iugiter operari vitaliter seu numquam esse sine vita in actu secundo; quae vita alia esse non potest quam intellectiva, quia anima separata caret potentiis sensitivis et vegetativis (cf. n. 480, 3).

Cum ex fide constet animam in resurrectione supernaturaliter corpori iterum uniri, thesis nostra ea tantum intendit, quae ex ratione stricte probari possunt[1], i. e. permansionem animae in esse post mortem hominis, contra quoscumque Materialistas, et iugem eius activitatem intellectualem contra quoscumque, qui admittunt animam post mortem conscientia privari atque in statu quodam somni constitui. Et contendimus haec convenire animae ex natura sua, non ex speciali aliquo Dei beneficio, qui praeternaturaliter etiam hominem conservat in esse perenniter (post resurrectionem). Est quidem conservatio totius hominis magis secundum naturam quam conservatio solius animae (cf. n. 531, 6). Cum tamen compositum humanum naturaliter mortem permittat, non conservatur in esse necessario; si de facto conservatur, hoc est gratuitum privilegium a Deo homini concessum. Anima autem, secundum se solam, amissionem vitae non permittit ex sua natura et propterea naturaliter exigit in esse conservari. Compositum vero, quamvis et ipsum naturaliter appetat in esse conservari ratione animae, quae transcendentaliter ad corpus ordinatur, tamen eiusmodi conservationem non exigit, quia naturaliter permittit etiam non-conservationem.

539. Prob. th. *Arg. I.* Ex appetitu naturali perdurandi in esse et operandi iugiter: Homo, qui naturaliter appetit in esse perdurare et operari iugiter, habet animam naturaliter immortalem. Atqui homo naturaliter appetit in esse perdurare et operari iugiter. Ergo homo habet animam naturaliter immortalem, quae ex natura sua iugiter in esse perdurat et operatur vitaliter.

Ad mai. Appetitus naturalis seu naturalis ordinatio est ipsa natura, prout seipsa est ad aliquid ordinata tamquam ad bonum suum naturale; hoc bonum per consequens naturaliter ipsi convenit. Talis appetitus naturalis debet esse naturaliter implebilis, quamvis neces-

---

[1] Immortalitatem animae ex fide certam esse, sed ex ratione stricte demonstrari non posse, docuerunt Scotus, H. Gandavensis, G. Biel, Occam. Idem affirmat Caietanus in Rom. c. 9 et in Eccl. c. 3, qui alibi tamen contrarium docet. Ph. Kneib (Die Beweise für die Unsterblichkeit der Seele, Paderborn 1912) putat immortalitatem animae solis rationibus moralibus, i. e. ex ordinatione hominis ad finem ultimum deductis, probari posse.

sarium non sit, ut naturaliter sit actuabilis usque ad ultimum. Ita desiderium naturale hominis sciendi naturaliter reducitur in actum, quamvis naturaliter, i. e. solis viribus naturae, non perducatur usque ad ultimam perfectionem, quae consistit in visione divinae essentiae (cf. n. 548, 6). Si naturale desiderium viribus naturae nullatenus expleri posset, ipsa naturae institutio esset intrinsecus deficiens et contradictoria. Eadem autem naturali necessitate, qua scire desideramus et esse beatos, desideramus etiam in esse perdurare et operari perenniter. Istud igitur desiderium essendi et operandi perenniter debet posse impleri per ipsam naturae constitutionem, si non perfecte, saltem imperfecte. Perfecte impletur, si homo, i. e. compositum ex anima et corpore, semper perdurat; imperfecte autem impletur, si saltem principium formale hominis (id quo homo est homo : anima) iugiter in esse perdurat et operatur. Quodsi neque hoc ultimum homo per ipsam suam naturam consequi posset, illud desiderium nullatenus esset naturaliter implebile, et ipsa natura contineret absurdum. Si autem impletur quoad animam, non quidem perfecte impletur, sed impletur; et hoc est sufficiens, ne hominis natura sit absurda. Ergo saltem quoad animam homo debet ex institutione suae naturae in esse perdurare et operari iugiter.

Ad min. Homo naturaliter et necessario necessitate specificationis appetit beatitudinem perfectam. Beatitudo autem perfecta ab homine concipi non potest nisi tamquam beatitudo, quae semper durat, ita ut homo semper operetur vitaliter. Hoc provenit ex ipsa natura intellectuali hominis : homo, qui cognoscit universale, etiam cognoscit esse et operari illimitate quoad tempus. Beatitudo ergo, quae ab homine appetitur naturaliter, est beatitudo perennis.

Nota. Animal brutum cognoscit esse singulare, momentaneum, et consequenter ad hanc cognitionem pro quocumque momento praesenti temporis appetit esse, i. e. appetitu naturali tendit ad se conservandum in esse. Hic appetitus, qui convenit omni enti (omne ens tendit ad conservandum suum esse; essentia ordinatur ad esse), in bruto procedit quidem ex cognitione, sed non se extendit ultra esse praesens. In homine vero protenditur ulterius ad esse et operari perpetuum. Intellectu enim suo homo apprehendit universaliter esse et operari suum ut bonum suum; exinde sequitur in voluntate ordinatio naturalis ad hoc bonum appetendum, et sequitur in homine naturalis ordinatio ad esse et operari perpetuum.

Arg. II. Ex ipsa animae humanae natura secundum se considerata : *a)* Anima humana ex natura sua iugiter perdurat in esse. Quod ex natura sua non amittit esse neque per corruptionem neque per annihilationem, ex natura sua iugiter perdurat in esse. Atqui anima humana ex natura sua non amittit esse neque per corruptionem neque per annihilationem. Ergo ex natura sua iugiter perdurat in esse.

Prob. min. quoad 1. p. (Anima humana ex natura sua non amittit esse per corruptionem). Ex natura sua non amittit esse per corruptionem, quod non corrumpitur neque per se neque per accidens. Atqui substantia animae humanae non corrumpitur neque per se, quia simplex est, neque per accidens, quia spiritualis est.

Prob. min. quoad 2. p. (Anima humana ex natura sua non amittit esse per annihilationem). Aliquid ex natura sua amittere esse per annihilationem idem est atque aliquid in se positivum ordinem gerere seu potentiam realem ad non esse. Atqui haec potentia est absurda ; potentia enim ad non esse nulla est potentia.

b) Anima humana iugiter operatur vitaliter. Substantia spiritualis immaterialiter subsistens iugiter operatur vitaliter, quia per ipsam subsistentiam immaterialem est determinata ad intelligendam seipsam (cf. n. 566-569). Atqui anima humana, mortuo homine, est substantia spiritualis immaterialiter, i. e. sine corpore subsistens. Ergo iugiter operatur vitaliter.

540. Schol. 1. Compositum ex materia et forma habet per accidens realem potentiam ad non esse, quia habet potentiam ad aliud esse.

2. Cum anima sit composita ex essentia et esse, posset absolute loquendo per annihilationem desinere in esse. Attamen haec compositio non fundat realem potentiam ad non esse simpliciter seu ad annihilationem ; quapropter ea non obstante anima ex natura sua postulat semper esse. Praeterea annihilare est solius Dei, cum non fiat per actionem positivam, cuius terminus per se esset non-ens, sed per subtractionem concursus, quo omnia iugiter in esse conservantur. Sed Deus conaturaliter cum creaturis concurrit. Ideo, quae postulant iugiter perdurare, ea iugiter tenet in esse.

541. Obi. *Contra I p.* 1. Substantia composita non est naturaliter immortalis. Atqui anima humana est substantia composita. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Composita ex partibus essentialibus : ex materia et forma, *conc. ;* ex partibus entitativis : ex essentia et esse, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui etiam anima humana, ex partibus essentialibus non composita, seu anima humana essentialiter simplex, non est naturaliter immortalis. *Probo.* Anima, quae in operationibus suis dependet a corpore, non est naturaliter immortalis. Atqui anima humana, etsi essentialiter simplex, in operationibus suis tamen dependet a corpore. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Quae in omnibus operationibus dependet a corpore subiective, *conc. ;* quae non in omnibus dependet a corpore subiective, *nego. Contradist. min. ;* Dependet in operationibus vegetativis et sensitivis, *conc. :* in operationibus intellectivis, *subdist. :* Dependet subiective, *nego ;* obiective tantum, *conc.* Cf. n. 542, 3.

Contra II p. Anima, quae quoad operationes intellectivas a corpore obiective dependet, mortuo homine non operatur vitaliter. Atqui anima humana quoad operationes intellectivas dependet a corpore obiective. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Quae dependet a corpore in hac vita tantum, *nego ;* etiam in altera vita, *conc. Contradist. min.*

Bibliographia ad 538—540: *F. Locatelli*, Alcune note sulla dimostrazione dell'immortalità dell'anima in S. Tommaso, RFNS 33 (1941) 413—428. *A. Mansion*, L'immortalité de l'âme et de l'intellect d'après Aristote, RNSPh 51 (1953) 444—472. *E. Rolfes*, Der Beweis des Aristoteles für die Unsterblichkeit der Seele, JPhTh 9 (1895) 181—200; 355—380.

A d 539. *Aristoteles* « dicit, quod de intellectu . . . videtur, quod sit alterum genus animae ab aliis partibus animae, id est alterius naturae . . . et quod hoc solum genus animae possit separari ab aliis partibus animae vel etiam, quod sit separatum ab organo corporeo, sicut perpetuum a corruptibili » (Περὶ δὲ τοῦ νοῦ. . . ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι, καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ: De an. II 2, 413 b 24. *S. Thom.* lect. 4 n. 268; cf. *Arist.* l. c. I, 413 a 6; *S. Thom.* lect. 2 n. 242). «Dicit... quod solus intellectus separatus est hoc quod vere est. Quod quidem non potest intelligi neque de intellectu agente neque de intellectu possibili tantum, sed de utroque, quia de utroque supra dixit, quod est separatus. Et patet, quod hic loquitur de tota parte intellectiva, quae quidem dicitur separata, ex hoc quod habet operationem suam sine organo corporali. Et quia in principio huius libri dixit quod si aliqua operatio animae sit propria, contingit animam separari; concludit, quod haec sola pars animae, scil. intellectiva, est incorruptibilis et perpetua. Et hoc est, quod supra posuit in secundo, quod hoc genus animae separatur ab aliis, sicut perpetuum a corruptibili. Dicitur autem perpetua, non quod semper fuerit, sed quod semper erit. Unde Philosophus dicit in duodecimo Metaphysicorum, quod forma numquam est ante materiam, sed posterius remanet anima, non omnis, sed intellectus » (Χωρισθεὶς δ' ἐστὶ μόνον τοῦθ' ὅπερ ἐστί, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον: De an. III 5, 430 a 22. *S. Thom.* lect. 10 n. 742 sq.). In XII Metaph. c. 3 « dicit, quod causae moventes praeexsistunt rebus factis. Et hoc necessarium est, quia causae moventes sunt principia motus, qui terminatur ad rem factam. Sed causa formalis, quae est causa quasi ratio rei, simul incipit esse cum re, cuius est forma. Tunc enim incipit esse sanitas, quando homo sanatur . . . Unde manifestum est, quod formae non sunt separatae a substantiis compositis; quia si essent separatae, oporteret, quod essent sempiternae, cum non sint talium per se neque generatio neque corruptio, ut ostensum est: et sic praeessent substantiis his, quarum sunt formae. Sed quamvis formae non praeexsistant substantiis compositis, perscrutandum tamen est, si aliqua forma remaneat posterius, corrupta substantia composita. In quibusdam enim formis nihil prohibet, quod remaneant post substantiam compositam. Puta si dicamus animam esse talem. Non tamen omnis anima, sed solus intellectus [εἰ δὲ καὶ ὕστερόν τι ὑπομένει, σκεπτέον· ἐπ' ἐνίων γὰρ οὐθὲν κωλύει, οἷον εἰ ἡ ψυχὴ τοιοῦτον, μὴ πᾶσα ἀλλ' ὁ νοῦς· πᾶσαν γὰρ ἀδύνατον ἴσως: 1070 a 24]. Forsitan enim impossibile est omnem animam esse talem, ut remaneat corrupto corpore, quia aliae partes animae non habent operationem sine organis corporeis, intellectus autem non operatur per organum. Dicit autem "forsan", quia non erat praesentis intentionis hoc demonstrare, sed hoc pertinet ad scientiam de anima. Et sicut aliae partes animae ab intellectu non remanent post substantiam compositam, ita etiam nec aliae formae rerum corruptibilium. Considerandum autem hanc sententiam esse Aristotelis de anima intellectiva, quod non fuerit ante corpus, ut Plato posuit, neque etiam destruitur destructo corpore, ut antiqui naturales posuerunt non distinguentes inter intellectum et sensum. Non enim excipit animam intellectivam a generalitate aliarum formarum, quantum ad hoc, quod formae non praeexsistunt substantiis compositis, sed solum quantum ad hoc, quod non remanent post substantias compositas. Ex quo etiam patet, quod non potest hoc depra-

vari, sicut quidam depravare conantur dicentes intellectum possibilem tantum vel agentem tantummodo esse incorruptibilem» (*S. Thom.*, In Met. XII lect. 3 n. 2450 sqq.; cf. Arist., Eth. I 11, 1100 a 28 sqq.; S. Thom. lect. 15—17). *S. Thomas:* « Dupliciter aliquid corrumpitur: uno modo, per se; alio modo, per accidens. Impossibile est autem aliquid subsistens ... corrumpi per accidens, id est aliquo ... corrupto ... Quod [enim] per se habet esse, non potest generari vel corrumpi nisi per se. Quae vero non subsistunt, ut accidentia et formae materiales, dicuntur fieri et corrumpi per generationem et corruptionem compositorum ... Anima autem humana non posset corrumpi nisi per se corrumperetur. Quod quidem omnino est impossibile ... de quolibet subsistente quod est forma tantum. Manifestum est enim quod id quod secundum se convenit alicui, est inseparabile ab ipso. Esse autem per se convenit formae, quae est actus ... Unde impossibile est quod forma subsistens desinat esse. . . Potest etiam huius rei accipi signum ex hoc, quod unumquodque naturaliter suo modo esse desiderat ... Sensus autem non cognoscit esse nisi sub hic et nunc. Sed intellectus apprehendit esse absolute et secundum omne tempus. Unde omne habens intellectum naturaliter desiderat esse semper. Naturale autem desiderium non potest esse inane [cf. Arist., De caelo II 11, 291 b 13; S. Thom. l. c. lect. 16]. Omnis igitur intellectualis substantia est incorruptibilis» (S. th. I 75, 6; cf. 50, 5; C. g. II 55 79—81; Qdl. X a. 6; Q. d. an. a. 14; Comp. 84). Anima post mortem operatur vitaliter: v. text. ad 567.

Ad 540. *S. Thomas:* « Potentia ad esse et non esse non convenit alicui nisi ratione materiae, ... quatenus exsistens sub una forma, est in potentia ad aliam formam ... Unde ... in tota natura creata non est aliqua potentia, per quam sit aliquid possibile tendere in nihilum » (Pot. 5, 3). « In omni corruptione, remoto actu, manet potentia; non enim corrumpitur aliquid in omnino non ens, sicut nec generatur aliquid ex omnino non ente. In substantiis autem intellectualibus ... actus est ipsum esse, ipsa autem substantia est sicut potentia. Si igitur substantia intellectualis corrumpatur, remanebit post suam corruptionem. Quod est omnino impossibile ... Nec est aliqua potentia ad non esse earum nisi in primo agente, secundum quod potest non influere eis esse. Sed ex hac sola potentia nihil potest dici corruptibile. Tum quia res dicuntur necessariae et contingentes secundum potentiam quae est in eis, et non secundum potentiam Dei [cf. c. 30]. Tum etiam quia Deus, qui est institutor naturae non subtrahit rebus id quod est proprium naturis earum ... Sunt igitur substantiae intellectuales ex omni parte incorruptibiles » (C. g. II 55; cf. S. th. I 9, 2 c. post. med.; 50, 5 ad 3; 104, 3 et 4; Pot. 5, 4).

Caput II

DE POTENTIIS ANIMAE INTELLECTIVAE

Quaestio I: *De intellectu.*

§ 1. De natura intellectus humani quoad se

Thesis 45: *Intellectus humanus est potentia cognoscitiva anorganica.*

542. St. qu. 1. Nomine intellectus potentiam cognoscitivam significamus, quae essentias rerum apprehendit, ac proinde concep-

tus formulat universales, abstractos a notis individuantibus, distinguendo id, quod necessario seu essentialiter rei convenit, ab iis, quae accidentaliter et contingenter insunt. Hanc potentiam in homine inesse evidenter patet ex testimonio conscientiae. Hoc testimonium conscientiae luculenter manifestum est ex dictis in Logica de universalibus et ulterius manifestabitur hic argumento nostro.

2. Iam constat radicem omnis cognitionis esse immaterialitatem, ac proinde vim cognoscitivam semper habere eminentiam quandam super materiam. Ex altera tamen parte ostendimus sensum esse potentiam organicam, in esse et agere dependentem ab organo seu a materia. Hic asserimus intellectum in esse et agere non esse dependentem ab organo, ac proinde esse separatum a materia corporea. Quare, sicut anima humana, quae est forma corporis, habet quasdam potentias et operationes dependenter a corpore, quae resultant non ex sola anima, sed ex composito, ex anima et corpore (potentias vegetativas et sensitivas), ita habet potentiam intellectivam, quae inest in sola anima, et quae in esse et agere est independens a corpore, quae proinde resultat ex anima, non prout informat corpus, sed prout est spiritualis seu independens a corpore.

3. Cum dicimus intellectum esse potentiam anorganicam, i. e. in esse et agere independentem a corpore, intendimus tantum excludere subiectivam dependentiam, quae in eo consisteret, quod potentia et operatio intellectiva esset in composito ex anima et corpore tamquam in subiecto immediato et proximo et ex hoc composito tamquam ex principio «quo» (cf. coroll. 3) egrederetur; non vero intendimus excludere obiectivam dependentiam, quae in eo consistit, quod (pro praesenti statu coniunctionis animae cum corpore) intellectus intellectionum suarum materiam seu obiecta sua ex sensili cognitione desumit, ac proinde obiective a sensibus et a corpore dependet.

4. Thesis est contra Materialistas, qui animae spiritualitatem negant, docendo principium vitae hominis omnino quoad agere et esse dependere a materia, et intelligere esse operationem nervorum et cerebri. Ita Materialistae gallici saec. XVIII: Lamettrie (1709—1751), Holbach (1723—1789), Helvetius (1715—1771), et alii multi recentiores, ut C. Vogt (1817—1895), Moleschott (1822—1893), Czolbe (1819—1873), Büchner (1824—1899), Haeckel (1834—1919).

543. Prob. th. *Arg. I.* Ex obiecto formali intellectus humani: Potentia, cuius obiectum formale supergreditur ordinem corporeum, etiam ipsa incorporea seu anorganica est. Atqui intellectus humanus est potentia, cuius obiectum formale supergreditur ordinem corporeum. Ergo est potentia anorganica.

Mai. ex eo patet, quod obiectum formale specificat potentiam eique accurate respondet.

Prob. min. Obiectum formale intellectus est essentia abstracta, universalis, ut intellecta ; duplicem enim in nobise xperimur seriem cognitionum bene distinctam : alteram concretarum, alteram abstractarum ; harum obiectum formale est essentia abstracta, universalis, ut intellecta, i. e. ut intelligibiliter penetrata. Essentia autem abstracta, universalis, ut intellecta est obiectum, quod supergreditur totum ordinem corporeum : *a)* Essentia abstracta est obiectum, quod supergreditur totum ordinem corporeum, quia corporeum omne est concretum ; abstractum vero, quod hanc concretionem solvit, est spiritualizatum. *b)* Essentia universalis supergreditur totum ordinem corporeum, quia transcendit locum et tempus, corporeum vero concretum singulare ad hic et nunc coarctatur. *c)* Essentia ut intellecta, i. e. ut intellectualiter penetrata secundum diversos gradus, quibus metaphysice componitur, etiam si est essentia corporea, secundum gradus tamen superiores, quibus intelligitur ut qualitas, ut substantia, ut ens, totum ordinem corporeitatis seu extensionis supergreditur, quia hi gradus immateriales sunt praecisive, i. e. ita abstracti, ut iam ab omni materia, i. e. a toto ordine quantitativo abstrahant.

Arg. II. Ex eo quod obiectum intellectus non potest attingi a potentia organica. Intellectus cognoscit essentiam abstractam universalem. Atqui potentia organica non potest cognoscere essentiam abstractam universalem. Ergo intellectus non est potentia organica.

Prob. min. Essentia abstracta universalis est essentia abstracta a notis individuantibus, i. e. abstracta ab omnibus, quae ad essentiam non pertinent, quae tamen a parte rei cum essentia coniuncta sunt, et quibus a nobis cognoscitur tamquam haec res individua.

Potentia vero organica in agere seu in cognitione sua dependet ab organo extenso ; quare non potest cognoscere, quin in ipsa actione, in ipsa cognitione sua immisceatur quantitas, i. e. cognitio erit extensa, ac proinde affecta determinata quantitate, quod est esse concretum cum notis individuantibus. Determinatam enim quantitatem sequuntur ea omnia, quibus res pro cognitione nostra coarctatur ad hic et nunc, localiter et temporaliter, seu cognoscitur tamquam haec res individua, ut sunt : determinata magnitudo, figura, positio in loco et tempore et alia plura. Potentia autem organica hanc concretionem solvere non potest, distinguendo essentiam ab iis omnibus, quae ad essentiam non pertinent. Hoc potest sola potentia anorganica seu spiritualis. Obiectum enim abstractum est obiectum spiritualizatum, quod non potest cognosci nisi potentia spirituali et cognitione spirituali. Haec cognitio etiam ipsam extensionem abstracte seu inextenso modo apprehendit secundum essentiam suam, distinguendo eam ab omnibus, quae ad essentiam non pertinent, ut sunt : determinata magnitudo, figura, positio etc.

Arg. III. Ex reflexione propria intellectus : Potentia cognoscitiva,

quae reflectit reflexione propria, et quae hac reflexione pertingit etiam usque ad cognoscendum abstracte et explicite subiectum cognoscens, est potentia anorganica. Atqui intellectus humanus est potentia cognoscitiva, quae reflectit reflexione propria et hac reflexione pertingit etiam usque ad cognoscendum abstracte et explicite subiectum cognoscens. Ergo intellectus est potentia anorganica.

Prob. mai. a) Ad reflexionem propriam peragendam requiritur potentia cognoscitiva, quae ipso actu suo sit determinata ad suum actum cognoscendum in actu signato ; sed potentia cognoscitiva ipso actu suo determinata ad suum actum cognoscendum seu adse ipsam cognoscendam, prout est in actu, non potest esse nisi potentia spiritualis seu anorganica (cf. n. 466, 3).

b) Potentia, quae pertingit usque ad cognoscendum abstracte et explicite subiectum cognoscens, est potentia, quae procedit abstrahendo seu solvendo concretionem et distinguendo subiectum permanens (Ego) a cognitionibus transeuntibus ; sed haec potentia est anorganica seu spiritualis, ut patet ex dictis.

Min. ostenditur ex testimonio conscientiae. Experimur nos posse reflectere seu expresse advertere ad cognitiones nostras non tantum sensitivas seu concretas, sed etiam abstractas seu intellectivas. Et hanc reflexionem esse propriam, non impropriam, quae mediante alia potentia altiore fieret, ex eo patet, quod possumus iterum iterumque reflectere in nostram reflexionem ; esset igitur admittendus infinitus numerus potentiarum cognoscitivarum inter se subordinatarum. Experimur etiam nos reflexione nostra pertingere usque ad cognoscendum abstracte et explicite subiectum cognoscens.

544. Coroll. 1. Ergo absolute repugnat materia cogitans (contra Locke).

2. Ergo non datur localizatio subiectiva intellectus, i. e. non potest assignari aliqua pars corporis tamquam sedes intellectus.

3. Ergo intellectio est operatio solius animae. Distinguendo inter principium efficiens intellectionis proximum et remotum, et inter principium « quod » et « quo » (cf. n. 480, 1), dicimus : Principium « quod » intellectionis est suppositum, persona humana, principium « quo » remotum (seu primum) t o t a l e est sola anima, principium « quo » proximum totale est sola potentia intellectiva. Sola anima est etiam s u b i e c t u m proximum (immediatum) seu subiectum inhaesionis intellectus et intellectionis, suppositum est subiectum remotum tantum.

545. Obj. 1. Potentia cognoscitiva, quae dependet a corpore, non est potentia anorganica. Atqui intellectus humanus est potentia cognoscitiva, quae dependet a corpore. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quae dependet subiective, *conc.* ; obiective tantum, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui intellectus humanus dependet a corpore subiective. *Probo.* Potentia, cuius actus impeditur, impedito organo, dependet a corpore subiective. Atqui intellectus est potentia, cuius actus impeditur, impedito organo, i. e. cerebro. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Impedito organo huius potentiae, *conc.* ; impedito organo alterius potentiae, a qua haec potentia dependet obiective, *nego. Contradist. min.* : Impedito organo intellectus, *nego* ; impedito cerebro, organo phantasiae, a qua intellectus dependet obiective, *conc.*

3. Atqui cerebrum est organum intellectus. *Probo.* Organum, a quo intellectus iugiter pendet, est organum intellectus. Atqui cerebrum est organum, unde intellectus iugiter pendet. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Unde iugiter pendet subiective, *conc.* ; obiective tantum, *nego. Contradist. min.* Cerebrum est organum, unde intellectus pendet iugiter, quia est organum phantasiae, a qua intellectus obiective dependet non tantum in ideis acquirendis, sed etiam in utendis ideis iam acquisitis (cf. n. 553, 3).

4. Atqui intellectus humanus iugiter dependet a cerebro et a corpore subiective. *Probo.* Intellectus, qui est in supposito humano tamquam in subiecto, iugiter dependet a corpore subiective. Atqui intellectus humanus est in supposito humano tamquam in subiecto. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Qui est in supposito humano tamquam in subiecto inhaesionis immediato, *conc.* : tamquam in subiecto mediato tantum, *nego. Contradist. min.*

Ad 543. *Aristoteles* : vide supra ad 514. « Dicit, quod dissimilitudo impassibilitatis sensitivi et intellectivi manifesta est ex organo et sensu, quia sensus efficitur impotens ad sentiendum ex valde sensibili, sicut auditus non potest audire sonum propter hoc quod motus est ex magnis sonis, neque visus potest videre . . . Sed intellectus, quia non habet organum corporeum, quod corrumpi possit ob excellentiam proprii obiecti, cum intelligit aliquid valde intelligibile, non minus postea intelligit infima, sed magis, et idem accideret de sensu, si non haberet organum corporale. Debilitatur tamen intellectus ex laesione alicuius organi corporalis, indirecte, inquantum ad eius operationem requiritur operatio sensus habentis organum. Causa igitur diversitatis est, quia sensitivum non est sine corpore, sed intellectus est separatus [Ἡ μὲν γὰρ αἴσθησις οὐ δύναται αἰσθάνεσθαι ἐκ τοῦ σφόδρα αἰσθητοῦ, . . . ἀλλ' ὁ νοῦς ὅταν τι νοήσῃ σφόδρα νοητόν, οὐχ ἧττον νοεῖ τὰ ὑποδεέστερα, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον· τὸ μὲν γὰρ αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ σώματος, ὁ δὲ χωριστός : De an. III 4, 429 a 31]. Ex his autem, quae dicuntur, apparet falsitas opinionis illorum, qui dixerunt, quod intellectus est vis imaginativa vel aliqua praeparatio in natura humana consequens corporis complexionem » (*S. Thom.* in l. c. lect. 7 n. 688 sq.). *S. Thomas* : « Ex hoc quod anima humana universales rerum naturas cognoscit, percipit quod species qua intelligimus, est immaterialis ; alias esset individuata, et sic non duceret in cognitionem universalis. Ex hoc autem quod species intelligibilis est immaterialis, intellexerunt [philosophi] quod intellectus est res quaedam independens a materia ; et ex hoc ad alias proprietates intellectivae potentiae cognoscendas processerunt » (Ver. 10, 8). « Cognitio sensus non se extendit nisi ad corporalia . . . Intellectus autem cognoscit incorporalia : sicut sapientiam, veritatem, et relationes rerum. Non est igitur idem intellectus et sensus. Item. Nullus sensus seipsum cognoscit, nec suam operationem : . . . sed hoc superioris potentiae est, ut probatur in libro De anima [III 2, 425 b 12 sqq.]. Intellectus autem cognoscit seipsum, et cognoscit se intelligere. Non est igitur idem intellectus et sensus » (C. g. II 66 ; cf. c. 49 ; Q. d. an. a. 2 et 14 ; Comp. 79 ; S. th. I 75, 2).

§ 2. De natura intellectus humani quoad obiectum suum

Thesis 46: *Obiectum formale commune intellectus humani est ens inquantum ens.*

546. St. qu. 1. Intellectus humanus potest dupliciter considerari: *a)* absolute secundum se, secundum id, quod ei convenit, ut est intellectus, quod proinde ei convenit semper et ubique; *b)* in aliquo statu; tunc non consideratur tantum secundum quod est intellectus, sed etiam secundum quaedam, quae ei accidunt in illo statu. Potest autem intellectus humanus inveniri in triplici statu: α) in statu unionis cum corpore, β) in statu separationis, γ) in statu elevationis, quatenus virtus eius naturalis supernaturaliter est elevata (e. g. lumine gloriae).

Huic duplici considerationi respondet duplex obiectum formale: obiectum formale commune et obiectum formale proprium pro aliquo statu. Obiectum formale commune intellectus humani est ratio, quam formaliter attingit, non prout est in hoc vel illo statu, sed ut intellectus est, a qua proinde specificatur ut intellectus. Hoc igitur obiectum est essentiale intellectui, in quocumque statu inveniatur, et est ratio generalissima, sub qua potentia intellectiva fertur in res. Obiectum formale proprium est illud ens, quod intellectui respondet, prout invenitur in aliquo statu determinato.

2. Dicimus in thesi obiectum formale intellectus in se et absolute spectati seu obiectum formale commune esse ens inquantum ens. Quo minime asserimus intellectum non cognoscere nisi ens in communi, sed intellectum ferri in res sub ratione entis, ac proinde cognoscere etiam entis differentias et determinationes, quatenus et quia habent rationem entis, sicut visus, qui fertur in res sub formali ratione coloris, cognoscit etiam omnes colorum differentias (album, rubrum etc.), quia habent rationem coloris. Quod in thesi dicitur de intellectu humano, valet de omni intellectu: Obiectum formale omnis intellectus est ens inquantum ens.

547. Prob. th. Ex experientia: Potentia, quae cognoscit rerum essentias, est potentia, quae fertur in res sub ratione entis, seu cuius obiectum formale commune est ens inquantum ens. Atqui intellectus cognoscit rerum essentias. Ergo eius obiectum formale commune est ens inquantum ens.

Ad mai. Ens est quidditas seu essentia communissime sumpta. Ens enim est «habens esse» seu quidditas. Quare potentia, quae fertur in res seu attingit res sub quidditatis ratione, non fertur in eas sub peculiari aliquo respectu, sicut sensus, sed sub universalissima ratione entis, cognoscendo modos entis seu quidditates.

Ad min. Intellectus apprehendit id, quod necessario et essentialiter convenit rei, distinguendo hoc ab iis, quae accidentaliter tantum et contingenter adsunt. Ergo cognoscit rerum essentias.

548. Coroll. 1. Ergo intellectus humanus est species atoma neque dividitur, sicut sensus, in plures potentias inter se specifice et realiter distinctas. Ratio est, quia eius obiectum tantae amplitudinis est, ut sub se omnia complectatur. Quare memoria intellectiva, facultas iudicandi, ratio seu facultas ratiocinandi, intellectus speculativus, intellectus practicus non sunt potentiae ab intellectu distinctae, sed sunt unus idemque intellectus secundum diversa munera consideratus. Nam ratio praeteriti, quam attingit memoria, convenientia inter subiectum et praedicatum, quam enuntiat iudicium, consequentia, quam exprimit ratiocinium, ratio speculativi et practici sub entis ratione continentur.

2. Ergo immaterialitate, quae est spiritualitas stricte dicta, constituitur potentia cognoscitiva tantae perfectionis, cuius obiectum formale ad omnia extendatur, et quidem ad omnia cognoscenda quidditative cognitione quidditativa stricte dicta (conceptu stricte quidditativo seu simpliciter positivo ; cf. n. 15).

3. Ergo omne ens est intelligibile.

4. Ergo intellectus humanus a nullo obiecto cognoscendo excluditur absolute, sed tantum ratione status, in quo invenitur, quia invenitur in statu unionis cum corpore, in quo obiective a cognitione sensitiva dependet, et in statu naturali, in quo caret lumine elevante. Primum impedimentum tollitur separatione, alterum elevatione et confortatione. Opposito autem modo se habet sensus, qui ab obiectis supersensilibus cognoscendis excluditur absolute ratione materiae seu corporeitatis, a qua essentialiter est dependens. Ex his perspicitur, cur intellectus possit elevari ultra suum obiectum conaturale ad attingendum etiam obiectum perfectissimum, sensus vero non possit, quia materia seu corporeitas esset tollenda, quo ipso sensus ipse corrumperetur, quia corporeitas ingreditur essentiam eius (cf. n. 478-480). Sed neque unus sensus potest elevari ad attingendum obiectum alterius, propterea quod alius sensus aliam requirit organi dispositionem, a qua essentialiter pendet, quae esset transmutanda ; quo ipso sensus corrumperetur.

5. Ergo ipse Deus, prout est in se, intuitive cognitus, continetur intra ambitum obiecti formalis communis seu obiecti adaequati intellectus humani. Intra ambitum obiecti intellectus humani continetur Deus cognitus cognitione stricte quidditativa, non comprehensiva tamen, sed apprehensiva, seu Deus quidditative cognitus finito modo, propter limitationem intellectus humani (et cuiuscumque intellectus creati).

6. Ergo datur in intellectu humano appetitus capacitatis naturalis videndi Deum per essentiam ; iste appetitus tamquam proprietas

non quidem realiter distincta, ipsam naturam intellectus qua talis consequitur. Obiectum enim formale intellectus humani nullis limitibus circumscribitur, et proinde naturale sciendi desiderium non quiescit in illis, quae sunt entia per participationem, sed ultra tendit usque ad ipsum esse subsistens, principium fontale omnis entis per participationem. Accedit, quod ne entia quidem per participationem absolute perfecte cognoscuntur, quamdiu latet causa eorum : tunc enim perfecte unumquodque cognoscitur, quando patent eius causae, non tantum intrinsecae, sed etiam extrinsecae, neque quoad existentiam tantum, sed etiam quoad essentiam seu naturam. Iste naturalis appetitus intellectus humani videndi Deum per essentiam, quamvis sit positiva ordinatio, naturaliter tamen impleri non potest, deficiente proportione inter subiectum cognoscens et obiectum cognoscendum. Est igitur ordinatio passiva, neque actuabilis nisi virtute divina. Neque tamen exinde inferri potest tale auxilium divinum esse naturae humanae debitum ; viribus enim naturalibus intellectus naturalem suam perfectionem consequitur. Supposito vero Deum intellectui humano ultimam velle tribuere perfectionem, correspondens quoque auxilium supernaturale praestare tenetur. Per se igitur hic appetitus est desiderium capacitatis tantum, non exigentiae. Quia intellectus humanus cognoscit seipsum, videt etiam istam ordinationem naturalem passivam et necessario apprehendit Deum uti bonum intellectus, et naturaliter sequitur etiam desiderium elicitum voluntatis, quo appetitur Deus ut bonum intellectus, quod tamen desiderium in statu naturae purae conaturaliter non esset nisi conditionatum. Homo in statu naturae purae constitutus rationabiliter desideraret ea tantum, quae respondent viribus naturalibus. Ita neque rationabiliter desideraret resurrectionem corporis, quae, quamvis sit secundum naturam animae, etiam ipsa naturaliter fieri nequit.

7. Ergo ex ratione probatur a posteriori (non a priori, ex ipsa natura huius visionis) possibilitas videndi Deum per essentiam seu elevabilitas per lumen gloriae. Si visio beata est impossibilis, « remanebit inane desiderium naturae » (S. Thom., S. th. I 12, 1). Ordinatio indita intellectui (desiderium naturae) esset ad impossibile, ad proinde natura intellectus contineret absurdum.

549. Schol. Obiectum intellectus est quidditas ut intellecta : ut intelligibiliter penetrata et elaborata, i. e. ut cognita secundum diversos gradus suos genericos et specificos, quibus metaphysice componitur. Ita rubrum concretum singulare, propositum a sensu, intellectus intelligit ut rubrum, ut colorem, ut qualitatem, ut entitatem. Percurrit totam seriem graduum metaphysicorum, ita quidem, ut incipiat ab ente, cum ens sit primum cognitum et sub ratione universalissima entis omnia attingat.

550. Obi. 1. Intellectus, cuius obiectum formale commune est ens inquantum ens, ad omnia quidditative cognoscenda extenditur. Atqui intellectus humanus non extenditur ad omnia quidditative cognoscenda. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Ad omnia cognoscenda extenditur, i. e. nullo obiecto cognoscendo excluditur per se seu essentialiter, *conc.* ; etiam per accidens seu ratione status, in quo invenitur, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui intellectus humanus neque per se seu essentialiter a nullo obiecto cognoscendo excluditur. *Probo.* Intellectus, qui per se excluditur a cognoscendo obiecto infinito, non excluditur per se a nullo obiecto cognoscendo. Atqui intellectus humanus utpote limitatus excluditur per se a cognoscendo obiecto infinito. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Qui per se excluditur a cognoscendo, tum comprehensive tum etiam apprehensive tantum, obiectum infinitum, *conc.* ; qui per se excluditur tantum a cognoscendo comprehensive obiectum infinitum, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui intellectus humanus per se excluditur etiam a cognoscendo obiecto infinito seu Deo, etsi apprehensive tantum. *Probo.* Intellectus, qui per se non excluderetur a cognoscendo Deo, etsi apprehensive tantum, haberet naturalem ordinem ad visionem Dei quidditativam. Atqui intellectus humanus (sicut quicumque intellectus creatus) non habet naturalem ordinem ad visionem Dei quidditativam. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Naturalem ordinem ad Deum immediate sub ratione Deitatis et actuabilem viribus naturalibus, *nego* ; naturalem ordinem ad Deum mediate sub ratione entis et actuabilem virtute divina tantum, *conc. Contradist. min.*

Bibliographia ad 546—549 : *S. Adamczyk*, De obiecto formali intellectus nostri secundum doctrinam S. Thomae Aquinatis, Analecta Gregoriana II, Romae 1933.

Ad 548, 6—7 : *P. Balzaretti*, De natura appetitus naturalis, Ag 6 (1929) 352—386 ; 519—544. *W. Brugger*, Ziel des Menschen und Verlangen nach Gottesschau, Schol 25 (1950) 535—548. *V. Doucet*, De naturali seu innato supernaturalis beatitudinis desiderio iuxta Theologos a saeculo XIII usque ad XX, Ant 4 (1929) 167—208. *A. Fernández*, Naturale Desiderium videndi Divinam Essentiam apud S. Thomam eiusque scholam, DThPlac 32 (1930) 5—28 ; 503—527. *A. Gardeil*, Le désir naturel de voir Dieu, RTh 31 (1926) 381—410. *R. Garrigou-Lagrange*, La possibilité de la vision béatifique peut-elle se démontrer?, RTh 38 (1933) 669—688. *G. Laporta*, Les notions d'appétit naturel et de puissance obédiencielle chez saint Thomas d'Aquin, EThL 5 (1928) 257—277. *R. Laurin*, Désir naturel du surnaturel, RUO Section spéciale 1948, 53*—62*. *M. Matthys*, Quid ratio naturalis doceat de possibilitate visionis beatae secundum S. Thomam in Summa contra Gentiles, DThPlac 39 (1936) 201—228. *R. Mulard*, Désir naturel de connaître et vision béatifique, RSPhTh 14 (1925) 5—19. *W. R. O'Connor*, The natural desire for God in St. Thomas, NSch 14 (1940) 213—267 (ibi ulterior invenitur bibliographia). *A. Raineri*, De possibilitate videndi Deum per essentiam, DThPlac 39 (1936) 307—330; 409—429 ; 40 (1937) 3—21 ; 113—128. *M. D. Roland-Gosselin*, Béatitude et désir naturel d'après S. Thomas d'Aquin, RSPhTh 18 (1929) 193—222. *S. Vallaro*, De naturali desiderio videndi essentiam Dei et de eius valore ad demonstrandam possibilitatem eiusdem visionis Dei quiddi-

tativae, Ag 11 (1934) 133—170. *Id.*, De natura capacitatis intellectus creati ad videndam divinam essentiam, Ag 12 (1935) 192—216. *G. Verbecke*, Le développement de la connaissance d'après S. Thomas, RNSPh 47 (1949) 437—457.

Ad 547 sq. *Aristoteles* praesentem doctrinam innuit, cum dicit animam esse quodammodo omnia : Ἡ ψυχὴ τὰ ὄντα πώς ἐστι πάντα (De an. III 8, 431 b 21). Ad quae *S. Thomas :* « Omnia enim, quae sunt, aut sunt sensibilia aut intelligibilia. Anima autem est quodammodo omnia sensibilia et intelligibilia, quia in anima est sensus et intellectus sive scientia, sensus autem est quodammodo ipsa sensibilia et intellectus intelligibilia, sive scientia scibilia . . . Sensus enim et scientia dividuntur "in res", idest dividuntur in actum et potentiam, quemadmodum et res, ita tamen, quod scientia et sensus, quae sunt in potentia ad sensibilia et scibilia, se habent ad scibilia et sensibilia, quae sunt in potentia ; scientia vero et sensus, quae sunt in actu, ordinantur in sensibilia et scibilia, quae sunt in actu, sed tamen diversimode. Nam sensus in actu et scientia vel intellectus in actu sunt scibilia et sensibilia in actu. Sed potentia animae . . . non est ipsum sensibile vel scibile, sed est in potentia ad ipsa » (In De an. III lect. 13 n. 787 sq.). Ponit etiam Aristoteles obiectum intellectus esse quidditatem : Ὁ [νοῦς] τοῦ τί ἐστι (De an. III 6, 430 b 28 [v. text. ad thes. sq.] ; cf. S. Thom. in l. c. lect. 11 n. 762 ; S. th. I-II 3, 8 ; II-II 8, 1). *S. Thomas* : « Naturaliter intellectus noster cognoscit ens, et ea quae sunt per se entis inquantum huiusmodi ; in qua cognitione fundatur primorum principiorum notitia » (C. g. II 83 ; cf. 98 : Hoc autem sic ; In Met. IV lect. 6 [cit. ad 646]). « Si aliqua potentia secundum propriam rationem ordinetur ad aliquod obiectum secundum communem rationem obiecti, non diversificabitur illa potentia secundum diversitates particularium differentiarum ; sicut potentia visiva, quae respicit suum obiectum secundum rationem colorati, non diversificatur per diversitatem albi et nigri. Intellectus autem respicit suum obiectum secundum communem rationem entis ; eo quod intellectus possibilis est, quo est omnia fieri. Unde secundum nullam differentiam entium diversificatur . . . intellectus possibilis » (S. th. I 79, 7 ; cf. I 5, 2 ; 12, 4 ad 3 ; 78, 1 ; 79, 9 ad 3 ; 82, 4 ad 1 ; 87, 3 ad 1 ; 105, 4 ; I-II 94, 2 ; III Dist. 14 a. 1 sol. 2).

Ad 548. *S. Thomas :* « Ultimo fine adepto, desiderium naturale quiescit. Quantumcumque autem aliquis proficiat intelligendo secundum praedictum modum cognitionis, quo a sensu scientiam percipimus, adhuc remanet naturale desiderium ad alia cognoscenda . . . Unde semper remanet naturale desiderium respectu perfectioris cognitionis. Impossibile est autem naturale desiderium esse vanum. Consequimur igitur ultimum finem in hoc quod intellectus noster fiat in actu, aliquo sublimiori agente quam sit agens nobis conaturale, quod quiescere faciat desiderium, quod nobis inest naturaliter ad sciendum. Tale est autem in nobis sciendi desiderium, ut, cognoscentes effectum, desideremus cognoscere causam ; et in quacumque re, cognitis quibuscumque eius circumstantiis, non quiescit nostrum desiderium, quousque eius essentiam cognoscamus. Non igitur naturale desiderium sciendi potest quietari in nobis, quousque primam causam cognoscamus, non quocumque modo, sed per eius essentiam. Prima autem causa Deus est, ut ex superioribus patet. Est igitur finis ultimus intellectualis creaturae : Deum per essentiam videre » (Comp. 104 ; cf. S. th. I-II 3, 8 ; C. g. III 50 sq. ; In Boëth. de Trin. q. 6 a. 4 ad 5).

Thesis 47 : *Obiectum formale intellectus proprium pro hoc statu unionis animae cum corpore est quidditas rei materialis per phantasiam repraesentatae, non prout est singularis, sed prout est universalis.*

551. St. qu. 1. Cum obiectum formale commune intellectus sit ens seu quidditas, obiectum formale intellectus proprium pro statu unionis animae cum corpore dicitur restringi ad hoc speciale genus entis seu quidditatis, quod est quidditas rei corporeae per phantasiam repraesentatae. Quo asseruntur duo: 1. intellectum in hoc statu per se primo non attingere nisi quidditatem rei corporeae; 2. non posse hanc quidditatem attingere nisi dependenter a phantasia, quatenus phantasia suo modo repraesentat id, quod intellectus quidditative attingit; aliis verbis, non posse intellectum exserere suam actionem repraesentativam quidditatis, nisi simul phantasia sensitivo modo repraesentet rem, cuius est quidditas.

2. Vocem phantasiae latius sumimus, quatenus complectitur etiam memoriam sensitivam et cogitativam, seu quatenus significat tres altiores facultates partis sensitivae. Hae facultates obiectum cognoscunt independenter a praesentia et secundum omnes qualitates suas sensibiles, ac proinde intellectui obiectum praebent, ex quo quidditativam cognitionem haurire possit.

3. Nomine quidditatis intelligimus quidditatem tum substantialem, tum accidentalem.

4. Cum dicimus intellectus obiectum proprium esse quidditatem rei materialis, minime intendimus statuere intellectum statim hanc quidditatem perfecte et quoad specificam rationem et ultimas differentias percipere. Pedetentim enim et gradatim perfectionem suam consequitur, attingendo primitus obiectum suum nonnisi sub rationibus communissimis entis, unius, substantiae, qualitatis etc. Neque statuimus intellectum in hoc statu coniunctionis nihil cognoscere nisi res corporeas, sed dicimus quidditatem universalem rei corporeae esse id, quod per se primo attingit; cetera vero non attingit nisi mediate, mediante obiecto proprio, et in eo; sicut visus, quamquam eius obiectum proprium est color, etiam alia praeter colorem percipit, ut quantitatem, non per se primo, sed mediate: percipiendo colorem percipit quantitatem.

5. Prima pars thesis: obiectum formale proprium pro hoc statu unionis animae ad corpus esse quidditatem rei corporeae per phantasiam repraesentatae, negatur a Platonicis, Cartesianis, Ontologistis, Pantheistis, qui ut primum cognitum intellectus humani statuunt ipsam animae essentiam aut Deum. Secunda pars, quae cum S. Thoma et Aristotele docet primum cognitum esse universale, non singulare, est contra Scotum et scholam nominalisticam (terministicam: Durandum, Occam, Gregorium Ariminensem [† 1358]) et Suarezium, qui asserunt primum cognitum esse singulare, non universale.

552. Prob. th. I p.: Obiectum formale proprium pro hoc statu unionis animae cum corpore est quidditas rei materialis per phantasiam repraesentatae. Ex experientia: Obiectum formale intellectus proprium

pro hoc statu est id, quod per se primo in hoc statu attingitur ab intellectu. Atqui id, quod per se primo in hoc statu ab intellectu attingitur, est quidditas rei materialis per phantasiam repraesentatae. Ergo ipsa est obiectum formale pro hoc statu.

Prob. min. a) multiplici experientia.

α) Impedita seu perturbata phantasia ex laesione cerebri, ebrietate, impeditur seu perturbatur etiam intellectus.

β) Unusquisque experitur in seipso se non posse intelligere quidquam, quin eius, quod intelligere cupit, phantasma sibi formet; et ad id, quod nos intelligimus, aliis explicandum suggerimus eis phantasmata, exempla sensilia proponendo.

γ) Obiectum, de quo non habetur phantasma, seu quod phantasia sensiliter non repraesentatur, immediate attingi non potest, sed mediantibus conceptibus rerum per phantasiam repraesentatarum a n a l o g i c e attingitur. Ita caecus natus nequit acquirere nisi conceptum analogicum colorum mediantibus qualitatibus, quarum phantasmata habet. (Sicut sonus est qualitas sensilis, ita etiam color : sicut duritia est qualitas per corporis superficiem sparsa, ita etiam color ; colorem rubrum concipit caecus ad instar soni fortis.) Conceptus substantiarum spiritualium formamus, applicando eis conceptus praecisive immateriales entis, substantiae, principii, causae, haustos ex corporibus per phantasiam repraesentatis, et positive excludendo omnia, quae solis corporibus conveniunt, ut materiam, extensionem, gravitatem. Et de ipsa anima nostra eiusque accidentibus spiritualibus non habemus nisi conceptus reflexos a n a l o g o s . Ita concipimus intellectionem nostram reflexe ad instar qualitatis corporeae et cognitionis sensitivae removendo corpoream concretionem ; quid autem in se positive sit, non attingimus.

δ) Res ita concipimus, sicut eas nominibus significamus. Atqui res etiam maxime suprasensiles non significamus nisi mediantibus vocibus primarie rem sensilem significantibus. Constat enim investigatione philologica omnes voces, etiam res maxime suprasensiles significantes, ut Deum, animam etc., a rebus sensilibus esse desumptas : Deus a radice d i v , quae significat lucere ; anima a radice sanscritica a n , spirare ; esse a radice *ṇsu, vigor, spiratio.

Prob. II p. : Obiectum formale proprium est quidditas rei materialis non prout est singularis, sed prout est universalis. Ex experientia: Non est obiectum formale proprium, quod ab intellectu omnino non attingitur in seipso. Atqui quidditas rei materialis, prout est singularis, seu ipsa differentia numerica ab intellectu omnino non attingitur in seipsa. Ergo obiectum formale proprium est quidditas rei materialis, non prout est singularis, sed prout est universalis.

Mai. patet ex indole obiecti formalis, quod attingitur immediate.

Min. ex experientia patet: Essentia singularis nos latet; non attingimus differentiam numericam neque cognoscimus individua nisi ex accidentium aggregatione, quae tamen non constituunt differentiam numericam et contingenter tantum individuo conveniunt. Inde accidit, ut individua, quorum prius unumquodque determinavimus et ab aliis distinximus, postea, obortis mutationibus accidentalibus, non recognoscamus neque distinguamus, quamvis numerice eadem manserint.

553. Coroll. 1. Ergo intellectus ex phantasmatibus desumit ideas suas, in quo consistit dependentia obiectiva intellectus a corpore, a cognitione sensitiva (cf. n. 542, 3).

2. Ergo «nihil est in intellectu, quod prius non erat in sensu». Effatum hoc tamen non significat intellectum non cognoscere nisi id, quod cognoscit sensus, quod profitentur Sensistae, sed omnem intellectus cognitionem a sensu aliquomodo originem ducere. «Dicitur cognitio mentis a sensu originem habere, non quod omne illud, quod mens cognoscit, sensus apprehendat, sed quia ex his, quae sensus apprehendit (res concreta secundum externas qualitates), mens in aliqua ulteriora manuducitur (in quidditatem), sicut etiam sensibilia intellecta (quidditative cognita) manuducunt ad intelligibilia divinorum» (ad omnino immaterialia analogice, i. e. ad modum quidditatis corporeae, cognoscenda) (S. Thom., Ver. 10, 6 ad 2).

3. Ergo intellectus non tantum desumit ideas suas a phantasmatibus, sed etiam in usu idearum iam acquisitarum dependet a phantasmate, i. e. dependentia obiectiva intellectus a corpore, a cognitione sensitiva, continua est. Hoc patet ex argumento, quo primam partem thesis probavimus, scilicet ex experientia: etiam vir doctissimus, qui suas ideas iam acquisivit et possidet habitualiter, perturbata phantasia, ineptus est ad quidquam cogitandum, et unusquisque in semetipso experitur omnem conceptum universalem conotare phantasma. Idem ostenditur etiam a priori ex ipso obiecto formali proprio intellectus nostri: «Intellectus humani, qui est coniunctus corpori, proprium obiectum est quidditas sive natura in materia corporali exsistens . . . De ratione autem huius naturae est quod in aliquo individuo exsistat, quod non est absque materia corporali . . . Unde natura lapidis vel cuiuscumque materialis rei, cognosci non potest complete et vere, nisi secundum quod cognoscitur ut in particulari exsistens. Particulare autem apprehendimus per sensum et imaginationem: et ideo necesse est ad hoc quod intellectus actu intelligat suum obiectum proprium, quod convertat se ad phantasmata, ut speculetur naturam universalem in particulari exsistentem» (S. th. I 84, 7 c.). Phantasma igitur quasi fulcimentum est, sine quo conceptus actu esse non potest. Plerumque sufficit phantasma vocis (dictae aut scriptae)[1], cui in in-

[1] Cogitando quasi intus loquimur nobis, i. e. utimur phantasmatibus vocum in cogitando.

tellectu respondet conceptus non ultimatus (cf. n. 16 d), quando scilicet agitur de iis, quae habitualiter iam mente tenemus; quando autem ideas acquirimus vel accuratius investigamus, conceptibus ultimatis utimur, quibus respondet phantasma rei.

4. Ergo falsa est sententia Scoti (et Pseudomysticorum), secundum quos conversio intellectus ad phantasiam non est ei conaturalis et essentialis (in hoc statu unionis), sed est tantum per accidens seu in poenam peccati.

554. Schol. 1. Cognoscens fit id, quod cognoscit; cognoscens cognoscendo obiectum suum formale (quod immediate per se primo attingit), immediate fit illud, exclusa etiam ea mediatione, quae obiectiva tantum esset (cf. n. 16). Iam vero non potest illud fieri immediate, nisi eundem habet essendi modum (cf. n. 466, 2). Cognoscens potest fieri etiam alia praeter obiectum formale proprium, sed mediate (potest ea cognoscere mediatione mere obiectiva aut etiam formali), quatenus fit obiectum proprium, in quo perfectiora imperfectiore modo et imperfectiora perfectiore et altiore modo continentur (cf. n. 559, 3).

Quae cum ita sint, stricta habetur proportio inter intellectum eiusque obiectum formale. Ens est omnino spiritualizatum, i. e. omnino abstractum a quacumque corporeitate, invenitur tamen concorporatum in ente corporeo et non concorporatum seu separatum in ente spirituali; ita etiam intellectus secundum se consideratus est potentia omnino spiritualis, invenitur tamen concorporatus in anima coniuncta corpori, et non concorporatus, sed separatus, in anima separata a corpore. Quare ens inquantum ens est obiectum formale commune intellectus; ens corporeum est obiectum formale proprium intellectus in statu coniunctionis cum corpore; ens spirituale est obiectum formale proprium intellectus animae separatae a corpore. Neque obest intellectum nullam involvere materiam seu corporeitatem, quidditatem vero abstractam materiam communem; exinde enim non resultat diversitas in modo essendi, nam materia communis habet modum essendi intellectus, ex quo etiam provenit eam ut talem non inveniri nisi in intellectu. In intellectu enim materia seu corporeum nanciscitur modum essendi spiritualem, inextensum, sicut ipsa quantitas ceteraque accidentia corporea.

2. Praeter obiectum formale proprium intellectus noster in statu unionis etiam alia cognoscit, sed in obiecto formali et per obiectum formale. Haec constituunt obiectum secundarium seu indirectum. Obiectum secundarium duplex est: alterum perfectius, alterum imperfectius obiecto proprio. Hoc sunt singularia materialia, illud res spirituales, non exclusa ipsa anima humana. Quae sunt perfectiora (res spirituales), per obiectum formale proprium cognoscuntur imperfectiore modo, quam in se sunt, quia in cognoscente acquirunt modum essendi imperfectiorem, quatenus tra-

huntur ad modum essendi obiecti formalis, i. e. cognoscuntur analogice tantum; quae sunt imperfectiora (singularia materialia), in cognoscente perfectius esse obtinent, quam habent in seipsis, quatenus in specie excedente, i. e. in obiecto formali, continentur et cognoscuntur.

3. De conaturalitate unionis animae intellectivae cum corpore. Unio intellectus (et animae) spiritualis cum corpore redundare debet in bonum animae, secus ipsa naturae institutio esset vitiosa; inferius enim est propter superius, corpus propter animam. Sed non potest haec unio redundare in bonum animae spiritualis, nisi aliquid conferat in commodum illius operationis, quae competit animae, ut spiritualis est, i. e. intellectionis. Iam vero unio animae cum corpore aliquid confert ad intelligendam quidditatem rei materialis per phantasiam repraesentatae, quatenus phantasia ac proinde corpus intellectui materiam subministrat, ex qua ille conceptus suos abstrahat. Doctrina igitur de dependentia obiectiva cognitionis intellectualis a cognitione sensitiva optime iustificat unionem intellectus et animae spiritualis cum elemento inferiori, materiali, quod est corpus, ostendens, quomodo conaturalis sit ista unio propter « conversionem intellectus ad phantasmata ». Et quamvis verum sit animam separatam cognoscere seipsam modo perfectiore quam anima corpori unita (cf. n. 566-569), tamen plus est, quod cognoscit anima iuncta corpori: « Si animae humanae sic essent institutae a Deo, ut intelligerent per modum, qui competit substantiis separatis, non haberent cognitionem perfectam, sed confusam in communi. Ad hoc ergo quod perfectam et propriam cognitionem de rebus habere possent, sic naturaliter sunt institutae, ut corporibus uniantur, et sic ab ipsis rebus sensibilibus propriam de eis cognitionem accipiant » (S. th. I 89, 1 c.).

555. Obi. *Contra I p. a)* Obiectum non est quidditas rei materialis. 1. Obiectum formale proprium intellectus, qui cognoscit res spirituales, non est quidditas rei materialis per phantasiam repraesentatae. Atqui intellectus in statu unionis animae cum corpore cognoscit res spirituales. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Qui cognoscit res spirituales mediate et analogice tantum, *nego;* per se primo seu immediate et cognitione propria seu stricte quidditativa (cf. n. 15 sq.), *conc. Contradist. min.*

2. Atqui intellectus in statu unionis cum corpore cognoscit res spirituales immediate seu per se primo. *Probo.* Intellectus ipse et anima sunt res spirituales. Atqui intellectus in statu unionis cum corpore immediate cognoscit seipsum et animam. Ergo. *Resp. Conc. mai.; dist. min.;* Cognoscit immediate, i. e. sine ratiocinio, et etiam directe, *nego;* sine ratiocinio, sed tamen indirecte, i. e. conotative et per reflexionem, *subdist.:* Ita cognoscit exsistentiam intellectus et animae, *conc.;* ita cognoscit clare et distincte essentiam, *nego. Dist. consq.* (cf. n. 561—564).

b) Obiectum non est quidditas rei per phantasiam repraesentatae; aliis verbis: intellectus intelligit sine phantasmate concomitante. *Probo.* Intellectus, qui intelligit terminum oralem seu vocem significativam prolatam, antequam ei obversatur correspondens phantasma rei, intelligit sine phantasmate concomitante. Atqui (ut investigatione experimentali psycholo-

gica constat) intellectus noster intelligit vocem prolatam, antequam ei obversatur phantasma rei. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Cui tamen obversatur phantasma vocis, *nego* ; cui neque obversatur phantasma vocis, *conc. Contradist. min.*

Contra II p. 1. Quidditas singularis est magis intelligibilis quam quidditas universalis. Atqui obiectum formale intellectus nostri, seu id quod per se primo intelligit, est id quod est magis intelligibile (quia est magis actu). Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Magis intelligibilis quoad se, *conc.* ; quoad intellectum nostrum, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui intellectus noster magis et prius intelligit singulare quam universale. *Probo.* Intellectus, qui intelligit ex singularibus, magis et prius intelligit singulare quam universale. Atqui intellectus noster intelligit ex singularibus. Ergo. *Resp. Dist. mai* : Qui intelligit ex singularibus per abstractionem, *nego* : non per abstractionem, *conc. Contradist. min.*

3. Atqui intellectus, qui intelligit per abstractionem a singularibus, prius intelligit singulare. *Probo.* Qui prius intelligit terminum, unde abstrahit, prius intelligit singulare. Atqui intellectus qui intelligit per abstractionem, prius intelligit terminum, unde abstrahit. Ergo. *Resp. Conc. mai.* ; *dist. min.* : Qui intelligit per abstractionem positivam, *conc.* ; per abstractionem negativam, *nego. Dist. consq.* (cf. n. 131, 1 ; 133, 3 ; 571—574).

Bibliographia ad 551—554 : *R. Garrigou-Lagrange*, De intelligentia naturali et de primo obiecto ab ipsa cognito, Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aq. 6 (1939/40) 137—154. *E. F. Talbot*, « Nihil est in intellectu... », RUO Section spéciale 3 (1934) 180*—199*.

A d 552 sq. *Aristoteles* : Ἐπεὶ δ' ἄλλο ἐστὶ τὸ μέγεθος καὶ τὸ μεγέθει εἶναι καὶ ὕδωρ καὶ ὕδατι εἶναι· . . . ἢ ἄλλῳ ἢ ἄλλως ἔχοντι κρίνει . . . τῷ μὲν οὖν αἰσθητικῷ τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν κρίνει, καὶ ὧν λόγος τις ἡ σάρξ· ἄλλῳ δὲ ἤτοι χωριστῷ, . . . τὸ σαρκὶ εἶναι κρίνει (De an. III 4, 429 b 10). Ad quae *S. Thomas* : « Ostendit Philosophus, quid sit obiectum intellectus . . . Dicit enim, quod aliud est "magnitudo et magnitudinis esse", id est aliud est magnitudo et quod quid est eius. Esse enim, quod est magnitudinis, appellat quidditatem eius. Et similiter aliud est "aqua et aquae esse", et sic est in multis aliis, id est in omnibus mathematicis et naturalibus. Unde signanter duo exempla posuit. Nam magnitudo est quid mathematicum, aqua autem quid naturale . . . Et quia ad diversa cognoscenda diversae potentiae cognoscitivae requiruntur, concludit, quod anima aut cognoscit alio rem et alio eius quidditatem, aut uno et eodem, sed alio modo se habente. Manifestum est autem, quod caro non est sine materia : sed forma carnis est forma determinata et in materia determinata sensibili, sicut etiam simus habet subiectum sensibile determinatum, scil. nasum. Hanc igitur naturam sensitivam cognoscit anima per sensum. Et hoc est quod subdit, quod anima iudicat potentia sensitiva calidum et frigidum et alia huiusmodi, "quorum ratio" idest, proportio "quaedam caro est". Forma enim carnis requirit determinatam proportionem calidi et frigidi et aliorum huiusmodi. Sed oportet, quod alia potentia "discernat esse carni" id est quod quid est carnis. Sed hoc contingit dupliciter : uno modo sic quod ipsa caro vel quidditas carnis cognoscantur omnino potentiis ab invicem diversis : puta quod potentia intellectiva cognoscitur quidditas carnis, potentia sensitiva cognoscitur caro, et hoc contingit, quando anima per se cognoscit singulare et per se cognoscit naturam speciei. Alio modo contingit, quod cognoscitur caro et quod quid est carnis : non quod sit alia et alia potentia, sed quia una et eadem potentia alio et alio modo cognoscit carnem, et quod quid est eius : et illud oportet esse, cum anima comparat universale ad singulare . . . ; quia non possemus . . . cognoscere comparationem universalis ad particulare, nisi esset una potentia, quae cognosceret utrumque. Intellectus igitur utrumque cognoscit, sed

alio et alio modo. Cognoscit enim naturam speciei, sive quod quid est, directe extendendo seipsum, ipsum autem singulare per quandam reflexionem, inquantum redit super phantasmata, a quibus species intelligibiles abstrahuntur. Et hoc est, quod dicit, quia sensitivo cognoscit carnem, "alio" idest alia potentia "discernit esse carni" idest, quod quid est carnis, "aut separata", puta cum caro cognoscitur sensu et esse carnis intellectu» (In De an. III lect. 8 n. 705 709 711 sqq.). *Aristoteles:* Δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδέν, πρὶν ἂν νοῇ. δεῖ δ' οὕτως ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηθὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον. Οὐδέποτε νοεῖ ἄνευ φαντάσματος ἡ ψυχή. Ἐν τοῖς εἴδεσι τοῖς αἰσθητοῖς τὰ νοητά ἐστιν, ... διὰ τοῦτο οὔτε μὴ αἰσθανόμενος μηθὲν οὐθὲν ἂν μάθοι οὐδὲ ξυνείη· ὅταν δὲ θεωρῇ, ἀνάγκη ἅμα φάντασμά τι θεωρεῖν (De an. I II. 4, 429 b 30; 7, 431 a 16; 8, 432 a 4). Ad ultima *S. Thomas:* «Posset aliquis credere quod intellectus non dependeret a sensu. Et hoc quidem verum esset, si intelligibilia nostri intellectus essent a sensibilibus separata secundum esse, ut Platonici posuerunt. Et ideo hic ostendit, quod intellectus indiget sensu ... Dicit ergo primo, quod, quia nulla res intellecta a nobis est praeter magnitudines sensibiles, quasi ab eis separata secundum esse, ... necesse est quod intelligibilia intellectus nostri sint in speciebus sensibilibus secundum esse, tam illa, quae dicuntur per abstractionem, scil. mathematica, quam naturalia, quae sunt habitus et passiones sensibilium. Et propter hoc sine sensu non potest aliquis homo addiscere quasi de novo acquirens scientiam neque intelligere quasi utens scientia habita. Sed oportet, cum aliquis speculatur in actu, quod simul formet sibi aliquod phantasma. Phantasmata enim sunt similitudines sensibilium» (In De an. III lect. 13 n. 791; cf. lect. 9 n. 722; lect. 12 n. 770). *S. Thomas:* «In II De an. [4, 415 b 15] dicitur quod anima non solum est corporis forma et motor, sed etiam finis ... Ideo naturale est animae humanae corpori uniri, quia cum sit infima in ordine intellectualium substantiarum, sicut materia prima est infima in ordine rerum sensibilium; non habet anima humana intelligibiles species sibi naturaliter inditas, ... sed est in potentia ad eas, cum sit sicut tabula rasa, in qua nihil est scriptum, ut dicitur in III De an. [c. 4 ‹hic supra›]. Unde oportet quod species intelligibiles a rebus exterioribus accipiat mediantibus potentiis sensitivis» (Q. d. an. a. 8; cf. a. 15 et 16). «Naturalis nostra cognitio a sensu principium sumit: unde tantum se nostra naturalis cognitio extendere potest, inquantum manuduci potest per sensibilia» (S. th. I 12, 12). «Impossibile est intellectum nostrum, secundum praesentis vitae statum, quo passibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in actu, nisi convertendo se ad phantasmata» (S. th. I 84, 7; cf. a. 6; q. 18, 2; 79, 2; 85, 1; 86, 1 [cit. ad 557]; 89, 1; II Dist. 20, 2 a. 2 ad 2—3; III Dist. 31, 2 a. 4; Ver. 10, 2 ad 7; a. 6; a. 8 ad 1; q. 19, 1; C. g. II 81: Sciendum; Comp. 81 sq.; In De mem. et rem. lect. 2 n. 312 sqq.). Cf. text. cit. ad 572.

Thesis 48: *Intellectus noster cognoscit singulare materiale non directe, sed indirecte per reflexionem quandam super phantasma, advertendo ad conotationem phantasmatis in conceptu directe repraesentativo universalis contentam.*

556. St. qu. Est factum evidens non tantum sensum, sed etiam intellectum cognoscere singularia corporea: Homo cognitione sua distinguit inter universale et singulare. Hoc non est possibile, nisi quatenus eadem potentia utrumque cognoscit. Haec autem potentia est

intellectus, qui solus universale attingit. Iudicia et ratiocinia multipliciter sunt de singularibus corporeis. Haec igitur cognoscuntur ab intellectu, qui solus iudicat et ratiocinatur. Voluntas humana multoties singularia corporea appetit, quae proinde ab intellectu cognoscuntur, quia voluntas sequitur cognitionem intellectus. Ceterum conceptus universales inutiles essent ad cognoscendum mundum exsistentem, si intellectus non cognosceret singularia. Nam in singularibus tantum exsistit essentia ab intellectu abstracte universaliter cognita. Non agitur in hac thesi de cognitione individui descriptiva per congeriem notarum; haec enim supponit intellectum aliquo modo individuum iam attigisse, secus non conaretur illud describere notis individuantibus. Ostendimus autem intellectum humanum corpori iunctum non cognoscere quidditative individuum qua tale seu ipsam differentiam numericam (cf. n. 552 prob. II p.). Immo in se repugnat singulare materiale ab intellectu cognosci immediate, i. e. specie adaequata (conceptu proprio). Singulare enim materiale, cum habeat esse imperfectius quam intellectus, ab eo specie adaequata cognosci nequit; haec enim esset materialis, extensa, ac proinde in intellectu, qui spiritualis est, esse non potest. Intellectus igitur non potest cognoscere singulare materiale nisi mediate, mediante obiecto suo formali, conceptu excedente, quatenus spiritualiter in cognitione essentiae universalis continetur. Hanc cognitionem mediatam thesi nostra dicimus reflexam, quatenus fit ab intellectu, regrediente ad principium, unde incipit intellectio, i. e. ad phantasma. Et hanc reflexionem (impropriam, quae est intellectus cogonscentis obiectum et actum alterius potentiae: phantasiae) eo contingere dicimus, quod intellectus advertit ad conotationem, qua conceptus directe repraesentativus quidditatis universalis conotat phantasma tamquam terminum a quo relictum (cf. n. 129).

557. Prob. th. I p.: Intellectus noster cognoscit singulare non directe, sed indirecte, per reflexionem quandam super phantasma. Ex eo quod obiectum formale proprium est universale abstractum: Quod intellectus intelligendo relinquit, non cognoscit directe, sed indirecte, per reflexionem ad id, a quo incipit intellectio, a quo intellectus desumit conceptus suos, i. e. per reflexionem ad phantasma. Atqui intellectus intelligendo relinquit singulare. Ergo singulare non cognoscit directe.

Min. probatur ex th. antec.: Intellectus cognoscit per abstractionem ex phantasmatibus, ergo cognoscit relinquendo individuationem; ergo id, quod actu directo attingit, est universale, et singulare nequit cognoscere nisi indirecte seu reflexe.

Prob. II p.: Intellectus cognoscit singulare advertendo ad conotationem phantasmatis in conceptu directe repraesentativo universalis contentam. Ex relatione transcendentali universalis ad phantasma

rei singularis: Singulare materiale in conceptu universali continetur, quatenus conceptus universalis dicit relationem ad phantasma seu conotat in obliquo phantasma tamquam terminum a quo relictum. Atqui intellectus noster non potest cognoscere singulare materiale, nisi quatenus hoc in obiecto suo proprio, i. e. in conceptu universali continetur et intellectus ad hanc continentiam advertit. Ergo cognoscitur singulare materiale, quatenus conceptus universalis ordinem dicit ad phantasma.

Mai. patet ex indole universalis, quod est abstractum ex phantasmate, ac proinde transcendentaliter ad hoc refertur tamquam ad terminum relictum. Conceptus universalis dependet a phantasmate illuminato (a phantasmate sub influxu intellectus agentis spiritualizato). Ex illa dependentia conotat, i. e. correpraesentat in obliquo et implicite phantasma et, mediante phantasmate, singulare corporeum.

Min. probatur ex conceptu obiecti secundarii, quod non cognoscitur nisi mediante obiecto primario seu formali.

In ipsa cognitione universalis statim ab initio confuse et in actu exercito habetur etiam singulare, a quo est abstractum. Sed distincte non cognoscitur singulare, i. e. quidditas universalis tamquam ad singulare pertinens, nisi intellectus explicite advertat ad conotationem in conceptu suo universali contentam. Advertentia ista specialis, quae est reflexio quaedam super id, a quo originatur intellectio, necessaria est. Quamvis enim ordo ad singulare materiale, imbibitus in universali cognito, statim ab initio cognoscibiliter obversetur, confuse tamen solummodo percipitur. Quia autem tota quidditas intellecta se manifestat pertinere ad hoc singulare, cuius est phantasma, intellectus quasi impellitur ac necessitatur, ut expresse ad hanc conotationem advertat. Hac ratione facile et conaturaliter ab universali cognito confestim procedit novo actu ad distinctam cognitionem singularis.

558. Coroll. 1. Ergo intellectus noster cognoscit singulare materiale sine nova specie impressa; sufficit enim pro actu primo conceptus (species) directe repraesentans universale, quatenus in obliquo conotat phantasma. Attamen intellectus advertendo ad id, quod conotative continetur in conceptu directe repraesentante universale, producit speciem expressam. Quare, quamquam in cognitione singularis non obtineat nova species impressa, obtinet tamen expressa.

2. Ergo intellectus noster cognoscit singulare materiale in specie excedente: Non tantum species, quae est principium cognitionis quasi reflexae, qua cognoscitur singulare materiale, est excedens, sed etiam species, quae hac cognitione exprimitur, excedens est, quia repraesentat quidditatem universalem ut abstractam ex phantasmate seu ut exsistentem in eo, quod phantasmate repraesentatur.

559. Schol. 1. In cognitione individui materialis necesse non est, ut intellectus cognoscat phantasma ut tale seu ut terminum activitatis phantasiae, sed sufficit, ut cognoscat id, quod per phantasiam exhibetur : individuum materiale quoad concretam externam apparentiam. Potest tamen intellectus, accuratius reflectendo in id, quod in conceptu suo conotative continetur, cognoscere ipsam phantasiae actionem seu conscius fieri eius, et mediante phantasia conscius fieri ceterarum sensationum, quatenus phantasia repraesentantur. Haec ita esse experientia docet.

2. Directa cognitio intellectiva rei singularis materialis est possibilis, sed requiritur : *a)* ut sit excedens ; nam cognitio non excedens esset qualitas concreta materialis, i. e. esset cognitio sensitiva ; *b)* ut non sit per abstractionem, sicut cognitio humana, sed causalis, sicut cognitio divina. Nam in cognitione per abstractionem res debet intrare in intellectum, quod non potest, quin despolietur individuatione. Contra in cognitione causali res exit ex cognitione causali etiam quoad individuationem, ergo etiam haec cognoscitur. Quare cum intellectus humanus non cognoscat singulare materiale nec directe nec quidditative, Deus singularia omnia cognoscit cognitione causali ex essentia divina tum directe, tum quidditative. Deus enim est causa rerum non solum quantum ad rationes universales, sed etiam quantum ad differentias ultimas usque ad differentiam numericam. Ideo in essentia sua individuationem omnium rerum causaliter praehabet.

Etiam angeli, quibus per species a Deo infusas divina cognitio causalis aliquomodo participatur, singularia cognoscunt directe et quidditative. Cum differentia numerica rerum materialium sit relatio transcendentalis secundum positionem (cf. n. 388, 2), haec quidditativa cognitio rei singularis materialis non potest esse nisi eo, quod species, i. e. idea infusa repraesentat omnia individua corporea in aliqua specie exsistentia, seu repraesentat totam divisionem materiae factam pro multiplicatione mere numerica alicuius essentiae corporeae.

3. Ad invicem conferenti diversos modos, quibus intellectualiter percipitur singulare materiale : per essentiam divinam, per species a Deo infusas, per conversionem ad phantasma, apparet hanc cognitionem semper esse mediatam, mediante cognitione excedente, spirituali et inextensa. Singulare concretum in altiore tantum intelligibile est : vel tamquam effectus in causa universali, quod obtinet in cognitione divina et aliqualiter in eiusdem participationibus per species infusas : tunc mediatio est mere obiectiva (cf. n. 16), et singulare directe percipitur, absque novo actu ; vel apprehenditur singulare tamquam causa in effectu, quod obtinet in cognitione humana ; directe cognoscitur universale, singulare autem percipitur mediate, mediatione formali, quatenus intellectus per novum actum expresse advertit ad conotationem in conceptu universali contentam

sicque indirecte singulare cognoscit. Cognitio autem immediata rei singularis extensae soli sensui competere potest.

560. Obi. *Contra I p.* 1. Non cognoscit singulare materiale, qui intelligit per abstractionem a singularibus. Atqui intellectus noster intelligit per abstractionem a singularibus. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Non cognoscit directe, *conc.;* indirecte, *nego. Conc. min.; dist. consq.*

2. Atqui intellectus nullo modo cognoscit singulare materiale. *Probo.* Cognitio singularis materialis est qualitas materialis (extensa), concreta. Atqui intellectus nullo modo cognoscit qualitate materiali concreta. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Cognitio immediata, directa, non excedens, *conc.;* indirecta et excedens, *nego. Conc. min.; dist. consq.*

3. Ad mentem Suarezii arguitur: Si est possibilis species directa, entitative spiritualis, repraesentative materialis, repraesentans directe conditiones individuantes, concretas, materiales, seu species directe repraesentativa singularis materialis, intellectus humanus directe intelligit singulare materiale. Atqui possibilis est species entitative spiritualis, repraesentative materialis. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si possibilis est talis species directa non excedens, *conc.;* excedens, *subdist.:* Si est possibilis in cognitione per abstractionem, *conc.;* in cognitione causali, *nego. Contradist. min.:* Possibilis est species non excedens, *nego;* excedens, *subdist.:* In cognitione causali, *conc.;* in cognitione per abstractionem, *nego.*

Contra II p. 1. Intellectus, qui non cognoscit phantasma, non cognoscit singulare advertendo ad conotationem phantasmatis in conceptu directe repraesentativo universalis contentam. Atqui intellectus non cognoscit phantasma. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Qui nullo modo cognoscit, *conc.;* qui non cognoscit directe, cognoscit tamen indirecte, quatenus correpraesentatur a conceptu directe repraesentativo universalis, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui conceptus directe repraesentans universale non conotat seu correpraesentat phantasma. *Probo.* Conceptus non repraesentat id, quod relinquit. Atqui conceptus directe repraesentans universale relinquit phantasma. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Non correpraesentat tamquam terminum a quo relictum, *nego;* tamquam terminum, ad quem fertur, *conc. Conc. min.; dist. consq.*

3. Atqui repugnat conceptum universalem quocumque modo repraesentare phantasma. *Probo.* Conceptum universalem repraesentare phantasma est: conceptum spiritualem continere repraesentationem materialem concretam. Atqui repugnat conceptum spiritualem continere repraesentationem materialem concretam. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Continere subiective, ita ut conceptus formalis seu repraesentatio subiective considerata esset materialis, *nego;* continere obiective, ita ut conceptus obiectivus seu res repraesentata sit materialis et concreta, *subdist.:* Continere excedenter et quidditative, sive causaliter sive abstractive, *conc.;* continere non excedenter et non quidditative, *nego. Contradist. min.* Conceptus semper est excedens et repraesentat materiale concretum spiritualiter, quia repraesentat sub respectu quidditativo, sive causaliter: in cognitione divina et angelica, sive abstractive in cognitione humana. In cognitione humana singulare materiale repraesentatur quidditative abstractive, quia, etsi quidditas singularis intellectum humanum latet, cognoscit tamen indirecte concretum materiale per phantasiam repraesentatum tamquam pertinens ad quidditatem universalem, quam directe tenet.

Bibliographia ad 556—559: *P. Borne,* De ente materiali et spirituali sub respectu extensionis et inextensionis, DThPlac 42 (1939) 240—253; 349—369; 461—494. *C. Fabro,* La

percezione intelligibile dei singolari materiali, Ag 16 (1939) 429—462. *A. Gazzana*, Il primo soggetto e il primo predicato nell'umano giudizio, DThPlac 54 (1951) 373—384. *J. Gredt*, De entitate viali, qua conceptus ex cognitione sensitiva oriuntur et ad hanc cognitionem reflectuntur, Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aq. 4 (1936/37) 41—52. *G. P. Klubertanz*, S. Thomas and the Knowledge of the Singular, NSch 26 (1952) 135—166. *H. Renard*, The Metaphysics of the Exsistential Judgement, NSch 23 (1949) 387—394. *J. de Vries*, Die Mehrschichtigkeit der Einzelerkenntnis, Schol 26 (1951), 161—176. *J. Wébert*, «Reflexio», Étude sur les opérations réflexives dans la psychologie de saint Thomas d'Aquin, Mélanges Mandonnet I, Bibliothèque thomiste XIII, Paris 1930, 285—325.

Ad 557. Cf. textum cit. ad 552. *Aristoteles:* Τῶν καθ' ἕκαστον ἡ κατ' ἐνέργειαν αἴσθησις, ἡ δ' ἐπιστήμη τῶν καθόλου : De an. II 5, 417 b 22 ; cf. S. Thom. lect. 12 n. 375. *S. Thomas :* « Singulare in rebus materialibus intellectus noster directe et primo cognoscere non potest. Cuius ratio est, quia principium singularitatis in rebus materialibus est materia individualis : intellectus autem noster, sicut supra dictum est [85, 1], intelligit abstrahendo speciem intelligibilem ab huiusmodi materia. Quod autem a materia individuali abstrahitur, est universale. Unde intellectus noster directe non est cognoscitivus nisi universalium. Indirecte autem, et quasi per quandam reflexionem, potest cognoscere singulare; quia, sicut supra dictum est [84, 7], etiam postquam species intelligibiles abstraxit, non potest secundum eas actu intelligere, nisi convertendo se ad phantasmata, in quibus species intelligibiles intelligit, ut dicitur in III De anima. Sic igitur ipsum universale per speciem intelligibilem directe intelligit ; indirecte autem singularia, quorum sunt phantasmata » (S. th. I 86, 1). « Mens per accidens singularibus se immiscet, inquantum continuatur viribus sensitivis, quae circa particularia versantur. Quae quidem continuatio est dupliciter. Uno modo inquantum motus sensitivae partis terminatur ad mentem, sicut accidit in motu qui est a rebus ad animam ; et sic mens singulare cognoscit per quandam reflexionem, prout scil. mens cognoscendo obiectum suum, quod est aliqua natura universalis, redit in cognitionem sui actus, et ulterius in speciem quae est actus sui principium, et ulterius in phantasma a quo species est abstracta ; et sic aliquam cognitionem de singulari accipit. Alio modo secundum quod motus qui est ab anima ad res, incipit a mente, et procedit in partem sensitivam, prout mens regit inferiores vires ; et sic singularibus se immiscet mediante ratione particulari [cogitativa] » (Ver. 10, 5 ; cf. q. 2, 5 et 6 ; Q. d. an. a. 20 ; Qdl. VII a. 3 ; XII a. 11 ; C. g. I 65 : Item. Agens ; II Dist. 3, 3 a. 3).

Thesis 49 : *Intellectus humanus in statu unionis cognoscit actum suum seu intellectionem, et terminum eius seu speciem expressam, et subiectum seu principium intellectionis, quod est triplex ; anima, intellectus, species impressa. Attamen haec omnia non cognoscit directe, sep indirecte, et quidem horum omnium exsistentiam statim simplici reflexione cognoscit, quatenus in obiecto suo formali conotative continentur ; cognitionem vero claram et distinctam essentiae eorum non acquirit nisi paulatim ope ratiocinii.*

561. St. qu. 1. Intellectus eiusque terminus et principium triplex seu subiectum non pertinent ad obiectum formale proprium intellectus in statu unionis. Quare quaerimus, num haec cognoscantur ab intellectu nostro in statu unionis, et quomodo. Quae quaestio est de cognitione sui ipsius seu de « conscientia ». Aliqua cognitio sui ipsius involvitur in omni cognitione. Quicumque aliquid cognoscit, in actu exercito cognoscit se suamque cognitionem, quae est conscientia concomitans omnem cognitionem. De hac cognitione sui ipsius non agit thesis nostra, sed de cognitione sui, qua cognoscens se actumque suum cognoscit in actu signato. Neque hic agitur de cognitione, qua cognoscens mediante superiore potentia cognoscit actus potentiae inferioris (in actu signato), sicut sensus communis cognoscit sensationes sensuum externorum, sed de cognitione, qua eadem potentia, actum suum et seipsam et subiectum cognoscens, apprehendit in actu signato. Haec autem cognitio sui stricte et proprie dicta iterum duplex esse potest : directa et reflexa. Et in thesi dicimus intellectui humano in statu unionis animae cum corpore convenire cognitionem sui imperfectam tantum seu reflexam.

2. Distinguimus cognitionem exsistentiae et essentiae. Cognitionem essentiae iterum distinguimus duplicem : alteram claram et distinctam, alteram obscuram et confusam, quae in ipsa exsistentiae cognitione necessario includitur.

562. Prob. th. I p. : Intellectus humanus in statu unionis cognoscit actum suum seu intellectionem et terminum eius seu speciem expressam et subiectum seu principium intellectionis triplex. Ex experientia, ex hucusque dictis et disputatis de anima, de intellectu eiusque actu et speciebus constat nos ea, quae enumerata sunt, cognoscere.

Prob. II p. : Haec omnia intellectus non cognoscit directe, sed indirecte. *Arg. I.* Ex eo, quod ad obiectum formale non pertinent : Directe cognosci nequit ab intellectu nostro, nisi quod sub eius obiecto formali continetur. Atqui omnia in thesi enumerata, utpote incorporea, sub eius obiecto formali non continentur. Ergo indirecte tantum cognoscuntur.

Arg. II. Ex modo subsistendi animae humanae : Seipsum directe non cognoscit nisi forma immaterialiter subsistens simpliciter. Atqui anima humana in statu unionis cum corpore immaterialiter non subsistit simpliciter. Ergo anima seipsam non cognoscit directe, ac proinde neque intellectus actum suum et cetera in thesi enumerata directe cognoscit.

Ad min. Anima humana non subsistit nisi secundum quid, i. e. prout habet intellectum (cf. n. 466, 3). *Prob. mai.* Forma nullo modo subsistens, nullo modo est in se, ac proinde nullo modo est determinata ad se cognoscendam. Forma (actus primus) simpliciter subsistens

est simpliciter substantialis cognitio sui in actu primo seu intelligere radicale sui ipsius directum, i. e. substantia determinata ad se iugiter cognoscendam directe. Forma vero subsistens secundum quid, i. e. anima humana iuncta corpori, subsistens prout habet intellectum, sicut non subsistit nisi secundum quid, i. e. prout habet intellectum, ita etiam non est nisi cognitio sui radicalis secundum quid, i. e. prout habet intellectum, secundum indolem intellectus sui, qui directe fertur in quidditatem corpoream, ac proinde non potest cognoscere actum suum et seipsum et animam nisi indirecte seu reflexe (cf. n. 466, 3).

Prob. III p.: Horum omnium exsistentiam statim simplici reflexione cognoscit, quatenus in obiecto suo formali conotative continentur. Ex eo quod conceptus directe repraesentativus quidditatis materialis correpraesentat haec omnia. Intellectus suum actum, huius terminum et principium non cognoscit, nisi quatenus in obiecto suo formali continentur. Quidquid enim est extra obiectum formale, non cognoscitur nisi per obiectum formale. Atqui omnia ista in obiecto formali continentur conotative, ita ut simplici reflexione seu advertentia cognosci possint; conceptus enim directe repraesentativus quidditatis materialis (species expressa) correpraesentat se et actum, cuius est terminus, et ipse actus conotat principium et subiectum suum; non enim potest actus percipi, quin percipiatur eum esse subiecti alicuius intelligentis; hoc autem subiectum est intellectus (determinatus specie impressa) et anima.

Et intellectus hanc reflexionem peragere potest. Hoc patet ex testimonio conscientiae. Ratio autem a priori indicata est in probatione II partis: Quia anima subsistit seipsam habens secundum quid, ideo debet etiam habere aliquam cognitionem sui ipsius. Sed haec cognitio est reflexa propter indolem intellectus humani, qui directe fertur in rem corpoream.

Prob. IV p.: Cognitionem claram et distinctam essentiae eorum non acquirit nisi paulatim ope ratiocinii. Ex experientia, ex hucusque in hoc libro de anima dictis et ex tota philosophiae historia patet philosophos non cognoscere naturam intellectus et animae nisi ratiocinio: ex eo, quod intellectus repraesentat universale, deducitur eum esse potentiam anorganicam; ex hoc deducitur eum esse independentem a materia seu spiritualem, ex quo probatur etiam animam esse substantiam spiritualem. Similiter animam et intellectum et intellectionem et speciem, tum impressam tum expressam, realiter inter se distingui non apprehenditur nisi ratiocinio. Quamquam enim statim simplici reflexione apprehenduntur, tamen ita confuse et obscure apprehenduntur, ut inter se non distinguantur.

563. Coroll. 1. Ergo cognitio, quam anima humana in hac vita de se et de suis accidentibus spiritualibus habet, est analogica tantum

seu positivo-negativa. Nam haec omnia non attingit in seipsis, sed in alio, eoque imperfectiore, i. e. in obiecto suo formali. Ita animam concipimus ad instar substantiae corporeae, removendo extensionem, et intellectionem ad instar qualitatis corporeae, removendo corpoream concretionem.

2. Ergo a fortiori cognitio, quam in hac vita habemus de aliis substantiis spiritualibus (de Deo, de angelis), est mediata et analogica. Patet *a)* a priori ex eo, quod substantiae spirituales non pertinent ad obiectum formale proprium; *b)* a posteriori ex experientia: ratiocinando (aut fide) cognoscimus esse substantiam ita perfectam, a qua imperfectiones corporum (ut trina dimensio, corruptibilitas etc.) removendae sint; itaque hanc substantiam concipimus applicando conceptus ex corporibus haustos, removendo imperfectiones, quas removendas esse ratiocinio aut fide cognovimus.

564. Schol. 1. Quomodo in hac vita cognoscamus voluntatem et actum eius. Voluntas egreditur ex intellectu et inhaeret intellectui seu informat eum. Ideo intellectus, cognoscens se, cognoscit etiam voluntatem.

Quomodo intellectus cognoscat actus potentiarum sensitivarum per reflexionem ad phantasiam, iam diximus n. 559, 1.

2. Quomodo intellectus cognoscat Ego. « Ego » idem est quod persona humana: suppositum rationale, compositum ex anima et corpore, prout est principium «quod» et subiectum remotum intellectionis (subiectum ultimum, quod habet intellectionem), quod proinde intelligimus intelligendo reflexe nostrae intellectionis principium. Et intelligimus hoc subiectum intellectionis seu Ego non tantum implicite et concrete, sed etiam explicite et abstracte, cum distinguimus subiectum permanens ab intellectionibus transeuntibus.

565. Obi. *Contra I p.* 1. Non cognoscit actum et subiectum intellectionis intellectus animae, quae non subsistit. Atqui intellectus humanus est intellectus animae, quae non subsistit. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Intellectus animae, quae nullo modo subsistit, *conc.;* quae non subsistit simpliciter, subsistit tamen secundum quid, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui anima humana nullo modo subsistit. *Probo.* Anima iuncta corpori nullo modo subsistit. Atqui anima humana est iuncta corpori. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Ita iuncta corpori, ut habeat intellectum per se solam immediate ut subiectum inhaesionis, *nego;* ut non habeat intellectum per se solam, *conc. Contradist. min.*

Contra II et III p. Si forma simpliciter subsistens seipsam directe cognoscit simpliciter, forma secundum quid subsistens, i. e. prout habet intellectum, seipsam directe cognoscit secundum quid, i. e. prout habet intellectum. Atqui anima humana est forma, quae subsistit secundum quid, i. e. prout habet intellectum. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Si obiectum formale proprium intellectus, formae secundum quid subsistentis, non esset quidditas rei materialis, *conc.;* si est quidditas rei materialis, *nego. Contradist. min.*

Contra IV p. 1. Quae intellectus simplici apprehensione statim apprehendit, horum cognitionem claram et distinctam etiam statim sine ratiocinio acquirit. Atqui intellectus intellectionem suam et terminum eius et subiectum seu principium intellectionis simplici reflexione statim apprehendit. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quae intellectus simplici reflexione statim apprehendit quoad essentiam, ita ut statim essentiam clare et distincte cognoscat, *conc.* ; quae apprehendit quoad exsistentiam tantum, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui intellectus haec omnia statim apprehendit etiam quoad essentiam eorum clare et distincte cognitam. *Probo.* Qui intuetur haec omnia immediate, etsi reflexe, ea apprehendit clare et distincte. Atqui intellectus immediate intuetur haec omnia, etsi reflexe. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Qui intuetur haec omnia in se, *conc.* ; in alio, *nego. Contradist. min.* (cf. coroll. 1).

Bibliographia ad 561—564 : *G. de Craene*, La connaissance de l'esprit, RNSPh 6 (1899) 259—279. *A. Gardeil*, La perception expérimentale de l'âme par elle-même d'après saint Thomas, Mélanges thomistes, Bibliothèque thomiste III, Kain 1923, 219—236. *R. Garrigou-Lagrange*, Utrum mens seipsam per seipsam cognoscat, Ag 5 (1928) 37—54. *D. Nys*, Une critique à coté, RNSPh 20 (1913) 218—225. *B. Romeyer*, Saint Thomas et notre connaissance de l'Esprit humain², APh VI cah. II, Paris 1932. *J. Wébert*, «Reflexio», Étude sur les opérations réflexives dans la psychologie de saint Thomas d'Aquin, Mélanges Mandonnet I, Bibliothèque thomiste XIII, Paris 1930, 285—325.

Ad 562. *Aristoteles* « subiungit, quod intellectus factus in actu [per speciem intelligibilem], non [solum] potest intelligere alia, sed etiam tunc potest intelligere seipsum » (καὶ αὐτὸς δὲ αὑτὸν τότε δύναται νοεῖν : De an. III 4, 429 b 9. *S. Thom.* lect. 8 n. 704). Ibidem movet dubitationem, quae « insurgit ex eo, quod supra dixit, quod intellectus factus in actu etiam seipsum intelligit. Et est ista dubitatio, quod si intellectus . . . secundum seipsum est intelligibilis et non secundum aliud, intelligibile autem inquantum huiusmodi est unum in specie, sequetur, . . . quod etiam alia intelligibilia sint intellectus, et ita omnia intelligibilia intelligent. Si autem est intelligibilis per hoc, quod habet aliquid aliud sibi adiunctum, sequeretur, quod habeat aliquid quod faciat ipsum intelligibilem, sicut et alia, quae intelliguntur : et ita videtur sequi idem, quod prius, scil. quod semper id, quod intelligitur, intelligat » (*S. Thom.* l. c. lect. 9 n. 721). Solvit dubitationem : Καὶ αὐτὸς δὲ νοητός ἐστιν ὥσπερ τὰ νοητά. ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἄνευ ὕλης τὸ αὐτό ἐστι τὸ νοοῦν καὶ τὸ νοούμενον· ἡ γὰρ ἐπιστήμη ἡ θεωρητικὴ καὶ τὸ οὕτως ἐπιστητὸν τὸ αὐτό ἐστιν (430 a 2). Ad quae *S. Thomas* : « Dicit quod intellectus possibilis est intelligibilis, non per suam essentiam, sed per aliquam speciem intelligibilem sicut et alia intelligibilia. Quod probat ex hoc, quod intellectum in actu et intelligens in actu sunt unum, sicut et supra dixit, quod sensibile in actu et sensus in actu sunt unum. Est autem aliquid intelligibile in actu per hoc, quod est in actu a materia abstractum ; sic enim supra dixit, quod, sicut res sunt separabiles a materia, sic sunt et quae sunt circa intellectum. Et ideo hic dicit, quod "in his, quae sunt sine materia". Id est, si accipiamus intelligibilia in actu, idem est intellectus et quod intelligitur, sicut idem est sentiens in actu et quod sentitur in actu. Ipsa enim scientia speculativa "et sic scibile", id est scibile in actu, est idem. Species igitur rei intellectae in actu est species ipsius intellectus ; et sic per eam seipsum intelligere potest. Unde et supra Philosophus per ipsum intelligere et per illud, quod intelligitur, scrutatus est naturam intellectus possibilis. Non enim cognoscimus intellectum nostrum nisi per hoc, quod intelligimus nos intelligere. Accidit

autem hoc in intellectu possibili, quod non intelligatur per essentiam suam, sed per speciem intelligibilem, ex hoc quod est potentia tantum in ordine intelligibilium. Ostendit enim Philosophus in IX Metaph., quod nihil intelligitur, nisi secundum quod est in actu. Et potest accipi simile in rebus sensibilibus. Nam id quod est in potentia tantum in eis, scil. materia prima, non habet aliquam actionem per essentiam suam, sed solum per formam ei adiunctam ; substantiae autem sensibiles, quae sunt secundum aliquid in actu et secundum aliquid in potentia, secundum seipsas habent aliquam actionem. Similiter intellectus possibilis, qui est tantum in potentia in ordine intelligibilium, non intelligit neque intelligitur nisi per speciem in eo susceptam. Deus autem, qui est purus actus in ordine intelligibilium, et aliae substantiae separatae, quae sunt mediae inter potentiam et actum, per suam essentiam et intelligunt et intelliguntur » (In De an. III 4 lect. 9 n. 724 sqq.). *S. Thomas* : « Nullus autem percipit se intelligere nisi ex hoc quod aliquid intelligit ; quia prius est intelligere aliquid quam intelligere se intelligere. Et ideo pervenit anima ad actualiter percipiendum se esse, per illud quod intelligit vel sentit. Sed quantum ad conitionem habitualem, sic dico, quod anima per essentiam suam se videt, idest ex hoc ipso quod essentia sua est sibi praesens, est potens exire in actum cognitionis sui ipsius ; sicut aliquis ex hoc quod habet alicuius scientiae habitum, ex ipsa praesentia habitus, est potens percipere illa quae subsunt illi habitui » (Ver. 10, 8 ; cf. 8, 6 ; 10, 5 [cit. ad 557] ; Q. d. an. a. 3 ad 4 ; a. 16 ad 8 ; C. g. II 75 ; Licet autem ; 98 : Seipsam ; III 46 ; S. th. I 87, 1 ; 14, 2 ad 1 et 3 ; 89, 2 [cit. ad 567]).

Thesis 50 : *Obiectum formale proprium intellectus humani in statu separationis est ipsius animae separatae substantia propria.*

566. St. qu. Cum anima humana sit immortalis, quae separata a corpore perdurat in esse ut substantia intelligens seu intellectu praedita, determinandum est obiectum formale proprium huius intellectus in statu separationis.

567. Prob. th. Ex subsistentia immateriali animae separatae : Obiectum formale proprium intellectus humani in statu separationis est id, ad quod cognoscendum intellectus in hoc statu ex natura sua immediate est determinatus. Atqui id, ad quod cognoscendum intellectus humanus in statu separationis ex natura sua immediate est determinatus, est ipsius animae separatae substantia. Ergo obiectum formale proprium intellectus humani in statu separationis est ipsius animae separatae substantia propria.

Mai. patet ex definitione obiecti formalis proprii, quod immediate cognoscitur, ita ut cetera omnia per ipsum et mediante ipso cognoscantur.

Prob. min. Anima humana a corpore separata est forma (actus primus) immaterialiter subsistens, habens seipsam immaterialiter ut actus primus. Quare est intelligere sui in actu primo seu intelligere radicale : propter subsistentiam immaterialem expostulat, tamquam proprietatem, intellectum determinatum, vi radicationis in hac substantia, ad hanc ipsam substantiam perfecte intelligendam. Intellec-

tus igitur animae separatae ex natura sua immediate est determinatus ad ipsius animae separatae substantiam cognoscendam (cf. n. 466, 3).

568. Coroll. 1. Ergo anima separata cognoscit se sine specie impressa. Est enim intellectus humanus, utpote egressus e substantia spirituali, ex natura sua determinatus ad iugiter intelligendam animam, ubi primum haec separatione a corpore nacta est subsistentiam immaterialem. Anima separata, cognoscendo se sine specie impressa, producit tamen speciem expressam, quia nullum obiectum creatum est per seipsum intellectum in actu secundo.

2. Ergo anima separata iugiter intelligit seipsam cognitione directa, non reflexa, cognitione non analoga, sed stricte quidditativa, immo comprehensiva. Ratio est, quia substantia animae est obiectum proprium intellectus animae separatae, iugiter et perfecte ei unitum.

3. Ergo anima separata etiam omnia accidentia sua propria directe et quidditative cognoscit utpote pertinentia ad obiectum formale proprium tamquam aliquid eius.

569. Schol. 1. Obiectum formale proprium alicuius intellectus semper est id, quod est in eodem gradu immaterialitatis cum eo. Attamen aliquando contingit inter ea, quae in hoc eodem gradu immaterialitatis inveniuntur, quaedam immediate unibilia cum eo non esse, et tunc ad determinandum obiectum formale proprium non sufficit respicere ad immaterialitatis gradum, sed videndum est, quid sit immediate unitum intelligibiliter huic intellectui. Iam vero hoc obtinet quoad animam separatam. Omnes enim animae separatae inveniuntur in eodem gradu immaterialitatis, et tamen obiectum proprium intellectus animae separatae non constituit nisi propria substantia, propterea quod haec sola immediate unitur intellectui. Aliae vero animae separatae extra obiectum proprium inveniuntur, et si intelliguntur, non intelliguntur nisi mediate.

2. Ex cognitione perfecta suiipsius anima separata naturaliter et sine specie impressa cognoscit *a)* Deum cognitione quidem analoga, sed modo multo perfectiore quam in hac vita; *b)* ceteras res omnes, tum perfectiores (angelos) tum imperfectiores (corpora), sed cognitione confusa et in communi tantum.

3. Anima separata a corpore, sicut retinet intellectum et voluntatem, ita retinet etiam species et habitus omnes residentes in intellectu et voluntate, quas in hac vita acquisivit. Sunt enim haec accidentia spiritualia, quae non destruuntur nisi per contrarii introductionem. Sed sicut animae separatae convenit suiipsius cognitio perfectior, a cognitione sensitiva omnino independens, ita etiam cognitio intellectiva, quae ei convenit mediantibus speciebus in hac vita acquisitis, elevatur per subsistentiam pure spiritualem ad ordinem pure

spiritualem. Intellectus in cognoscendo iam non debet transire per cognitionem sensitivam : Cognitionibus suis in hac vita acquisitis et habitualiter remanentibus utitur independenter a quacumque repraesentatione phantasiae. Speciebus in hac vita acquisitis anima cognoscit etiam singularia, sed ea tantum, quae in hac vita cognovit. At praeterea etiam aliae species ei infunduntur quasi conaturaliter secundarie, quatenus habet desiderium naturale ad quaedam alia cognoscenda, quae ad ipsam pertinent sive circa ea, quae nunc aguntur in mundo, sive circa ceteras animas separatas.

4. Praeter species infusas anima in statu separationis nullas acquirere potest neque abstractione intellectus agentis (cf. n. 571-574), quia caret phantasmatibus, neque influxu efficiente ipsarum rerum. Hoc quoad res corporeas patet, quia corpus non potest agere in spiritum, in potentiam spiritualem seu in intellectum. Sed neque agens spirituale creatum quodcumque in intellectum alterius agere potest transmutando intellectum et producendo speciem. Haec activitas productiva specierum deberet procedere ex intellectu et voluntate. Nam substantiae spirituali, quae essentialiter est intelligere radicale, non possunt convenire vires mere naturaliter agentes. Quare si agens spirituale creatum posset agere in intellectum alterius, hoc supponeret intellectum (ac proinde etiam voluntatem) unius creaturae esse essentialiter subiectum voluntati alterius creaturae, quod repugnat, cum creatura intellectualis immediate ordinetur in Deum.

5. Quamquam cognitio animae separatae simpliciter perfectior est cognitione animae coniunctae, tamen unio animae cum corpore conaturalis est et confert ad bonum animae, quatenus anima mediante hac unione per seipsam species et habitus acquirit (cf. n. 554, 3), ac proinde seipsam perficit et evolvit non tantum speculative, sed etiam practice. Ideo corpus est instrumentum animae (instrumentum coniunctum), ope cuius attingit finem suum ultimum, ut latius in Ethica explicabitur.

570. Obi. 1. Anima, quae cognoscit mediantibus variis speciebus infusis et acquisitis, non habet pro obiecto formali proprio intellectus sui substantiam propriam. Atqui anima separata cognoscit mediantibus variis speciebus infusis et acquisitis. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quae mediantibus his speciebus cognoscit obiectum suum formale proprium, *conc.* ; quae mediantibus his speciebus cognoscit obiectum suum secundarium, *nego. Contradist. min.* Id quod Platonici, Cartesiani, Ontologistae attribuunt homini (cf. n. 551, 5), verificatur de substantia separata. Haec cognoscendo incipit a se et a Deo, cum homo ab extrinseco ut a corporeo incipiat.

2. Atqui hae species sunt id, mediante quo anima separata cognoscit obiectum suum formale proprium. *Probo.* Id, quo primo intellectus animae determinatur ad cognoscendum, est id, quo cognoscit obiectum suum formale proprium. Atqui hae species sunt id, quo primo intellectus animae separatae determinatur ad cognoscendum. Ergo. *Resp. Conc. mai.* ; *dist. min.* : Si intellectus non esset per prius naturaliter determinatus ad cognoscendam substantiam animae, in qua radicatur, *conc.* ; si est per prius naturaliter determinatus . . . ,

nego. Dist. consq. : Si intellectus animae separatae non esset per prius naturaliter determinatus ad cognoscendam substantiam animae, in qua radicatur, *conc.* ; si est naturaliter per prius determinatus . . . , *nego.*

3. Atqui intellectus non est naturaliter determinatus ad cognoscendam substantiam animae, in qua radicatur. *Probo.* Intellectus ita determinatus cognosceret directe et immediate etiam animam, in qua radicatur, coniunctam corpori. Atqui intellectus non cognoscit directe et immediate animam, in qua radicatur, coniunctam corpori. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Cognosceret, si non impediretur ex statu coniunctionis, in quo obiective dependet a cognitione sensitiva, *conc.* ; cognoscit, si impeditur, *nego. Contradist. min.* : Non cognoscit, quia impeditur, *conc.* ; non impeditur, *nego.*

4. Atqui status coniunctionis non impedit intellectum cognoscendo. *Probo.* Status conaturalis non impedit intellectum in cognoscendo. Atqui status coniunctionis est status conaturalis. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Status conaturalis, qui est status termini et perfectae felicitatis, *conc.* ; status conaturalis, qui est status viae, *subdist.* : Nullo modo impedit, *nego* ; impedit cognitionem illam perfectiorem status termini, ita tamen, ut conferat ad cognitionem, quae spectat ad statum viae, *conc. Contradist. min.* : Est status conaturalis termini et perfectae cognitionis, *nego* ; est status conaturalis viae et imperfectae cognitionis, *conc.*

Bibliographia ad 567—569 : *A. M. Steil,* Über die Tätigkeit der vom Leibe getrennten menschlichen Seele vom Standpunkte der Philosophie, PhJ 14 (1901) 28—46.

Ad 567. *S. Thomas* doctrinam de cognitione animae separatae diserte exponit in S. th. I 89. Cf. Q. d. an. a. 15—20. « Omnis substantia vivens habet aliquam operationem vitae in actu ex sua natura quae inest ei semper, licet aliae quandoque insint ei in potentia : sicut animalia semper nutriuntur, licet non semper sentiant. Substantiae autem separatae sunt substantiae viventes , . . . nec habent aliam operationem vitae nisi intelligere. Oportet igitur quod ex sua natura sint sicut intelligentes actu semper » (C. g. II 97). Anima separata « seipsam cognoscet directe suam essentiam intuendo, et non a posteriori, sicut nunc accidit » (Q. d. an. a. 17). « Quamdiu anima corpori est unita, intelligit convertendo se ad phantasmata. Et ideo nec seipsam potest intelligere nisi inquantum fit actu intelligens per speciem a phantasmatibus abstractam : sic enim per actum suum intelligit seipsam, ut supra dictum est. Sed cum fuerit a corpore separata, intelliget non convertendo se ad phantasmata, sed ad ea quae sunt secundum se intelligibilia : unde seipsam per seipsam intelliget. Est autem commune omni substantiae separatae quod intelligat id quod est supra se, et id quod est infra se, per modum suae substantiae. Sic enim intelligitur aliquid secundum quod est in intelligente ; est autem aliquid in altero per modum eius in quo est. Modus autem substantiae animae separatae est infra modum substantiae angelicae, sed est conformis modo aliarum animarum separatarum. Et ideo de aliis animabus separatis perfectam cognitionem habet ; de angelis autem imperfectam et deficientem, loquendo de cognitione naturali animae separatae. De cognitione autem gloriae est alia ratio » (S. th. I 89, 2).

§ 3. De originE idearum

Thesis 51 : *Ad speciem impressam efficiendam, qua intellectus possibilis in actu primo constituatur obiectum formale proprium in statu unionis cum corpore, requiritur duplex causa : intellectus agens et phantasma.*

571. St. qu. 1. Paragrapho praecedenti, de natura intellectus quoad obiectum suum, iam vidimus ad actum intellectionis habendum in statu coniunctionis cum corpore aliquo saltem modo requiri concursum phantasmatis, ex quo intellectus abstrahat obiectum suum. Hic dicimus phantasma per se solum non sufficere ad actum intellectus (formaliter intelligentis seu possibilis) explicandum, sed requiri praeterea aliam causam, intellectum agentem. Et in hac thesi factum statuimus tantum, i. e. requiri utramque causam, nihil determinando de modo causalitatis utriusque causae, de quo thesi sequente. Ceterum alterutram saltem causam concurrere debere per modum causae efficientis patet, quia agitur de specie efficienda; item saltem intellectum agentem concurrere tamquam causam efficientem, eamque principalem, patet ex ipsa ratione, propter quam ponitur.

2. Cum intellectus sit potentia, qua percipimus rerum essentias abstractas, duplicem distinguimus intellectum: *a)* intellectum possibilem, intellectum stricte et proprie dictum, qui est potentia anorganica formaliter intellectiva, quae, per speciem impressam constituta in actu primo, elicit intellectionem; *b)* intellectum agentem, intellectum analogice et improprie dictum, qui est potentia anorganica abstractiva tantum, non formaliter intellectiva, quae producit ex phantasmate in intellectu possibili speciem impressam, qua hic constituatur in actu primo intelligens. Intellectus agens est lux spiritualis quaedam manifestans intellectui possibili in re corporea ens et modos eius seu quidditates. Vocatur agens, quia semper plene est in actu primo, quo opponitur intellectui possibili, qui, ut agere possit, indiget completione actus primi per speciem impressam, qua constituatur plene in actu primo; vocatur lux, quia, sicut lux corporea facit visui apparere corpora, ita haec lux spiritualis (intellectusa gens) facit ex phantasmate relucere intellectui possibili quidditatem; vocatur vis abstractiva, quia producit speciem intelligibilem, abstrahendo eam a conditionibus individuantibus.

3. Ad idearum originem explicandam seu ad explicandum, quomodo intellectus constituatur in actu primo, triplex propositum est systema: *a)* intellectualismus exaggeratus (rationalismus philosophicus), *b)* sensualismus, *c)* intellectualismus aristotelico-scholasticus.

a) Intellectualismus exaggeratus asserit intellectum constitui in actu primo unica causa, eaque suprasensili. Ad hoc systema pertinent: *α)* idealismus, qui ponit intellectum ipsa natura sua per seipsum esse constitutum in actu primo, ac proinde subiectum cogitans ex seipso evolvere cognitiones suas (cf. n. 468, 2); *β)* ontologismus (Malebranche, Gioberti [1801—1852], Ubaghs [1800—1875]), qui docet intellectum humanum immediate coniungi Deo ideisque divinis, et ita, nulla mediante forma creata, constitui in actu primo ad intelligendum; *γ)* doctrina statuens ideas

innatas. Fautores idearum innatarum docent intellectus potentialitatem ideis ab initio inditis quoad actum primum esse actuatam. Differunt inter se, quatenus asserunt ideas innatas esse omnes (Plato, Leibniz) aut quasdam principaliores (Cartesius). Secundum Platonem anima ut purus spiritus praeexsistebat corpori intuebaturque ideas rerum aeternas, unita postea corpori (accidentaliter, ut purus spiritus) in poenam peccati, ex hac primitiva intuitione habet ideas innatas, quarum sub influxu sensationis obscure et imperfecte reminiscitur. Unde discere est reminisci. Leibniz statuit omnes ideas esse innatas, cum res in animam agere non possint, ut ibi ideam producant; omnis enim causalitas transiens secundum Leibniz repugnat. Sensationes sunt occasiones, ut ideae innatae ad actum secundum transeant. Cartesius praeter ideas acquisitas et fictitias admittit ut innatas ideam entis, veritatis, cogitationis (ideam τοῦ cogitare), Dei. *δ)* Ad spiritualismum exaggeratum pertinet etiam traditionalismus (de Bonald [1754—1840], de Lamennais [1782—1854]), secundum quem ideae originem ducunt ex sermone. Deus tradidit protoparentibus cum sermone thesaurum veritatum, quae traditione (ergo sermone) in posteros derivantur. Traditionalistae mitigati (Bonnetty [1798—1879], Ventura [1792—1861]) hanc doctrinam ad claram distinctamque Dei, animae spiritualis obligationumque moralium cognitionem restringunt.

b) Sensualismus (sensismus, empirismus, positivismus) sicut spiritualismus exaggeratus unicam statuit causam, qua intellectus constitueretur in actu primo, sed eam sensilem. Secundum Sensualistas enim non est essentiale discrimen inter obiectum formale intellectus et sensus; ideae universales oriuntur ex associatione et confusione perceptionum singularium (nominalismus). Huc pertinent Sensistae et Empiristae et Positivistae, iam enumerati n. 114, 2. In Psychologia recenti satis adhuc praevalet doctrina sensistica, derivata ex «Psychologia associationis anglica» (Hartley [1705—1757], Priestley [1733—1804]). Wundt doctrinam sensisticam vocat «postulatum psychologicum». Ex recentibus psychologis, qui doctrinae sensisticae contradicunt, nominentur Brentano (1838—1917), Stumpf (1848—1936), Höfler (1853—1922), Witaseck (1870—1915), Bühler (nat. 1879) et alii etiam nisi sunt experimentaliter ostendere in cognitione nostra inesse elementa essentialiter distincta ab omnibus elementis sensilibus.

c) Doctrina aristotelico-scholastica ad idearum originem explicandam duplicem statuit causam: supersensilem alteram (intellectum agentem), alteram sensilem (phantasma).

572. Prob. th. Ex natura intellectionis per abstractionem ex phantasmatibus: Ad speciem impressam efficiendam in intellectu, qui intelligit per abstractionem ex phantasmatibus, requiritur phantasma et intellectus agens. Atqui intellectus humanus in statu unionis intelligit per abstractionem ex phantasmatibus. Ergo ad speciem im-

pressam efficiendam in intellectu humano in statu unionis requiritur phantasma et intellectus agens.

Prob. mai. a) quoad phantasma : ex ipsa dependentia obiectiva intellectus a phantasia ; *b)* quoad intellectum agentem : ex insufficientia solius phantasmatis : Phantasma, utpote singulare materiale concretum, nequit agere in intellectum spiritualem ibique producere speciem universalem abstractam, nisi simul cum eo concurrat potentia ordinis spiritualis, abstractiva speciei universalis, quia nullus effectus excedit virtutem suae causae.

Prob. min. ex eo quod obiectum formale proprium intellectus humani in statu unionis est quidditas abstracta rei materialis per phantasiam repraesentatae.

573. Coroll. 1. Ergo in anima humana sunt duae potentiae intellectivae realiter inter se distinctae, quarum altera habet actionem stricte immanentem, altera transeuntem (vitalem tamen utpote manentem in eodem supposito).

2. Ergo duplex est abstractio (negativa) : altera intellectus agentis, altera intellectus possibilis, quarum haec est actus cognitionis, illa vero non est actus cognitionis, sed aliquid cognitioni praevium, et praerequisitum ad eam (cf. n. 133, 3).

3. Ergo falsi sunt intellectualismus exaggeratus et sensualismus. Idealismum, inquantum negat species impressas, iam refutavimus n. 469 prob. I p., inquantum vero negat transsubiectivum cognitionis nostrae valorem, refutabitur in Metaphysica. Ontologismus est contra testimonium conscientiae ; conscientia testatur nos Deum non intueri, sed nonnisi mediatam Dei cognitionem habere. Futilis est Ontologistarum distinctio inter Dei intuitionem quoad essentiam et quoad ideas divinas aeternas ; hae enim sunt ipsa divina essentia ; ideo si immediate divinas ideas intuemur, immediate intuemur Dei essentiam. Ideae innatae, sicut etiam ontologismus, conaturalem animae ad corpus unionem destruunt. Corpus unitur animae, ut mediante corpore anima operatione sua acquirat ideas. Praeterea tum ontologismus, tum ideae innatae ducunt ad idealismum. Eo tantum, quod acquirimus ideas ex cognitione sensitiva et etiam in usu idearum iam acquisitarum iugiter dependemus a cognitione sensitiva, intellectus noster cognoscit mundum aspectabilem a nobis distinctum, et ideae nostrae manifestantur tamquam modi essendi, qui habent valorem transsubiectivum. Etiam ideae, quibus animam nostram eiusque accidentia spiritualia cognoscimus, ex cognitione sensitiva sunt haustae ; non enim directe, sed reflexe tantum intelligimus animam nostram eiusque affectiones mediantibus conceptibus haustis ex mundo corporeo. Necesse est hi conceptus iam appareant tamquam modi essendi, ut iis in cognitione reflexa uti possimus. Omnino autem alius est modus cognoscendi substantiae spi-

ritualis corpori non coniunctae. Angelus in cognitione sua naturali a seipso incipit. Obiectum ei proprium, immediatum est sua substantia, quam perfecte penetrat. Ex hac cognitione etiam ideas a Deo sibi infusas cognoscit tamquam vere et infallibiliter mundum externum repraesentantes, et his ideis etiam singularia directe attingit. Cognitio vero humana inverso modo procedit ; incipit enim a mundo corporeo externo, mundum autem internum : subiectum cognoscens cum affectionibus suis, non attingit nisi consequenter per reflexionem. Sermo, ut intelligatur, iam supponit ideas in mente eius, ad quem sermo dirigitur ; ergo falsum est principium primum et fundamentale traditionalismi, omnem ideam esse ex sermone. Praeterea ex ideis primitivis per abstractionem acquisitis possunt deduci eae veritates, quas Traditionalistae mitigati haberi asserunt nonnisi traditione et divina revelatione. Traditionalistis concedendum tamen est : *a)* sermonem ad ulteriorem mentis humanae evolutionem morali necessitate requiri ; *b)* quamquam veritates naturales de Deo sine revelatione cognosci possunt, haec tamen necessaria fuit, ut omnes facile, brevi tempore, sine erroris admixtione Deum cognoscerent.

Sensualismus iam refutatus est iis, quae in Logica contra nominalismum diximus ; similiter reicitur iis, quae hic de spiritualitate intellectus et eius obiecto diximus. Obiectum intellectus est ens, essentia : essentia universalis. Ideo conceptibus universalibus cognoscit. Hi conceptus oriri non possunt neque complexione singularium sub uno nomine, neque fusione perceptionum singularium. Hic notetur differentia inter conceptum universalem et schema exortum fusione perceptionum singularium. Ex repetitis apprehensionibus rerum similium (ex associatione) in phantasia efficitur schema quoddam seu imago sensilis, has res repraesentans secundum quaedam delineamenta tantum, in quibus conveniunt, ceteris, in quibus discrepant, oblitteratis. Nam fusione quadam, repetitis repraesentationibus, delineamenta, quae similia sunt, vividiora fiunt ; quae vero sunt dissimilia, pedetentim oblitterantur. Dissimilia enim se destruunt, cum delineamentum simile simili additum hoc confortet. Praeterea phantasia potest celerrime repraesentationes suas variare et mutare. Et ex hoc duplici capite oritur schema seu imago quaedam imperfecta et confusa, quae aliquomodo ratione imperfectionis et confusionis pluribus potest applicari. Attamen omnino differt schema ita effectum a conceptu universali ; nam conceptus repraesentat internam rei quidditatem, eamque abstractam et universalem, schema vero nonnisi externam sensilem apparentiam, et ne qualitatum quidem sensilium naturam attingit, sed repraesentat eas concrete et ut individuas. Schema igitur simpliciter est repraesentatio rei singularis secundum externas seu sensiles qualitates. Ita schema hominis accidentia sensibilia hominis sensibiliter concrete repraesentat : extensionem determinatam, determinate figuratam. Essentiam extensionis, essentiam

extensi seu corporis non attingit ; a fortiori non attingit essentiam corporis viventis et sensitivi seu animalis, et animalis rationalis seu hominis. Schema et conceptus etiam eo differunt, quod schema pedetentim formatur apprehensionibus inter se confusis, conceptus vero subito oritur (cf. tamen n. 551, 4).

574. Schol. 1. Putat Durandus intellectum iam ex hoc, quod phantasma insit in phantasia, esse in actu primo satis determinatum ad intellectionem eliciendam. Contra quam sententiam, quae recentibus multis arridet, nota phantasiam et intellectum esse facultates realiter inter se distinctas ; determinata ergo phantasia per phantasma, intellectus manet indeterminatus. Ceterum phantasma non repraesentat obiectum nisi secundum apparentiam sensilem concretam, individuam, neque potest per se agere in facultatem spiritualem, in intellectum ; requiritur ergo vis abstractiva, quae ex phantasmate in intellectu possibili producat speciem repraesentantem quidditatem universalem (cf. *S. Thom.*, Q. d. an. a. 4 ad 1).

2. Avicenna unum posuit intellectum agentem omnium hominum : intelligentiam separatam. Sed intellectus agens tamquam potentia abstractiva unicuique homini debet esse individualiter proprius ; omnis enim natura perfecta habet ab intrinseco principia necessaria ad specificam operationem. Quare neque potest origo idearum explicari speciali concursu divino. S. Augustinus, Guilelmus Parisiensis († 1249) aliique veteres scholastici originem idearum explicasse videntur speciali concursu divino. Sed concursus divinus potentias et vires conaturales creaturarum supponit easque in actum reducit. Secundum Averrhöem intellectus possibilis ab intellectu agente non distinguitur estque unicus omnibus hominibus communis. Haec doctrina personalitatem individuam hominis destruit, ac proinde testimonio conscientiae immediate ut falsa ostenditur.

3. Illuminatio phantasmatum aliquomodo subicitur voluntati, quatenus voluntas imperio suo ordinat phantasmata ad rite recipiendum influxum intellectus agentis ; requirit enim haec illuminatio phantasmata bene disposita ; ideo in infantibus nequit contingere, quoadusque phantasiae organum seu cerebrum sit satis evolutum. Sed etiam non volentibus nobis sponte contingit, sicut etiam actus phantasiae, quamquam aliquomodo voluntate dirigi possunt, contingunt praeter voluntatis imperium (cf. n. 599 d).

4. Quamquam intellectus agens in anima separata nullum potest habere actum, manet tamen in ea utpote potentia spiritualis, incorruptibilis, tamquam ad integritatem naturae pertinens, et quia anima potest corpori iterum uniri.

575. Obi. 1. (ad mentem idealismi transcendentalis et absoluti, cf. n. 468, 2). Potentia cognoscitiva, quae est obiectum suum per identitatem cum obiecto ipso, non indiget neque phantasmate neque intellectu agente tamquam causis,

quibus in actu primo constituatur. Atqui intellectus, qui dicitur possibilis, est obiectum suum per identitatem cum obiecto ipso. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Per identitatem intentionalem mediante specie impressa ex phantasmate abstracta, *nego* ; per identitatem physicam nulla mediante specie impressa, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui etiam intellectus, qui est obiectum per identitatem intentionalem mediante specie impressa ex phantasmate abstracta, seu intellectus, qui abstrahit ex phantasmatibus, non indiget intellectu agente. *Probo* (ad mentem sensualismi). Intellectus qui cognoscit associatione et confusione phantasmatum, non indiget intellectu agente. Atqui intellectus, qui abstrahit ex phantasmatibus, cognoscit associatione et confusione phantasmatum. Ergo. *Resp. Conc. mai.* ; *dist. min.* : Qui abstrahit praecisione obiectiva, *nego* ; qui abstraheret praecisione mere formali, qua non potest produci species impressa, *conc. Dist. consq.* (cf. n. 119—121).

3. Atqui neque ad abstractionem per praecisionem obiectivam requiritur intellectus agens. *Probo* (ad mentem Durandi). Abstractio haec fieri potest sola praesentia phantasmatis convenientis in phantasia. Atqui ad abstractionem, quae ita fieri potest, non requiritur intellectus agens. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Si sola praesentia phantasmatis sufficeret ad determinandum intellectum, *conc.* ; si non sufficit, *nego. Conc. min.* ; *dist. consq.*

4. Atqui solum phantasma sufficit ad intellectum determinandum. *Probo.* Phantasma, elevatum ex radicatione phantasiae in anima rationali, sufficit ad determinandum intellectum. Atqui phantasma hominis est elevatum ex radicatione phantasiae in anima rationali. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Phantasma, quod esset elevatum ex radicatione phantasiae in anima rationali, prout praebet gradum rationalem, *conc.* (haec « phantasia » esset potentia spiritualis, quae in intellectum agere posset) ; phantasma, elevatum ex radicatione phantasiae in anima rationali, prout praebet gradum sensitivum, *subdist.* : Sufficit tamquam instrumentum intellectus agentis ad determinandum intellectum possibilem, *conc.* ; sufficit se solo tamquam quasi-instrumentum animae rationalis ad determinandum intellectum possibilem, *nego. Contradist. min.* : Phantasma est elevatum ex radicatione phantasiae in anima rationali, prout praebet gradum rationalem, *nego* ; ex radicatione phantasiae in anima rationali, prout praebet gradum sensitivum, *subdist.* : Phantasma est elevatum, ut possit tamquam instrumentum intellectus agentis determinare intellectum possibilem, *conc.* (quia anima rationalis, etiam ut rationalis, est forma corporis, ideo gradui sensitivo praebet potentiam quasi-oboedientialem, in virtute cuius possit deservire in ordine ad operationem intellectivam, cf. n. 578, 3) ; phantasma est elevatum, ut tamquam quasi-instrumentum animae rationalis se solo possit determinare intellectum possibilem (sicut potentiae agendi substantiae sunt quasi-instrumenta substantiae, cf. n. 430, 3), *nego.* Vires inferioris ordinis semper praemovendae sunt, ut producant effectum altioris ordinis ; ita phantasma praemovendum est, ut producat effectum spiritualem ; contra, si effectus producendus est eiusdem ordinis, potentia operativa non indiget praemotione, sed ipsa seipsa est quasi-instrumentum superioris agentis. Ita potentia agendi substantiae corporeae non per virtutem superadditam, sed seipsa est instrumentum substantiae et capax ad producendum substantiam corpoream.

Bibliographia ad 571—574 : *G. de Craene*, L'Abstraction intellectuelle, RNSPh 8 (1901) 243—257. *P. Dunne*, The Production of the Intelligible Species, NSch 27 (1953) 176—197. *R. Kazubowski*, Der wirkende Verstand nach Aristoteles und Thomas von Aquin, MThSt 7 (1920) 193—219. *C. Piat*, La vie de l'intelligence, RNSPh 17 (1910) 165—180 ; 336—351. *K. Rahner*, Geist in Welt. Zur Metaphysik der endlichen Er-

kenntnis bei Thomas von Aquin, München 1957. *E. Rolfes*, Was ist der wirkende Verstand bei Aristoteles?, PhJ 31 (1918) 43—51. *Id.*, Noch einmal: Was ist der wirkende Verstand bei Aristoteles?, l. c. 335—340.

Ad 572. *Aristoteles:* Ἐπεὶ δ' ὥσπερ ἐν ἁπάσῃ τῇ φύσει ἐστί τι τὸ μὲν ὕλη ἑκάστῳ γένει (τοῦτο δὲ ὁ πάντα δυνάμει ἐκεῖνα), ἕτερον δὲ τὸ αἴτιον καὶ ποιητικόν, τῷ ποιεῖν πάντα, . . . ἀνάγκη καὶ ἐν τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν ταύτας τὰς διαφοράς. καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς τῷ πάντα γίγνεσθαι, ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν, ὡς ἕξις τις, οἷον τὸ φῶς . . . καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς καὶ ἀπαθὴς καὶ ἀμιγής, τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργείᾳ (De an. III 5, 430 a 10). Ad quae *S. Thomas:* « Determinat [Philosophus] de intellectu agente . . . Primo ostendit esse intellectum agentem praeter possibilem, et ratione et exemplo . . . Ponit . . . talem rationem. In omni natura, quae est quandoque in potentia et quandoque in actu, oportet ponere aliquid, quod est sicut materia in unoquoque genere, quod scil. est in potentia ad omnia, quae sunt illius generis. Et aliud, quod est sicut causa agens et factivum, quod ita se habet in faciendo omnia, sicut ars ad materiam. Sed anima secundum partem intellectivam quandoque est in potentia et quandoque in actu. Necesse est igitur in anima intellectiva esse has differentias : ut scil. unus sit intellectus, in quo possint omnia intelligibilia fieri, et hic est intellectus possibilis, de quo supra dictum est : et alius intellectus sit ad hoc, quod possit omnia intelligibilia facere in actu ; qui vocatur intellectus agens, et est "sicut habitus quidam"... Habitus sic accipitur secundum quod Philosophus frequenter consuevit nominare omnem formam et naturam habitum, prout habitus distinguitur contra privationem et potentiam ; ut sic per hoc, quod nominat eum habitum, distinguat eum ab intellectu possibili, qui est potentia. Unde dicit, quod est habitus, ut lumen, quod quodammodo facit colores exsistentes in potentia, esse actu colores. Et dicit "quodammodo", quia supra ostensum est, quod color secundum seipsum est visibilis . . . Intellectus autem agens facit ipsa intelligibilia esse in actu, quae prius erant in potentia, per hoc, quod abstrahit ea a materia ; sic enim sunt intelligibilia in actu, ut dictum est. Inducitur autem Aristoteles ad ponendum intellectum agentem ad excludendum opinionem Platonis, qui posuit quidditates rerum sensibilium esse a materia separatas et intelligibiles actu ; unde non erat ei necessarium ponere intellectum agentem. Sed quia Aristoteles ponit, quod quidditates rerum sensibilium sunt in materia et non intelligibiles actu, oportuit, quod poneret aliquem intellectum, qui abstraheret a materia et sic faceret eas intelligibiles actu. Deinde cum dicit "et hic", ponit quattuor conditiones intellectus agentis, quarum prima est quod sit separabilis, secunda quod sit impassibilis, tertia quod sit immixtus, idest non compositus ex naturis corporalibus neque adiunctus organo corporali ; . . . quarta autem conditio est, quod sit in actu secundum suam substantiam, in quo differt ab intellectu possibili, qui est in potentia secundum suam substantiam, sed est in actu solum secundum speciem susceptam. Et ad has quattuor conditiones probandas inducit unam rationem, quae talis est. Agens est honorabilius patiente, et principium activum, materia ; sed intellectus agens comparatur ad possibilem sicut agens ad materiam, sicut iam dictum est ; ergo intellectus agens est nobilior possibili. Sed intellectus possibilis est separatus, impassibilis et immixtus, ut supra ostensum est : ergo multo magis intellectus agens. Ex hoc etiam patet, quod sit secundum substantiam suam in actu, quia agens est nobilius patiente nonnisi secundum quod est in actu. Occasione autem horum, quae hic dicuntur, quidam posuerunt intellectum agentem substantiam separatam, et quod differt secundum substantiam ab intellectu possibili. Illud autem non videtur esse verum. Non enim homo esset a natura sufficienter institutus, si non haberet in seipso principia, quibus posset operationem complere, quae est intelligere : quae quidem compleri non

potest, nisi per intellectum possibilem, et per intellectum agentem. Unde perfectio humanae naturae requirit, quod utrumque eorum sit aliquid in homine. Videmus etiam, quod, sicut operatio intellectus possibilis, quae est recipere intelligibilia, attribuitur homini, ita et operatio intellectus agentis, quae est abstrahere intelligibilia. Hoc autem non posset, nisi principium formale huius actionis esset ei secundum esse coniunctum . . . Est etiam praedicta positio contra Aristotelis intentionem, qui expresse dixit has differentias duas, scil. intellectum agentem et intellectum possibilem, esse in anima : ex quo expresse dat intelligere, quod sint partes animae vel potentiae, et non aliquae substantiae separatae . . . Intellectus possibilis [est] in potentia ad intelligibilia sicut indeterminatum ad determinatum. Nam intellectus possibilis non habet determinate naturam alicuius rerum sensibilium. Unumquodque autem intelligibile est aliqua determinata natura alicuius speciei. Unde supra dixit, quod intellectus possibilis comparatur ad intelligibilia, sicut tabula ad determinatas picturas. Quantum autem ad hoc, intellectus agens non est in actu. Si enim intellectus agens haberet in se determinationem omnium intelligibilium, non indigeret intellectus possibilis phantasmatibus, sed per solum intellectum agentem reduceretur in actum omnium intelligibilium, et sic non compararetur ad intelligibilia ut faciens ad factum, ut Philosophus hic dicit, sed ut exsistens ipsa intelligibilia. Comparatur igitur ut actus respectu intelligibilium, inquantum est quaedam virtus immaterialis activa, potens alia similia sibi facere, scil. immaterialia. Et per hunc modum, ea quae sunt intelligibilia in potentia, facit intelligibilia in actu. Sic enim et lumen facit colores in actu, non quod ipsum habeat in se determinationem omnium colorum. Huiusmodi autem virtus activa est quaedam participatio luminis intellectualis a substantiis separatis. Et ideo Philosophus dicit, quod est sicut habitus vel lumen : quod non competeret dici de eo, si esset substantia separata » (In De an. III lect. 10 n. 728 sqq. ; cf. Spir. creat. a. 9—10 ; Q. d. an. a. 4—5 ; C. g. II 76—78 ; Qdl. VIII a. 3 ; Comp. 83 ; S. th. I 79, 3—5 ; 54, 4). Cf. text. cit. ad 552 sq. 577.

Thesis 52 : *In specie intelligibili impressa efficienda phantasma est vera causa efficiens, non coordinata, sed subordinata intellectui agenti seu instrumentum eius, non per assistentiam mere extrinsecam, sed per intrinsecam elevationem seu praemotionem, recipiendo in se vim spiritualem per modum entis vialis ; est tamen instrumentum sui generis, quatenus virtute propria non operatur aliquid dispositive in intellectu possibili, sed modificat tantum, per modum causae materialis, actionem intellectus agentis.*

576. St. qu. 1. Cum thesi antecedente iam probaverimus intellectum agentem esse causam efficientem principalem in producenda specie, nec quisquam hoc neget eorum, qui ad explicandam originem idearum ponunt intellectum agentem, hic restat solum, ut probemus etiam phantasma esse causam efficientem, et ut modum huius causalitatis determinemus.

2. Causa efficiens distinguitur in principalem et instrumentalem. Dicitur principalis per ordinem ad hoc, quod producit in virtute propria, instrumentalis vero per ordinem ad id, quod producit non in virtute propria sed in virtute principalis agen-

tis seu ut mota a causa principali. Ita penicillus est instrumentum pictoris, a quo movetur.

In schola thomistica instrumentalem actionem explicant per praemotionem physicam. Dicunt enim instrumentum, ut instrumentaliter agat, praemovendum esse a principali agente. Praemotio autem instrumenti est intrinseca elevatio eius, quae in eo consistit, quod recipit in se prioritate naturae, antequam instrumentaliter agat, entitatem vialem, fluentem, quae est participatio transiens virtutis principalis agentis. Ideo Thomistae eo distinguunt instrumentum a causa principali, quod haec habeat in se permanenter virtutem, qua operatur, illud vero transeunter tantum, et in ipso instrumento distinguunt virtutem propriam, quae permanenter inest, qua instrumentum operatur actionem propriam, et virtutem instrumentalem, quae transeunter tantum communicatur cum eo, qua operatur actionem instrumentalem. Habet enim omne instrumentum duplicem actionem: alteram instrumentalem, quam operatur non virtute propria, sed virtute principalis agentis; alteram propriam, quam operatur virtute propria, sicut cultello convenit dure et acute tangere virtute propria, ratione duritiae et aciei suae, scindere autem et artificiose scindere, quatenus movetur ab artifice; non perficit autem instrumentalem actionem, nisi exercendo propriam: acute tangendo et resistendo scindit et artificiose scindit. Ideo instrumentum omne dicitur aliquid operari dispositive ad actionem principalis agentis virtute propria.

Attamen inter instrumenta haec est differentia: quaedam propria virtute operantur aliquid dispositive ad actionem principalis agentis in materia (subiecto), circa quam operatur agens principale seu habent actionem propriam ex se proportionatam materiae principalis agentis — ita cultellus dure et acute tangendo lignum aliquid operatur dispositive ad actionem artificis in ligno, quod tangit et contra quod resistentiam exercet; alia vero instrumenta modificant tantum actionem principalis agentis seu habent actionem propriam ex se non proportionatam materiae principalis agentis, quae tamen ipsi proportionatur sub influxu principalis agentis.

Agens principale dicitur educere determinatam vim instrumentariam ex potentia instrumenti, quatenus instrumentum est in potentia ad recipiendum influxum causae principalis, i. e. quatenus materiam seu potentiam determinatam praebet, ex qua determinata educatur vis instrumentaria ad effectum determinatum attingendum.

3. Suárez docet solum intellectum agentem esse causam efficientem in producenda specie impressa, phantasma vero concurrere materialiter tantum, quia praebet veluti materiam et exemplar intellectui agenti, ad instar cuius hic efficiat speciem impressam, quatenus, exsistente phantasmate in phantasia, intellectus agens, propter radicationem in eadem anima, in qua radicatur phantasia, determinatur

ad speciem efficiendam respondentem phantasmati[1]. Communiter tamen scholastici tenent phantasma efficienter concurrere in specie producenda. Inter eos, qui efficientem causalitatem tribuunt phantasmati, aliqui, ut Mastrius, censent phantasma esse causam efficientem partialem, non subordinatam, sed coordinatam intellectui agenti; plurimi tamen illud ut causam subordinatam seu instrumentalem habent; qui iterum dividuntur, quatenus instrumentum explicant per assistentiam mere extrinsecam, aut per intrinsecam elevationem seu praemotionem. Haec est sententia plurimorum Thomistarum, illa Caietani multorumque extra scholam thomisticam. Thomistae igitur dicunt ab intellectu agente derivari in phantasma motum seu vim fluentem spiritualem, qua intrinsecus elevatur et proportionatur effectui producendo. Caietanus vero[2], reiecta entitate viali intermedia, docet phantasma obiective tantum illuminari, i. e. per assistentiam mere extrinsecam, non formaliter per intrinsecam elevationem, atque vi huius illuminationis mere obiectivae ex phantasmate resplendere intellectui possibili quidditatem universalem. Alii simili modo, assistentia mere extrinseca, dicunt elevari phantasma ad producendam speciem.

4. Thesi igitur nostra Thomistarum sententiam statuendo, dicimus phantasma esse instrumentum intellectus agentis in producenda specie, ac proinde elevari intrinsecus seu praemoveri ab eo. Cum tamen duplex sit genus instrumentorum, dicimus phantasma esse instrumentum, quod modificat tantum per modum causae materialis actionem intellectus agentis, praebendo ei materiam seu potentiam determinatam, ex qua determinatam educat vim instrumentariam ad speciem determinatam producendam. Influxus enim intellectus agentis in diversa phantasmata ex se idem est: aequaliter enim, sicut lux, omnia illuminat, sed ipsum phantasma, secundum quod aliud est seu aliud repraesentat, aliam affert potentialitatem, ac proinde alia educitur vis instrumentaria. Haec vis instrumentaria seu vis fluens spiritualis est alia et alia, secundum quod phantasma est aliud seu aliud repraesentat, et etiam in phantasmate eiusdem rei alia et alia est secundum diversa accidentia sensibilia, quae phantasma repraesentat. Phantasma enim est imago sensibilis concreta, quae concrete implicite continet essentiam corpoream universalem, sicut accidentibus sensibilibus repraesentatur. Haec igitur essentia ex phantasmate ab intellectu agente elaboratur seu abstrahitur mediante illa entitate viali, prout respondet diversis accidentibus in phantasmate repraesentatis — pedetentim quidem perfectius perfectiusque secundum diversos eius gradus: primo ut ens, quatenus diversa accidentia inter se nondum distinguuntur, postea ut ens extensum, i. e. ut corpus; deinde ut sub-

---

[1] De anima l. 4, c. 2

[2] In Summam theol. I 79, 3, [illegible] 1

iectum, diversis qualitatibus mutabilibus affectum, quod sub mutatione qualitatum permanet, i. e. ut substantia etc. Ita substantia corporea quidditative cognoscitur, et etiam accidentia eius quidditative cognoscuntur et a substantia distinguuntur. Phantasma igitur, sicut quodcumque aliud instrumentum, exercendo actionem propriam in virtute propria, exercet actionem instrumentariam virtute transeunter secum communicata : Virtute propriase nsiliter repraesentat ; sensiliter autem repraesentando producit speciem, inquantum praemovetur ab intellectu agente.

577. Prob. th. I p. : In specie efficienda phantasma est vera causa efficiens. Ex natura speciei producendae : In intellectu possibili est effectus determinatus (species impressa determinata), causatus ab intellectu agente et phantasmate. Atqui hic effectus ut determinatus (determinatio effectus) debet habere causam vere efficientem, quae non potest esse intellectus agens. Ergo phantasma est vera causa efficiens.

Mai. probata est thesi praecedente.

Min. patet ex eo, quod influxus intellectus agentis ex se est indeterminatus et semper idem, cum species varientur. Si vero dicatur cum Suarezio ad determinandum intellectum agentem sufficere radicationem eius in eadem anima, in qua radicatur phantasma, valent ea, quae th. praec. schol. 1 contra Durandum diximus.

Prob. th. II p. : Phantasma est causa efficiens, non coordinata, sed subordinata intellectui agenti seu instrumentum eius. Ex natura phantasmatis et speciei producendae : Nulla res corporea potest esse causa principalis, etsi partialis, in producenda specie intelligibili impressa. Atqui quod est causa efficiens, non subordinata, sed coordinata intellectui agenti, est causa principalis. Ergo phantasma est instrumentum tantum intellectus agentis.

Prob. mai. Etiam res corporea, quae in producenda specie est causa partialis principalis, debet virtute propria agere in intellectum et producere determinationem spiritualem universalem, quod repugnat.

Prob. th. III p. : Phantasma est instrumentum, non per assistentiam mere extrinsecam, sed per intrinsecam elevationem seu praemotionem, recipiendo in se vim spiritualem per modum entis vialis. Ex natura instrumenti : Phantasma producit effectum perfectiorem seu speciem spiritualem universalem. Atqui non potest producere hunc effectum, nisi intrinsecus elevetur virtute spirituali per modum entis vialis in se recepta ; secus deesset proportio inter effectum et causam. Ergo phantasma est instrumentum per intrinsecam elevationem seu praemotionem. Extrinseca vero assistentia, cum nihil tribuat instrumento, non sufficit ad illud proportionandum effectui.

Prob. IV p.: Phantasma est instrumentum sui generis, quod virtute propria non operatur aliquid dispositive in intellectu possibili, sed modificat tantum, per modum causae materialis, actionem intellectus agentis. Ex defectu proportionis inter phantasma et intellectum possibilem: Instrumentum quodcumque in virtute propria aliquid operatur dispositive ad actionem principalis agentis aut operando in virtute propria in materia, circa quam operatur agens principale, aut modificando tantum actionem principalis agentis per modum causae materialis. Atqui phantasma in virtute propria non operatur aliquid dispositive ad actionem principalis agentis seu intellectus agentis in materia, circa quam hic operatur, seu in intellectu possibili. Ergo modificat tantum actionem intellectus agentis per modum causae materialis.

Min. eo probatur, quod phantasma propria virtute, utpote corporea, non potest agere in potentiam spiritualem seu intellectum possibilem.

578. Coroll. 1. Ergo phantasma, quamquam est instrumentum intellectus agentis, tamen est etiam materia: non materia proxima, sed remota intellectus agentis, qui ex phantasmate tamquam ex materia remota producit entitatem vialem, ope cuius producit seu educit ex intellectu possibili tamquam ex materia proxima speciem impressam.

2. Ergo in doctrina thomistica influxus phantasmatis in intellectum agentem explicatur intacto principio causalitatis et omnino conaturaliter ad compositum humanum. Phantasma modificat actionem intellectus agentis, non per modum causae efficientis (tunc enim iterum ageret phantasma corporeum virtute propria in spiritum), sed mere per modum causae materialis, modificando influxum causalem efficientem intellectus agentis, educentis ex phantasmate vim instrumentariam spiritualem. Conaturaliter vero ad compositum humanum ponitur intellectum agentem posse educere virtutem vialem, spiritualem ex phantasmate, quamquam hoc est res corporea. Nam corpus humanum subicitur animae spirituali et phantasia intellectui: propter quam subiectionem in phantasmate est, respectu intellectus agentis, quaedam potentia oboedientialis, ex qua educitur spiritualis virtus instrumentaria. Quamquam enim accidens spirituale inhaerere non potest corpori perfecte seu informare corpus (non enim habet, sicut anima spiritualis, eminenter gradum corporeitatis, in virtute cuius posset fieri corporeum seu forma corporis, sed est virtus gradus spiritualis, ut spiritualis est), potest tamen inhaerere imperfecte, i. e. transeunter et per modum motus tamquam virtus spiritualis instrumentaria; ita enim non fit corporis, ut corpus est, sed ut oboedit spiritui et movetur ab eo.

3. Ergo anima rationalis, ut rationalis, est forma corporis. Gradus rationalis communicatur cum corpore, et speciatim cum gradu sen-

sitivo, non ut dependens a corpore, sed ut praebens corpori et speciatim phantasiae potentiam illam oboedientialem, in virtute cuius deservit in ordine ad operationem intellectivam.

579. Schol. Cum species impressa in intellectu possibili producatur ab intellectu agente mediante phantasmate illuminato (i. e. praemoto), intellectus possibilis ab intellectu agente mediante phantasmate reducitur in plenum actum primum seu recipit completionem actus primi. Sed etiam in actum secundum reducitur intellectus possibilis ab intellectu agente mediante phantasmate illuminato, et hoc tum in prima specierum acquisitione, tum etiam in usu specierum iam acquisitarum. Intellectus enim in hac vita etiam in usu specierum iam acquisitarum dependet a phantasia (cf. n. 553, 3). Et dependet quidem a phantasmate illuminato. Nisi enim phantasma esset illuminatum, non posset agere in intellectum possibilem. Intellectus autem agens in actum reducitur aut a voluntate humana, cum voluntarie abstrahimus ideas et voluntarie utimur ideis iam acquisitis : ille actus voluntatis, qui agit in phantasiam ad phantasmata formanda et rite ordinanda (cf. n. 574, 3), applicat etiam intellectum agentem phantasmatibus ita formatis et ordinatis ; aut immediate a solo Deo, et hoc certo in primo actu, cum incipit vita nostra intellectiva et volitiva, cum omnino primo incipit (cum evigilat usus rationis), aut cum incipit post interruptionem (cf. n. 595, 2). Sed praeterea intellectus agens semper in actum reducitur a solo Deo, cum nobis non volentibus incidit aliqua cogitatio. Phantasma enim, etsi praesens est, nequit in intellectum agentem agere, sed intellectus agens reducitur in actum a Deo, qui proinde mediante intellectu agente et phantasmate praesente in actum reducit etiam intellectum possibilem. Haec praemotio divina omnino conaturalis est, quia fit secundum phantasmata praesentia, cum phantasmata adsunt convenienter disposita ad recipiendum influxum intellectus agentis. Phantasia autem in actum reducitur sensatione sensuum externorum et associatione imaginum et voluntate humana.

580. Obj. 1. Phantasma, quod in efficienda specie impressa est causa materialis et exemplaris, non est causa efficiens instrumentalis intellectus agentis. Atqui phantasma in efficienda specie est causa materialis et exemplaris. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quod est causa materialis et exemplaris proprie et est tantummodo causa materialis et exemplaris, *conc.* ; quod est causa materialis et exemplaris analogice et est etiam causa instrumentalis, *nego. Contradist. min.* ; Est causa materialis et exemplaris proprie, *nego* ; est causa materialis et exemplaris analogice, *subdist.* : Est tantummodo causa materialis et exemplaris, *nego* ; est etiam et praeprimis causa efficiens instrumentalis, *conc.*

2. Atqui phantasma non est causa instrumentalis. *Probo.* Phantasma, quod modificat tantum per modum causae materialis actionem intellectus agentis, non est causa instrumentalis. Atqui, ut dicitur in thesi, phantasma modificat tantum actionem intellectus agentis. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Phantasma, quod modificat actionem intellectus agentis, quatenus ex sola praesentia phantasma-

tis determinaretur intellectus agens ad producendum se solo speciem impressam in intellectu possibili, *conc.*; quod modificat, quatenus intellectui agenti praebet materiam, ex qua hic educat determinatam vim instrumentalem, qua intrinsecus elevetur phantasma et constituatur instrumentum intellectus agentis, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui phantasma non praebet intellectui agenti materiam, ex qua educat hanc vim instrumentalem. *Probo.* Subiectum corporeum non potest praebere materiam, ex qua intellectus agens educat accidens spirituale. Atqui phantasma est corporeum, et haec vis instrumentalis est spiritualis. Ergo. *Resp. Dist. mai.*: Subiectum corporeum non specialiter subiectum intellectui agenti, *conc.*; subiectum specialiter subiectum ita, ut praebeat potentiam oboedientialem specialem in ordine ad intellectionem, *subdist.*: Hoc subiectum non potest praebere materiam, ex qua intellectus agens educat accidens spirituale, quod habet esse permanens, *conc.*; non potest praebere materiam, ex qua educat accidens spirituale, quod habet esse fluens per modum motus, *nego. Contradist. min.*: Phantasma est corporeum, est tamen specialiter subiectum intellectui, et haec vis instrumentaria est accidens fluens, *conc.*; phantasma non est specialiter subiectum intellectui, et haec virtus instrumentaria est accidens permanens, *nego*.

Bibliographia ad 576—579: *J. Gredt*, Das Bindeglied zwischen dem geistigen und sinnlichen Erkennen, DThFrib 15 (1937) 243—254.

Ad 577. *S. Thomas*: « Quamvis intellectus possibilis sit simpliciter nobilior quam phantasma, tamen secundum quid nihil prohibet phantasma nobilius esse, inquantum scil. phantasma est actu similitudo talis rei, quod intellectui possibili non convenit nisi in potentia; et sic quodammodo potest agere in intellectum possibilem virtute luminis intellectus agentis, sicut et color potest agere in visum virtute luminis corporalis » (Ver. 10, 6 ad 8). « In receptione qua intellectus possibilis species rerum accipit a phantasmatibus, se habent phantasmata ut agens instrumentale et secundarium, intellectus vero agens ut agens principale et primum; et ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundum conditionem utriusque et non secundum conditionem alterius tantum; et ideo intellectus possibilis recipit formas ut intelligibiles actu, ex virtute intellectus agentis, sed ut similitudines determinatarum rerum ex cognitione phantasmatum » (l. c. ad 7; cf. S. th. I 85, 1 ad 3 et 4). « Quia phantasmata non sufficiunt immutare intellectum possibilem, sed oportet quod fiant intelligibilia actu per intellectum agentem, non potest dici quod sensibilis cognitio sit totalis et perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo est materia causae » (S. th. I 84, 6). « Virtus illa [suscepta in materiali elemento] neque potest dici corporea neque incorporea, proprie loquendo; corporeum enim et incorporeum sunt differentiae entis completi; sed proprie dicitur virtus ad incorporeum, sicut motus magis dicitur ad ens quam ens » (Ver. 27, 4 ad 5; cf. Q. d. an. a. 5 ad 6).

§ 4. De ordine evolutionis intellectus humani

Thesis 53: *Intellectus humanus in statu unionis triplici operatione: simplici apprehensione, iudicio, ratiocinio, ita se evolvit, ut prius cognoscat magis universale quam minus universale.*

581. St. qu. 1. Postquam probavimus intellectum nostrum simplici apprehensione seu abstractione quidditatis universalis ex phan-

tasmatibus ideas suas primitivas acquirere, huius thesis prima parte statuimus simplici apprehensioni adiungi iudicium et ratiocinium seu compositionem et divisionem immediatam et mediatam ad plenam intellectus nostri evolutionem perficiendam. Altera parte thesis dicimus totam hanc evolutionem secundum triplicem mentis operationem ita fieri, ut intellectus procedat a magis universalibus ad minus universalia in prima idearum acquisitione, sive hae sint primitivae seu simplici apprehensione acquisitae, sive derivatae compositione et divisione.

2. Duplex est cognitio universalis : imperfecta (confusa) et perfecta (distincta, scientifica) ; haec habetur, cum in ipso universali eius inferiora (genera subalterna, species) cognoscuntur, illa, cum non cognoscuntur ; haec est, cum ex universali declarantur et elucidantur inferiora, ut cum ab ente (quasi-genus analogum) in Metaphysica inferiora entis declarantur : est cognitio perfectissima, illa contra est imperfectissima. De hac imperfecta universalis cognitione loquimur, ut patet, cum alia supponat cognitionem particularium.

582. Prob. th. I p. : Intellectus humanus in statu unionis triplici operatione se evolvit. Ex notione evolutionis intellectualis : Intellectus, qui pedetentim se evolvit, per actus cognitionis imperfectos perveniens ad actum perfectum, triplici operatione : simplici apprehensione, iudicio, ratiocinio, procedit. Atqui intellectus noster pedetentim se evolvit. Ergo simplici apprehensione, iudicio, ratiocinio, procedit.

Min. patet ex experientia.

Prob. mai. Intellectus, qui pedetentim se evolvit, non statim attingit quidquid rei convenire potest ; ideo postea sive immediate, sive mediate videt aliquid convenire aut non convenire, quod ante non videbat, quod proinde componit cum re aut dividit ab illa sive immediate, sive mediate, i. e. incipit a simplici apprehensione tamquam ab actu imperfecto, et mediante compositione seu iudicio et ratiocinio ulteriorem perfectionem nanciscitur.

Prob. II p. : Intellectus ita se evolvit, ut prius cognoscat magis universale quam minus universale. Ex eo quod magis universale est minus perfectum : Intellectus, qui pedetentim se evolvit, transeundo per imperfectum ad perfectum, prius cognoscit magis universale quam minus universale ; nam cognitio universalioris est cognitio imperfecta respectu cognitionis minus universalis ; perfectius enim est cognoscere hominem, quam cognoscere animal, neque potest cognosci homo, quin cognitum sit animal. Atqui intellectus humanus pedetentim se evolvit. Ergo prius cognoscit magis universale quam minus universale.

583. Coroll. 1. Ergo procedere componendo et dividendo imperfectionem arguit in intellectu neque convenit intellectui perfecto (Dei,

angeli), qui simplici apprehensione perfecta statim totam rem penetrat (cf. n. 26 ; 52).

2. Ergo in statu coniunctionis cum corpore primum cognitum intellectus nostri est ens. Ens primum cognitum non est cognitum ut analogum, licet ipsa ratio entis cognita sit analoga, sicut etiam ratio generica animalis primitus cognita non est cognita ut genus ; ita enim etiam inferiora eius essent cognoscenda et tangenda. Ens igitur primum cognitum est ens quidditati sensili concretum seu sensilis quidditas sub ratione abstractissima et generalissima entis, quocum unum idemque reapse est, differens solummodo ratione.

3. Ergo hic fere est ordo evolutionis intellectus nostri :

a) In genere : α) Simplici apprehensione mens acquirit conceptus primitivos, qui simplici abstractione et sponte acquiruntur, ubi primum rationis usus evigilavit, i. e. ubi primum cerebrum satis evolutum est, et actus phantasiae satis perfecti sunt ad rite recipiendum influxum abstractivum intellectus agentis ; β) iudicando (componendo et dividendo) et ratiocinando deinde ex his conceptibus primitivis alii conceptus derivati oriuntur. Totus autem hic processus ita contingit, ut semper progrediamur ab universalioribus ad minus universalia.

b) In specie : Ad hunc evolutionis processum specialius declarandum principii instar est istud : Intellectus noster cognoscit per abstractionem a sensili cognitione seu a phantasmatibus, i. e. attingit sub luce intellectus agentis quidditates, prout ex sensibilibus accidentibus attingibiles sunt. Quare ideae immediatae (conceptus primitivi) sunt eae, quae simplici apprehensione immediate a phantasmate, i. e. ex accidentibus sensibilibus abstrahi possunt. Exinde patet hic ordo cognitionis intellectivae :

Intellectus 1. cognoscit accidentia sensibilia, at nondum distinguit ea, neque a substantia neque inter se, sed attingit ut ens seu prout sunt aliquid, i. e. cognoscit quidditatem corpoream ut ens. 2. A conceptu entis pertingit ad conceptum non-entis, quia negationes intelliguntur per oppositionem ad affirmationes, et ad conceptum divisionis seu distinctionis, quia ens distinguit seu dividit a non-ente (principium contradictionis : ens non est non-ens), quam divisionem negat in ente, quo oritur conceptus unius ; conceptum unius sequitur conceptus multitudinis (cf. n. 624, 1). 3. Intellectus intelligit ens determinatius ut tale ; ut extensum (ut corpus), et ut extensum diversis qualitatibus praeditum : ut durum, ut album, ut dulce, et ita iam distinguit diversas qualitates inter se, sed nondum distinguit eas a substantia, i. e. cognoscit substantiam corpoream seu quidditatem corpoream ut aliquid extensum, durum, album, etc. 4. Conceptus cognitionis et appetitionis reflexione acquiritur, quo acquiritur etiam conceptus veri et boni, quod est ens ut cognitum et ut volitum. 5. Distinguit intellectus inter substantiam et accidens (modum essendi per se et modum

essendi per accidens), distinguendo subiectum permanens ab affectionibus transeuntibus. 6. Acquirit conceptum necessitatis et contingentiae, et inductionis ope (cf. n. 77) distinguit accidentia necessario convenientia (propria, proprietates) et accidentia non necessario convenientia. 7. Ex accidentibus necessariis incipit pedetentim magis determinate cognoscere substantiam seu quidditatem substantialem. Cognitio igitur haec determinatior substantiae non immediate, sed ratiocinio ex proprietatibus acquiritur. Hoc ratiocinium eo facilius intellectus instituit, quod quodammodo anticipatum est conexionibus per experientiam sensitivam iam acquisitis. Quia ex proprietatibus determinatius cognoscimus substantias, ex proprietatibus etiam eas definimus. Et sic etiam definitionem metaphysicam substantiarum conficimus mediante prima proprietate, inquantum eam sumimus radicaliter, non pro accidente proprio, sed pro radice substantiali, ex qua dimanat. Ita definimus hominem : animal rationale, i. e. substantiam, quae est radix intellectus rationalis. Vulgaris tamen homo ad has definitiones metaphysicas non pertingit, quia non pertingit ad conceptus distinctos, quibus essentia metaphysica a proprietatibus distingueretur, sed ad conceptus confusos tantum. Ad distinguendum essentiam metaphysicam ab aliis attributis necessariis (a propriis) non tantum inductione, sed etiam deductione opus est, sicut generatim deductione opus est ad scientificam evolutionem intellectus nostri, ut patet ex omnibus, quae in hac Philosophia naturali disputata sunt.

584. Obi. *Contra I p.* 1. Intellectus, qui simplici apprehensione statim apprehendit obiectum suum formale, non se evolvit triplici operatione. Atqui intellectus humanus simplici apprehensione statim apprehendit obiectum suum formale seu quidditatem rei corporeae. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Qui simplici apprehensione perfecta statim apprehendit obiectum perfecte, *conc.* ; qui simplici apprehensione imperfecta apprehendit imperfecte, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui simplex apprehensio intellectus humani necessario est perfecta. *Probo.* Simplex apprehensio, quae contingit sub influxu intellectus agentis manifestantis quidditative id, quod phantasma sensiliter repraesentat, necessario est perfecta. Atqui simplex apprehensio intellectus humani contingit sub influxu intellectus agentis, manifestantis quidditative id, quod phantasma sensiliter repraesentat. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Manifestantis statim totam quidditatem secundum omnes gradus, *conc.* ; manifestantis pedetentim unum gradum post alium et etiam unum gradum ex alio, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui intellectus agens necessario statim manifestat totam quidditatem secundum omnes gradus. *Probo.* Agens naturale, nullo modo impeditum et applicatum passo, necessario statim producit totum effectum suum. Atqui intellectus agens est agens naturale, nullo modo impeditum et applicatum passo, i. e. phantasmati et intellectui possibili, ad producendum effectum, qui est manifestatio quidditatis. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Si naturaliter statim unico actu potest vincere totam potentialitatem passi, *conc.* ; si non potest, *nego. Contradist. min.* Natura intellectus nostri (intellectus possibilis) ea est, ut naturaliter eius potentialitas non nisi pedetentim possit vinci.

Contra II p. 1. Quod est difficilius cognitum, non est prius cognitum ab intellectu. Atqui magis universale est difficilius cognitum. Ergo. *Resp. Conc. mai.* : *dist. min.* : Cognitione distincta, *conc.* ; cognitione confusa, *nego. Dist. consq.*

2. Atqui magis universale nullo modo est prius cognitum ab intellectu. *Probo*. Hoc primo cognoscitur ab intellectu, quod primo ei offertur ad cognoscendum. Atqui quod primo offertur intellectui ad cognoscendum, non est magis universale, sed quidditas specialissima. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quod offertur tamquam cognoscibile actu, *conc.* ; tamquam cognoscibile in potentia, *nego*. *Contradist. min.* : Primo offertur quidditas specialissima tamquam cognoscibilis actu, *nego* ; primo offertur quidditas specialissima tamquam cognoscibilis in potentia, cognoscenda actu per abstractionem, incipiendo a gradibus universalioribus, *conc.*

Bibliographia ad 581—583 : *A. Hayen*, Le «Cercle» de la connaissance humaine selon saint Thomas d'Aquin, RNSPh 54 (1956) 561—604. *J. Le Rohellec*, Utrum iuxta S. Thomae doctrinam essentiae rerum sensibilium statim in simplici apprehensione percipiantur, Xenia thomistica I, Romae 1925, 285—302.

Ad 582 sq. *Aristoteles* : Ἔστι δ' ἡμῖν πρῶτον δῆλα . . . τὰ συγκεχυμένα μᾶλλον . . . διὸ ἐκ τῶν καθόλου ἐπὶ τὰ καθ' ἕκαστα δεῖ προϊέναι (Phys. I 1, 184 a 21). Ad quae *S. Thomas* : « Sciendum est, quod confusa hic dicuntur, quae continent in se aliqua in potentia et indistincte. Et quia cognoscere aliquid indistincte, medium est inter puram potentiam et actum perfectum, ideo, dum intellectus noster procedit de potentia in actum, primo occurrit sibi confusum quam distinctum ; sed tunc est scientia completa in actu, quando pervenitur per resolutionem ad distinctam cognitionem principiorum et elementorum. Et haec est ratio quare confusa sunt primo nobis nota quam distincta. Quod autem universalia sint confusa, manifestum est, quia universalia continent in se suas species in potentia, et qui scit aliquid in universali, scit illud indistincte ; tunc autem distinguitur eius cognitio, quando unumquodque eorum quae continentur potentia in universali, actu cognoscitur : qui enim scit animal, non scit rationale, nisi in potentia. Prius autem est scire aliquid in potentia quam in actu : secundum igitur hunc ordinem addiscendi, quo procedimus de potentia in actum, prius quoad nos est scire animal quam hominem. Contrarium autem huic videtur esse, quod dicit Philosophus in I Poster., quod singularia sunt magis nota quoad nos, universalia vero naturae sive simpliciter. Sed intelligendum est, quod ibi accipit singularia ipsa individua sensibilia, quae sunt magis nota quoad nos, quia sensus cognitio, quae est singularium, praecedit cognitionem intellectus in nobis, quae est universalium. Sed quia cognitio intellectualis est perfectior, universalia autem sunt intelligibilia in actu, non autem singularia (cum sint materialia) ; simpliciter et secundum naturam universalia sunt notiora. Hic autem singularia dicit non ipsa individua, sed species, quae sunt notiores secundum naturam, utpote perfectiores exsistentes et distinctam cognitionem habentes : genera vero sunt prius nota quoad nos, utpote habentia cognitionem in potentia et confusam » (In Phys. I lect. 1 n. 7 sq. ; cf. In Anal. post. I lect. 4 n. 16). « Cognitio singularium est prior quoad nos quam cognitio universalium, sicut cognitio sensitiva quam cognitio intellectiva. Sed tam secundum sensum quam secundum intellectum, cognitio magis communis est prior quam cognitio minus communis » (S. th. I 85, 3 ; cf. a. 5 ; 58, 3 et 4 ; 79, 8 ; Ver. 11, 1). « Primum quod in intellectum cadit est ens ; secundum vero est negatio entis. Ex his autem duobus sequitur tertio intellectus divisionis . . . Quarto autem sequitur in intellectu ratio unius . . . Quinto autem sequitur intellectus multitudinis » (Pot. 9, 7 ad 15 ; cf. In Met. IV lect. 3 n. 566 ; lect. 6 n. 605 [cit. ad 646] ; X lect. 4 n. 1998 ; I Dist. 24, 1 a. 3 ad 2 ; S. th. I 11, 2 ad 4).

Quaestio II: *De voluntate.*

§ 1. De natura voluntatis

Thesis 54: *Voluntas humana est potentia anorganica, quae simpliciter est imperfectior intellectu, secundum quid tamen est perfectior, quatenus versatur circa res nobiliores anima ipsa, et secundum quid imperfectior, quatenus versatur circa res materiales.*

585. St. qu. 1. Nomine voluntatis intelligimus appetitum elicitum, qui sequitur cognitionem intellectivam, cuius proinde obiectum est bonum intellectu apprehensum (cf. n. 505-508). Obiectum formale commune voluntatis (obiectum formale voluntatis ut est voluntas) est ratio boni in genere, sicut obiectum formale commune intellectus est ratio entis. Quare sicut intellectus ita voluntas est species atoma (cf. n. 548, 1); ipsa enim ratio boni ab intellectu voluntati proposita omnem bonitatem complectitur. Obiectum formale proprium voluntatis humanae in statu coniunctionis cum corpore est illud, quod in hoc statu appetitur immediate, quod proinde appetitur ratione suiipsius tamquam finis ultimus. Cum autem voluntas sequatur cognitionem intellectus, et cum intellectus noster in statu praesenti prius cognoscat universale quam particulare, ideo illud, quod a voluntate in hoc statu appetitur immediate, est bonum universale abstractum seu bonum in communi (finis ultimus in communi, beatitudo in communi). Alia vero omnia appetuntur, vel quia sunt obiectum beatitudinis in communi: finis ultimus in particulari, vel quia ad beatitudinem conducunt: media. Finis ultimus in particulari vocari potest obiectum formale minus stricte eo sensu, quod semel electus est norma activitatis hanc electionem consequentis. Media autem non sunt nisi obiectum secundarium. Quamvis itaque obiectum, quod appetit voluntas, semper sit singulare prout exsistens (cf. n. 506 arg. II), saepe etiam singulare materiale concretum, ratio tamen formalis, sub qua appetitur, est bonum in communi, quod est ratio universalis intelligibilis tantum, non sensibilis. Contra appetitus sensitivus fertur in rem sub ratione boni singularis materialis concreti. Obiectum formale proprium voluntatis in statu separationis a corpore est finis ultimus in particulari, qui immediate appetitur et per consequens est obiectum formale proprium stricte. Primum enim cognitum ab intellectu animae separatae est ipsa haec anima cum suis dispositionibus et inclinationibus (cf. n. 566-569); statim itaque percipitur finis ultimus in particulari ipsi respondens, qui immediate a voluntate appetitur.

2. Potentia potest dupliciter considerari: *a)* simpliciter, i. e. secundum essentiam suam; quia vero potentia specificatur ab obiecto

suo formali, haec consideratio coincidit cum ea, qua consideratur potentia secundum obiectum suum formale; *b)* secundum quid, i. e. non secundum essentiam, sed per ordinem ad alterum, quatenus in re aliqua ipsum obiectum formale potentiae perfectius vel imperfectius esse obtinet (per accidens).

3. Cum I pars thesis (Voluntas est potentia anorganica) non negetur nisi a Materialistis, II pars (Voluntas est simpliciter imperfectior intellectu) etiam inter scholasticos controvertitur. Assentiunt Aristoteles, S. Thomas, Suárez, Vázquez, negat Scotus.

586. Prob. th. I p.: Voluntas est potentia anorganica. Ex habitudine voluntatis ad intellectum: Voluntas, quae sequitur potentiam anorganicam tamquam accidens proprium eius, etiam ipsa est anorganica. Atqui voluntas sequitur potentiam anorganicam, intellectum. Ergo etiam ipsa est anorganica.

Mai. patet: Quod intrinsecus inest in subiecto spirituali, etiam ipsum spirituale seu anorganicum sit oportet.

Min. ex eo probatur, quod voluntas est appetitus intellectivus seu inclinatio et ponderatio intellectus.

Idem etiam ex eo probatur, quod obiectum formale voluntatis supergreditur ordinem corporeum (cf. n. 543).

Prob. II p.: Voluntas simpliciter est imperfectior intellectu. *Arg. I.* Ex obiecto formali utriusque: Potentia, cuius obiectum formale est imperfectius, etiam ipsa simpliciter imperfectior est altera potentia, cuius obiectum est perfectius. Atqui obiectum formale voluntatis est imperfectius obiecto formali intellectus. Ergo voluntas simpliciter est imperfectior intellectu.

Mai. patet ex eo quod obiectum formale seu ratio illa, quam formaliter attingit potentia, specificat potentiam. Potentia igitur, quae habet perfectius obiectum, perfectiorem naturam sortitur.

Prob. min. Obiectum formale intellectus est ratio entis seu quidditas (cf. n. 546-549), obiectum vero formale voluntatis est bonum intellectu apprehensum, ut patet ex st. qu. et ex dictis de appetitu in genere (n. 505-508). Materialiter quidem ens et bonum convertuntur: omne ens qua tale est perfectum et bonum et appetibile (cf. n. 639); tamen aliquid dicitur ens absolute, bonum autem dicitur relative, quatenus scilicet est conveniens appetenti. Absolutum autem est perfectius quam relativum, et relativum absolutum supponit atque in eo fundatur. Perfectius est itaque ens, quod sumitur absolute, quam bonum, quod sumitur relative.

Arg. II. Ex modo operandi utriusque: Terminus intellectus seu obiectum eius est in intellectu, intellectus enim fit intellectum; terminus voluntatis est in re ipsa (cf. n. 506). Atqui perfectior est potentia, cuius terminus seu obiectum perficiens eam in ipsa est. Ergo intellectus est perfectior voluntate.

Arg. III. Ex eo quod intellectus est ratio voluntatis : Secunda proprietas, quae sequitur primam dependetque ab ea, est imperfectior prima proprietate, quae immediate ex animae essentia egreditur; quod enim dependet, semper est imperfectius. Atqui voluntas est secunda proprietas, quae sequitur intellectum dependetque ab eo tamquam inclinatio eius. Ergo voluntas est imperfectior intellectu.

Prob. III p.: Voluntas secundum quid est perfectior et secundum quid imperfectior. Ex modo operandi utriusque : Potentia dicitur perfectior vel imperfectior secundum quid, quae est perfectior vel imperfectior per ordinem ad aliquam rem, quatenus in hac re obiectum eius formale perfectius vel imperfectius esse obtinet. Atqui per ordinem ad res omnino spirituales, quae sunt perfectiores anima, obiectum formale voluntatis perfectius esse obtinet obiecto formali intellectus ; contra, per ordinem ad res materiales obiectum formale voluntatis imperfectius esse obtinet obiecto formali intellectus. Ergo voluntas secundum quid est perfectior et secundum quid imperfectior intellectu.

Mai. patet ex st. qu.

Prob. min. Obiectum voluntatis est obiectum, prout est in rerum natura, obiectum intellectus est obiectum, prout est intentionaliter in intellectu. Atqui per ordinem ad res omnino spirituales obiectum, prout est in rerum natura, est perfectius obiecto, prout est in intellectu (in intellectu enim deprimitur et non invenitur nisi analogice) ; contra, per ordinem ad res materiales obiectum, prout est in intellectu, perfectius est; in intellectu enim perfectius esse obtinet, quatenus intelligitur specie excedente, spirituali.

587. Coroll. Ergo in hac vita melior est amor Dei quam cognitio eius, in altera vero vita, cum cognoscitur Deus sicut est in se, melior est cognitio quam amor, ac proinde in illa, non in hoc consistit essentia beatitudinis perfectae.

588. Obi. *Contra I p.* Potentia, quae fertur in obiectum corporeum singulare, concretum, prout est in rerum natura exsistens, non est potentia anorganica. Atqui voluntas est potentia, quae fertur in obiectum corporeum concretum, prout in rerum natura exsistens. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Potentia, quae fertur in obiectum corporeum tantum, et quae in hoc obiectum fertur sub ratione concreta materiali, *conc.* ; potentia, quae, praeterquam quod fertur in obiectum corporeum, fertur etiam in obiecta incorporea, et quae in obiectum corporeum fertur sub ratione universali boni communis, *nego. Contradist. min.*

Contra II p. Potentia, cuius obiectum formale est bonum, non est imperfectior quam potentia, cuius obiectum formale est verum. Atqui voluntas est potentia, cuius obiectum formale est bonum, i. e. ens conveniens appetitui ; intellectus est potentia, cuius obiectum formale est verum, i. e. ens ut conveniens intellectui. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Potentia, cuius obiectum formale est ens, quod dicitur verum, prout est cognitum, seu prout refertur ad intellectum, *nego* ; potentia, quae ferretur in rem sub respectu huius relationis, *conc. Contradist. min.*

Contra III p. 1. Potentia, quae fertur in perfectius obiectum, non est imperfectior, sed perfectior potentia. Atqui voluntas, quae fertur in res spirituales, prout sunt in rerum natura, fertur in perfectius obiectum quam intellectus, qui has res non cognoscit nisi analogice. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Potentia, cuius obiectum formale est perfectius, *conc.* ; potentia, quae aliquando fertur in rem aliquam, in qua eius obiectum formale obtinet perfectius esse, quam obtinet, prout est obiectum alterius potentiae, *subdist.* : Haec potentia est perfectior simpliciter, *nego* ; secundum quid, *conc. Contradist. min.* : Voluntas habet perfectius obiectum formale, *nego* ; eius obiectum formale in aliqua re obtinet per accidens perfectius esse, *conc. Dist. consq.* (secundum subdistinctionem maioris).

2. Atqui obiectum formale voluntatis est perfectius. *Probo.* Bonum, quod est in rerum natura, est perfectius obiectum quam ens, quod est intentionaliter in intellectu. Atqui obiectum formale voluntatis est bonum, quod est in rerum natura ; obiectum formale intellectus est ens, quod est intentionaliter in intellectu. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quam ens, quod est intentionaliter in intellectu tantum, i. e. ens rationis, *conc.* ; quam ens, quod est intentionaliter in intellectu ita, ut idem sit etiam in rerum natura, *nego. Contradist. min.*

Bibliographia ad 585—587 : *I. Docks,* Note sur la procession de terme dans la volonté, Ag 15 (1938) 419—428. *M. J. Farrelles,* Existence, the Intellect, and the Will, NSch 29 (1955) 145—174.

Ad 586. *S. Thomas* : « Si voluntas consideretur secundum id in quo radicatur, sic, cum voluntas non habeat organum corporale, sicut nec intellectus, voluntas et intellectus ad eandem partem animae reducentur. Et sic quandoque intellectus vel ratio sumitur prout includit in se utrumque ; et sic dicitur quod voluntas est in ratione [Ἐν τῷ λογιστικῷ γὰρ ἡ βούλησις : Arist., De an. III 9, 432 b 5 ; cf. Top. IV 5, 126 a 13] » (Ver. 22, 10 ad 2 ; cf. In De an. III lect. 14 n. 802). « Voluntas non directe ab intelligentia procedit ; sed ab essentia animae, praesupposita intelligentia » (Ver. 22, 11 ad 6; cf. a. 4; 25, 1 ; S. th. I 80, 2). *Aristoteles* : Κρατίστη τε γὰρ αὕτη [ἡ θεωρητική] ἐστιν ἡ ἐνέργεια· καὶ γὰρ ὁ νοῦς τῶν ἐν ἡμῖν (Eth. X 7, 1177 a 19). « Optima autem operatio inter operationes humanas est speculatio veritatis . . . , sicut et intellectus est optimum eorum, quae in nobis sunt » (*S. Thom.* in l. c. lect. 10 n. 2087 ; cf. Eth. I 6; S. Thom. lect. 10 n. 126). *S. Thomas* : « Si intellectus et voluntas considerentur secundum se, sic intellectus eminentior invenitur. Et hoc apparet ex comparatione obiectorum ad invicem. Obiectum enim intellectus est simplicius et magis absolutum quam obiectum voluntatis : nam obiectum intellectus est ipsa ratio boni appetibilis ; bonum autem appetibile, cuius ratio est in intellectu, est obiectum voluntatis . . . Secundum quid autem, et per comparationem ad alterum, voluntas invenitur interdum altior intellectu ; ex eo scil. quod obiectum voluntatis in altiori re invenitur quam obiectum intellectus . . . Ut enim supra [16, 1 ; 27, 4] dictum est, actio intellectus consistit in hoc quod ratio rei intellectae est in intelligente ; actus vero voluntatis perficitur in hoc quod voluntas inclinatur ad ipsam rem, prout in se est . . . Quando igitur res in qua est bonum, est nobilior ipsa anima, in qua est ratio intellecta ; per comparationem ad talem rem, voluntas est altior intellectu. Quando vero res in qua est bonum, est infra animam ; tunc etiam per comparationem ad talem rem, intellectus est altior voluntate. Unde melior est amor Dei quam cognitio » (S. th. I 82, 3; cf. ib. a. 4 ad 1; II-II 23, 6 ad 1; Ver. 22, 11 ; Car. 3 ad 12—13 ; C. g. III 26).

§ 2. De voluntatis proprietate seu de libero arbitrio

Thesis 55: *Voluntas humana praedita est libertate arbitrii.*

589. St. qu. 1. Libertas latissime sumpta idem est quod indifferentia seu negatio determinationis ad unum. Haec indifferentia potest esse aut passiva: indifferentia ad plura suscipienda, aut activa: ad plura agenda. Indifferentia activa est aut immunitas a determinatione ab extrinseco, a coactione, aut immunitas, non tantum a determinatione ab extrinseco, sed etiam ab intrinseco. Illa est libertas a coactione seu libertas spontaneitatis, haec est libertas arbitrii seu libertas stricte dicta. Libertas a coactione seu libertas spontaneitatis invenitur in omni activitate ab intrinseco profecta et deest tantum in iis, quae fiunt coactione seu impulsu ab extrinseco contra naturalem inclinationem. Ad libertatem autem arbitrii requiritur, ut activitas procedat ab intrinseco cum indeterminatione ab intrinseco. Libertas igitur arbitrii definitur: activa indifferentia ab intrinseco, vi cuius voluntas potestatem dominativam super actum suum habet, ita ut, positis omnibus requisitis ad agendum, possit agere et non agere.

Libertati opponitur necessitas, quae est determinatio ad unum. Necessitas dividitur sicut libertas. Ideo est aut passiva aut activa, aut coactionis aut naturae. Necessitas coactionis est determinatio ad unum ab extrinseco proveniens et contra inclinationem eius, quod cogitur, ut cum quis contranitens ex alta turri proicitur. Necessitas naturae est determinatio ad unum ab intrinseco, ab ipsa natura profecta. Exemplum sit arbor, quae, se evolvendo, naturaliter tendit in altum.

2. Obiectum formale voluntatis est bonum intellectu apprehensum. Sed bonum potest apprehendi aut speculative aut practice. Aliquid apprehenditur ut bonum speculative, cum iudicatur bonum sub aliquo respectu, in abstracto, i. e. abstrahendo a dispositionibus seu circumstantiis, in quibus subiectum cognoscens invenitur; aliquid apprehenditur ut bonum practice (ultimo iudicio practico), cum iudicatur ut hic et nunc bonum sub illo respectu, qui in concreto nunc obtinet, seu non abstrahendo a circumstantiis, in quibus subiectum cognoscens invenitur.

3. Libertatem arbitrii negant Deterministae et Fatalistae. Deterministae asserunt voluntatem determinari ad unum aut psychologice: a fortiori motivo, a maiori bono (determinismus psychologicus); aut physiologice: quatenus concipiunt actum voluntatis humanae ut actum reflexum (determinismus physiologicus); aut mechanice: quatenus voluntatem concipiunt ut vim corpoream legibus mechanicis subiectam (determinismus mechanicus).

Determinismus theologicus docet voluntatem a D e o ad unum determinari (Calvinus [1509—1564]). Materialistae et Pantheistae, qui omnia, quae in mundo fiunt, concipiunt tamquam evolutionem necessariam absoluti, vi systematis ad determinismum abducuntur.

590. Prob. th. *Arg. I.* Ex evidenti conscientiae testimonio: Unusquisque sibi conscius est se multa ita velle, ut possit etiam non velle et alia velle.

Arg. II. Ex absurdis sequelis: Si negatur libertas, destruitur omnis moralitas, omne meritum et demeritum.

Arg. III. Ex cognitione practica indifferenti: Appetitus elicitus, qui sequitur cognitionem practicam indifferentem circa bonitatem rei, est libertate praeditus. Atqui voluntas est appetitus elicitus, qui sequitur cognitionem practicam indifferentem circa bonitatem rei. Ergo voluntas est libertate praedita.

Prob. mai. Appetitus, qui sequitur principium indifferens, etiam ipse indifferens est seu libertate praeditus; effectus enim participat naturam causae seu principii sui. Atqui appetitus, qui sequitur cognitionem practicam indifferentem circa bonitatem rei, sequitur principium indifferens; principium enim, unde fluit appetitio, est cognitio boni, qua appetens cognoscit aliquid bonum seu conveniens sibi, et quidem cognitio non speculativa, sed practica; quia hoc tantum cognoscitur vere tamquam conveniens appetenti, quod cognoscitur tamquam conveniens pro hoc casu, in quo appetens invenitur.

Prob. min. Voluntas est appetitus, qui sequitur cognitionem practicam intellectivam, quae versatur circa bona limitata aut limitate seu inadaequate proposita; nam quidquid intellectus noster in hac vita cognoscit, est limitatum aut limitate seu inadaequate propositum; Deum enim, qui solus est bonum infinitum, non cognoscit nisi inadaequate seu analogice. Atqui cognitio haec est indifferens. Quodcumque enim bonum limitatum, quatenus limitatum, deficit a bonitate; quatenus vero deficit a bonitate, habet rationem non-boni seu mali; ideo, quodcumque bonum limitatum ab intellectu apprehendi potest ut malum, quatenus consideratur sub eo respectu, sub quo deficit a bono. Ita actus virtutis deficit a bono, est malum, quatenus interdum est contra inclinationem appetitus sensitivi, seu quatenus non habet illud bonum, quod est quietare appetitum sensitivum. Et ipse Deus, quamquam in se est bonum illimitatum seu omne bonum, et consequenter etiam hominis bonum perfectum, apprehenditur tamen limitate seu inadaequate ad modum boni limitati, quia analogice tantum cognoscitur. Ideo potest apprehendi secundum aliquem respectum ut malus, e. g. ut vetans aliquam voluptatem.

591. Coroll. 1. Ergo radix p r o x i m a libertatis nostrae est indifferentia iudicii practici rationis. Radix autem r e m o t a est co-

gnitio intellectualis ; nam iudicium practicum ideo a natura non est determinatum ad unum, quia intellectus apprehendit ipsam beatitudinem seu rationem boni universalis ; conferendo enim rationem boni universalis cum singulis bonis particularibus, invenit singulis aliquid boni inesse, sed non totam rationem boni. Solus autem intellectus potest apprehendere universale. Cognitio intellectualis et indifferentia iudicii inde exorta sunt radix intrinseca libertatis ; radix extrinseca et effectiva est efficacia divinae voluntatis. De hac radice extrinseca dicendum est in Metaphysica.

2. Ergo voluntas habet dominium super ipsum hoc ultimum iudicium practicum intellectus. Ultimo enim iudicio practico voluntas applicatur obiecto suo proprio, qua applicatione facta, naturali necessitate exit in actum ; omnis enim potentia ipsa natura sua ordinatur ad obiectum suum proprium, et cum applicatur huic obiecto, naturali necessitate exit in actum (exemplo sit acidum, quod applicatur metallo). Obiectum autem proprium voluntatis est bonum intellectu apprehensum. Apprehensione igitur boni, et quidem apprehensione practica, voluntas applicatur obiecto suo, quia practica tantum apprehensione appetens hic et nunc sibi applicat bonum, assumens illud tamquam de facto conveniens sibi. Quare ut salvetur libertas voluntatis, necesse omnino est, ut voluntas habeat dominium activum super applicationem hanc ad obiectum suum proprium, seu super ultimum iudicium practicum, a quo efficaciter et necessario movetur. Ultimum igitur hoc iudicium practicum, passive indifferens seu mobile, fundat in voluntate activam indifferentiam, in qua formaliter consistit libertas arbitrii, quae proinde est activa indifferentia voluntatis non tantum super actum, ad quem movet, sed etiam super formam seu iudicium, a quo movetur seu determinatur. Voluntas enim determinatur ultimo iudicio practico, super quod potestatem habet ; ideo libere determinatur, seu potius seipsam determinat, eligendo h o c iudicium tamquam ultimum. Voluntas enim movet intellectum ad deliberandum, i. e. ad rem secundum diversos respectus considerandam, et ipsa est causa, ob quam intellectus ultimo manet in tali determinato iudicio ; posset enim ad alia intellectum divertere. Voluntas igitur e l e c t i o n e s u a , determinando ultimum iudicium practicum, libere dat sibi ipsa formam sui actus, et ita libere determinatam volitionem elicit. Si vero propter inadvertentiam aut propter phantasiae perturbationem (ex vehementi passione aut alia ex causa, ut ex morbo) a deliberando impeditur intellectus, ita ut non possit sub diversis respectibus rem considerare, per accidens eius iudicium est ad unum determinatum, et volitio exinde dimanans libertate caret.

3. Ergo recte a S. Thoma potentia liberi arbitrii dicitur potentia « liberi iudicii de agendo vel non agendo » (Ver. 24, 1). Haec potentia active in sola voluntate inest tamquam potestas dominativa super hoc iudicium ; ideo sola voluntas est per se et formaliter libera, in

intellectu autem inest passive; ideo intellectus est liber radicaliter tamquam radix libertatis et participative tamquam mobilis et motus a voluntate libera.

4. Ergo neque appetitus sensitivus per se liber est; sequitur enim cognitionem sensitivam, quae propter materialitatem suam est determinata ad unum. In homine tamen appetitus sensitivus est liber participative, quatenus movetur, sicut ipsa cognitio sensitiva, a voluntate libera.

5. Ergo falsi sunt determinismus et fatalismus. Determinismo psychologico concedimus voluntatem determinari ad unum ab eo, quod intellectus ultimo iudicio practico ut maius bonum apprehendit; contendimus tamen hoc ipsum iudicium esse sub potestate voluntatis positum et posse iudicari ut minus bonum id, quod revera maius est et speculative ita esse cognoscitur. Determinismus physiologicus et mechanicus expressis verbis materialismum profitentur, quatenus voluntatem ut vim materialem concipiunt. Contra fatalismum theologicum satis sit hic notare Deum non corrumpere rerum naturas, sed omnibus conaturaliter providere, ac proinde movere quidem voluntates liberas, sed salva libertate. De modo vero, quo contingat haec motio divina, quae est radix extrinseca libertatis creatae, dicendum erit in Metaphysica.

592. Obi. 1. Voluntas, quae ultimo iudicio practico determinatur, non est praedita libertate arbitrii. Atqui voluntas humana ultimo iudicio practico determinatur. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Ultimo iudicio practico, super quod potestatem habet, *nego;* super quod non habet potestatem, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui voluntas non habet potestatem super ultimum iudicium practicum. *Probo.* Potentia, quae non habet dominium super cognitionem intellectus, non habet potestatem super ultimum iudicium practicum. Atqui voluntas est potentia, quae non habet dominium super cognitionem intellectus. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quae non habet dominium super cognitionem practicam passive mobilem seu indifferentem, *conc.;* quae non habet dominium super cognitionem speculativam tantum, *nego. Contradist. min.*

3. Atqui haec cognitio practica non est indifferens. *Probo.* Non est indifferens cognitio, quae est evidens. Atqui haec cognitio practica est evidens. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quae est evidens ita, ut pendeat a dispositione mobili subiecti cognoscentis, *nego;* ita, ut non pendeat . . . , *conc. Contradist. min.* Stante aliqua dispositione subiecti, in virtute cuius subiectum acquirit propensionem ad aliquod obiectum (ut stante aliqua passione), subiectum cognoscens non potest non iudicare hoc obiectum esse sibi conveniens seu bonum. Hoc iudicium est verum, et evidenter verum, stante illa dispositione seu passione, quae tamen removeri potuisset. Subiectum evidenter videt se trahi illa propensione, qua sinit se trahi (cf. n. 593, 2).

4. Atqui haec dispositio non est mobilis a voluntate. *Probo.* Non est mobile a voluntate, quod oritur ex associatione repraesentationum secundum legem contiguitatis (cf. n. 499, 2). Atqui haec dispositio oritur ex associatione repraesentationum secundum legem contiguitatis, in virtute cuius phantasma excitat phantasma, phantasma autem movet passionem. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Ex associatione repraesentationum, in quas voluntas agere non potest, *conc.;*

in quas voluntas agere potest reiciendo unam, retinendo alteram, *nego. Contradist. min.*

Difficultates, quae contra libertatem arbitrii fiunt ex laeso principio causalitatis, solvuntur ex iis, quae in Metaphysica dicenda sunt de praemotione divina voluntatis creatae.

Bibliographia ad 589—591: *M. Browne*, De intellectu et voluntate in electione, Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aq. 2 (1935) 32—45. *J. D. Folghera*, Le libre arbitre, RTh 11 (1903/04) 155—173. *R. Garrigou-Lagrange*, Intellectualisme et liberté chez saint Thomas, RSPhTh 1 (1907) 649—673; 2 (1908) 5—32. *M. M. Gorce*, Le jugement pratique, RSPhTh 17 (1928) 5—37. *L. Haas*, Moralstatistik und Willensfreiheit, JPhTh 13 (1899) 16—40. *J. Lottin*, La statistique morale et le déterminisme, RNSPh 15 (1908) 48—89. *J. Maritain*, L'idée thomiste de la liberté, RTh 45 (1939) 440—459. *D. Mercier*, La liberté d'indifférence et le déterminisme psychologique, RNSPh 11 (1904) 5—17. *P. de Munnynck*, La démonstration métaphysique du Libre Arbitre, RNSPh 20 (1913) 13—38; 181—204; 279—293. *E. A. Pace*, The Problem of Freedom, NSch 10 (1936) 207—225. *P. Siwek*, La conscience de la liberté, Gr 16 (1935) 53—73. *G. Smith*, Intelligence and Liberty, NSch 15 (1941) 1—17. *M. Wittmann*, Die Lehre von der Willensfreiheit bei Thomas von Aquin, PhJ 40 (1927) 170—188; 285—305. *H. Woroniecki*, Pour une bonne définition de la liberté humaine, Ag 14 (1937) 146—153. *B. Xiberta*, De constitutione actuum humanorum, Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aq. 2 (1935) 153—161.

Ad 590 sq. *Aristoteles*: Ἐφ' ἡμῖν δὴ καὶ ἡ ἀρετή, ὁμοίως δὲ καὶ ἡ κακία ... Τοῦ γὰρ ἐπιμεληθῆναι κύριοι: Eth. III 7, 1113 b 6 1114 a 3. Ad quae *S. Thomas*: « Postquam Philosophus determinavit de voluntario, electione et consilio et voluntate quae sunt principia humanorum actuum, hic applicat . . . ad vitia et virtutes . . . Primo . . . ostendit esse virtutem in nobis, idest in potestate nostra. Secundo ostendit idem de malitia . . . Dicit ergo primo, quod cum voluntas sit de fine, consilium autem et electio de his quae sunt ad finem, consequens est quod operationes quae sunt . . . circa ea quae sunt ad finem, sint secundum electionem, et per consequens sint voluntariae. Quia electio voluntarium est . . . Sed operationes virtutum sunt circa praedicta. Ergo sunt voluntariae. Et per consequens oportet quod etiam ipsa virtus sit voluntaria et in nobis, idest in potestate nostra exsistens. Deinde . . . ostendit idem de malitia, idest de vitio virtuti opposito. Et dicit, quod simili ratione malitia est voluntaria et in nobis exsistens, quia operationes eius sunt tales . . . Deinde . . . confirmat veritatem. Et primo per rationem . . . Dicit . . . , quod si hoc, scil. consilium et electio et voluntas, quae sunt in potestate nostra, videntur esse principia operationum nostrarum, et non possumus reducere operationes nostras in alia principia nisi in ea, quae sunt in potestate nostra, scil. consilium et electionem; consequens est, quod operationes nostrae bonae vel malae sint in potestate nostra. Quia illa, quorum principia sunt in potestate nostra, et ipsa sunt in potestate nostra, et sunt voluntaria. Deinde . . . manifestat propositum per signa. Dicit . . . , quod his, quae dicta sunt, scil. quod operationes virtutum et vitiorum sint in nobis, videntur attestari propria, quae fiunt a singulis privatis personis. Quilibet enim paterfamilias punit filium vel servum male agentem. Et similiter attestantur ea, quae fiunt a legislatoribus, qui habent curam reipublicae; ipsi enim puniunt levius vel cruciant gravius eos, qui operantur

mala, dum tamen non faciunt hoc per violentiam vel propter ignorantiam, cuius scil. ignorantiae ipsi non sunt causa . . . Ignorantia eorum, quae scire tenetur et potest, reputatur voluntaria et propterea homines puniuntur. Et hoc est, quod dicit, quod legislatores puniunt ignorantes ea, quae sunt lege statuta, quae omnes scire oportet, sicut quod non est furandum . . . Et idem etiam in aliis, quaecumque homines videntur ignorare propter negligentiam ; quia in potestate eorum erat, ut non ignorarent. Domini enim sunt sui ; et in potestate sua habent, ut sint diligentes et non negligentes » (In Eth. III lect. 11 n. 496 sq. 502 sq. 506).

S. Thomas : « Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum . . . Haec autem opinio . . . est annumeranda inter extraneas philosophiae opiniones : quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia philosophiae moralis. Si enim . . . ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum et punitio, et laus et vituperium, circa quae moralis philosophia consistit. Huiusmodi autem opiniones quae destruunt principia alicuius partis philosophiae, dicuntur positiones extraneae, sicut nihil moveri, quod destruit principia scientiae naturalis » (Malo 6). « Solum id quod habet intellectum potest agere iudicio libero : inquantum cognoscit universalem rationem boni, ex qua potest iudicare hoc vel illud esse bonum. Unde ubicumque est intellectus, est liberum arbitrium » (S. th. I 59, 3). « Et pro tanto necesse est quod homo sit liberi arbitrii, ex hoc ipso quod rationalis est » (I 83, 1 ; cf. 19, 10 ; I-II 6, 2 ad 2 ; 10, 2 ; 13, 6 ; Malo 16, 5 ; Comp. 76 ; II Dist. 25 a. 1). « In rebus autem inanimatis causarum contingentia ex imperfectione et defectu est : secundum enim suam naturam sunt determinatae ad unum effectum, quem semper consequuntur . . . Quod autem voluntas sit causa contingens, ex ipsius perfectione provenit : quia non habet virtutem limitatam ad unum, sed habet in potestate producere hunc effectum vel illum ; propter quod est contingens ad utrumlibet . . . Forma autem, per quam agit voluntarie agens, non est determinata : agit enim voluntas per formam apprehensam ab intellectu, nam bonum apprehensum movet voluntatem ut eius obiectum ; intellectus autem non habet unam formam effectus determinatam, sed de ratione sua est, ut multitudinem formarum comprehendat ; et propter hoc voluntas multiformes effectus producere potest » (C. g. III 73). « Si iudicium cognitivae non sit in potestate alicuius, sed sit aliunde determinatum, nec appetitus erit in potestate eius, et per consequens nec motus vel operatio absolute. Iudicium autem est in potestate iudicantis secundum quod potest de suo iudicio iudicare : de eo enim quod est in nostra potestate, possumus iudicare. Iudicare autem de iudicio suo, est solius rationis, quae super actum suum reflectitur, et cognoscit habitudines rerum de quibus iudicat, et per quas iudicat. Unde totius libertatis radix est in ratione constituta . . . Causam autem liberi arbitrii assignat tam Damascenus quam Gregorius quam Augustinus rationem » (Ver. 24, 2 c. et ad 4 ; cf. a. 1 ; C. g. II 48). « Radix libertatis est voluntas sicut subiectum : sed sicutc ausa, est ratio » (S. th. I-II 17, 1 ad 2). « Nihil prohibet, si aliqua duo aequalia proponantur secundum unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio per quam emineat, et magis flectatur voluntas in ipsum quam in aliud » (I-II 13, 6 ad 3 ; cf. Ver. 22, 15 c.).

Thesis 56 : *Voluntas humana necessario vult necessitate specificationis, non tamen necessitate exercitii bonum in communi seu beatitudinem in communi, et quae cum ea necessario conectuntur ; Deum clare visum vult necessario necessitate tum specificationis, tum exercitii ; circa cetera bona particularia et ipsum Deum, prout in hoc statu unionis*

cum corpore cognoscitur, libertate gaudet tum quoad specificationem, tum quoad exercitum: circa Deum vero, prout in statu separationis naturaliter cognoscitur, non gaudet libertate neque specificationis neque exercitii.

593. St. qu. 1. Thesi praecedente probavimus in genere, voluntatem humanam libertate praeditam esse; hac thesi determinamus accuratius obiecta, circa quae gaudet libertate, et modum huius libertatis.

2. Considerando bonum secundum se, absolute, distinguimus: *a)* bonum in abstracto seu bonum in communi (beatitudinem in communi), *b)* bonum in concreto, in aliqua re exsistente. Bonum in concreto sumptum est aut infinitum aut finitum seu particulare, quatenus haec res continet adaequate totam rationem boni (omnem rationem boni) aut partem eius tantum. Bonum infinitum est solus Deus.

Considerando bonum relative, per ordinem ad apprehensionem nostram distinguimus *a)* bonum adaequate propositum seu adaequate apprehensum, et bonum inadaequate propositum seu inadaequate apprehensum. Bonum infinitum adaequate propositum est ipse Deus clare visus, sicut est in se; bonum infinitum inadaequate propositum est Deus abstractive seu analogice cognitus. Deus autem abstractive cognitus iterum potest considerari, aut prout cognoscitur in hac vita, in statu coniunctionis animae cum corpore, aut prout cognoscitur (naturaliter) ab anima separata. Distinguimus *b)* bonum speculative apprehensum, i. e. abstrahendo a dispositione, in qua subiectum cognoscens invenitur, et bonum practice apprehensum, non abstrahendo ab hac dispositione. Haec autem dispositio est aliquid, quod inclinat subiectum cognoscens ad obiectum aliquod tamquam ad conveniens sibi ita, ut stante hac dispositione seu inclinatione, non possit non iudicare, id quod est secundum eam, esse sibi bonum seu conveniens. Ita passio est dispositio, qua stante homo non potest non iudicare tamquam conveniens sibi id, quod est secundum passionem. Dispositio haec est aut mobilis aut immobilis. Si est mobilis, subiectum cognoscens eam a se removere potest, et consequenter potest etiam non consentire dictamini practico, quod est secundum eam. Ita passio est dispositio mobilis, quam potest homo libere removere removendo phantasma, ex quo oritur passio. Si dispositio haec est immobilis, etiam iudicium practicum, quod est secundum eam, est immobile et caret indifferentia ad libertatem requisita.

3. Libertas arbitrii est duplex: *a)* libertas contradictionis seu exercitii, quae est indifferentia circa exercitium (circa positionem) actus voluntatis, seu est indifferentia quoad velle et non velle; *b)* libertas specificationis, quae est indifferentia circa obiectum actus voluntatis, quatenus voluntas potest specificare

actum suum hoc obiecto et alio obiecto (velle hoc, velle illud), immo obiectis contrariis (velle virtutem, velle vitium) (libertas contrarietatis). Praeterea distinguunt libertatem physicam, i. e. possibilitatem physicam agendi vel non agendi hoc vel illud, et libertatem moralem, i. e. possibilitatem moralem seu liceitatem agendi vel non agendi hoc vel illud. De libertate morali agere spectat ad Ethicam; nunc de physica tantum libertate agimus. Haec in sola libertate contradictionis iam salvatur; libertate enim contradictionis voluntas iam habet activam indifferentiam ab intrinseco.

594. Prob. th. I p.: Voluntas humana necessario vult necessitate specificationis bonum in communi seu beatitudinem in communi, et quae cum ea necessario conectuntur. *Arg. I.* Ex experientia: Experimur nos in omnibus, quae volumus, semper moveri a bono et volendo semper quaerere bonum.

Arg. II. Ex eo quod bonum in communi est obiectum formale proprium: Voluntas, quae necessario specificatur a bono in communi, necessario vult necessitate specificationis bonum in communi. Atqui voluntas humana necessario specificatur a bono in communi. Ergo necessitate specificationis vult bonum in communi.

Mai. per se patet: Voluntas, quae necessario specificatur a bono in communi, est potentia, cuius actus quilibet specificatur a bono, quae proinde non potest habere actum nisi specificatum bono seu actum appetendi bonum.

Prob. min. Omnis potentia necessario a suo obiecto formali specificatur: ordinatur enim ipsa natura sua seu naturali necessitate ad hoc obiectum. Atqui obiectum formale voluntatis humanae est bonum in communi, quia voluntas humana sequitur intellectum humanum, qui intelligit abstrahendo; ideo voluntas ad quodcumque bonum fertur sub ratione boni abstracte cogniti, i. e. sub ratione boni in communi seu beatitudinis in communi.

Haec necessitas volendi extenditur etiam ad ea, quae cum beatitudine in communi necessario conectuntur, sine quibus nihil boni haberi potest. Nam qui vult finem, non potest non velle ea, quae conectuntur necessario cum fine.

Prob. II p.: Voluntas non vult bonum in communi necessitate exercitii. Ex eo quod voluntas libere cessare potest ab omni volitione: Voluntas non vult necessario necessitate exercitii id, a quo volendo potest libere abstinere. Atqui voluntas potest libere abstinere a volendo bono in communi. Ergo illud non vult necessitate exercitii.

Prob. min. Voluntas non potest cessare a volendo bono in communi nisi cessando ab omni actu; si enim aliquid vult, vult necessario (necessitate specificationis) bonum in communi. Atqui voluntas potest libere abstinere a quacumque volitione; hoc patet *a)* ex experientia;

b) ex eo quod voluntas libertate gaudet circa omnia bona particularia necessario cum beatitudine in communi non conexa, ut patet ex th. antec. et probabitur infra, IV p. Exercitium vero volitionis et intellectionis esse bonum particulare per se patet ; non esse cum beatitudine in communi necessario conexum ex eo patet, quod in hac vita aliquid boni habere possumus seu aliquid, quod est conveniens nobis, cessando ab omni activitate mentali et quiescendo seu dormiendo.

Prob. III p. : Deum clare visum voluntas vult necessario necessitate tum specificationis tum exercitii. Ex eo quod Deus clare visus est bonum infinitum adaequate propositum : Voluntas vult necessario necessitate tum specificationis tum exercitii obiectum proprium adaequate in tota sua amplitudine sibi propositum in aliqua re. Atqui Deus clare visus est obiectum proprium voluntatis adaequate ipsi propositum. Ergo Deum clare visum voluntas vult necessario necessitate specificationis et exercitii.

Prob. mai. Obiectum proprium adaequate propositum est id, extra quod nihil remanet desiderandum. Hoc autem voluntas vult necessitate tum specificationis tum exercitii ; nam etiam libera cessatio ab obiecto aliquo volendo est actus voluntatis, qui requirit obiectum seu bonum, in quod voluntas cessando ab illo actu feratur, sicut in hac vita voluntas cessando libere a volenda beatitudine in communi se convertit ad quietem, quae est bonum aliquod, quod hac cessatione obtinetur.

Min. ex eo patet, quod Deus est obiectum continens omnem rationem boni ; Deus clare visus est hoc obiectum adaequate propositum et in tota sua amplitudine applicatum. Deum necessario et iugiter cognoscit beatus tamquam bonum suum, quod adimplet totam capacitatem voluntatis suae.

Prob. IV p. : Circa cetera bona particularia et ipsum Deum, prout in hoc statu unionis cum corpore cognoscitur, voluntas libertate gaudet tum quoad specificationem tum quoad exercitium. Ex indifferentia ultimi iudicii practici circa haec bona : Circa ea voluntas gaudet libertate tum specificationis tum exercitii, circa quae ultimum iudicium practicum, quo iudicantur ut bona, est indifferens seu non determinatum ad unum tum quoad specificationem, tum quoad exercitium. Atqui circa omnia bona particularia necessario cum beatitudine in communi non conexa et circa ipsum Deum, prout in hoc statu unionis cum corpore cognoscitur, ultimum iudicium practicum est indifferens seu non determinatum ad unum tum quoad specificationem tum quoad exercitium. Ergo circa haec bona voluntas omnimoda gaudet libertate.

Mai. patet ex th. antec. ; similiter *min.:* bona enim particularia et Deus, prout in hoc statu unionis cum corpore cognoscitur, sunt bona limitata aut limitate proposita.

Prob. V p.: Circa Deum, prout in statu separationis naturaliter cognoscitur, voluntas non gaudet libertate neque specificationis neque exercitii. Ex determinatione ultimi iudicii practici: Circa ea voluntas non gaudet libertate neque specificationis neque exercitii, circa quae ultimum iudicium practicum non est indifferens neque quoad specificationem neque quoad exercitium, ut ex th. antec. patet. Atqui circa Deum, prout in statu separationis naturaliter cognoscitur, iudicium non est indifferens neque quoad specificationem, neque quoad exercitium. Ergo voluntas nulla gaudet libertate.

Prob. min. Circa illud obiectum iudicium practicum non est indifferens, quod iudicatur conveniens aut disconveniens propter dispositionem immobilem subiecti cognoscentis, ut patet ex st. q. Atqui in statu separationis Deus iudicatur conveniens aut disconveniens propter dispositionem immobilem subiecti cognoscentis seu animae separatae, ut latius in Ethica probabitur (cf. n. 974—977).

595. Coroll. 1. Ergo voluntas humana in omni actu suo agit necessario propter beatitudinem in communi seu propter finem ultimum formalem. Cum autem voluntas numquam tendat in universale abstractum, sed in singulare prout exsistens, voluntas in omni actu suo agit etiam propter finem ultimum materialem seu obiectivum, quatenus quaerit obiectum, quo homo habeat bene esse suum seu beatitudinem formalem. Initio tamen homo finem ultimum suum materialem implicite tantum et in confuso cognoscit tamquam id, quod est conveniens sibi, et voluntas non tendit in finem ultimum materialem, nisi prout est implicite et in confuso cognitus.

2. Ergo libertatis exercitium in eo consistit, quod voluntas, primo ut natura, facta in actu ad finem, ad finem ultimum formalem et materialem (implicite et in confuso cognitum), deinde ut libera movet seipsam ad media, quibus attingatur finis, et ad ipsum finem materialem, explicite et distinctius cognitum: Voluntas humana, cum homo ad usum rationis pervenit et assecutus est conceptum beatitudinis in communi seu bene esse proprii, naturali necessitate prorumpit in actum volendae beatitudinis[1]. In virtute huius volitionis (non liberae) voluntas adipiscitur potentiam movendi seipsam seu determinandi se libere quoad media et quoad finem ultimum in particulari, i. e. quoad bona omnia particularia et etiam quoad Deum, prout in hac vita inadaequate cognoscitur. Interrupta autem serie cogitationum et volitionum, puta per somnum, voluntas, naturali propensione versus bonum aliquod apprehensum, constituitur in actu ad finem et potens ad se movendum quoad media, et finem in particulari. Cum primus iste actus (primus absolute et primus in aliqua serie) non sit liber, ne quoad exercitium quidem, in eo voluntas bonum in communi vult

[1] supposita tamen praemotione divina, de qua in Metaphysica.

necessario, etiam necessitate exercitii. Exinde tamen libertatem exercitii adepta est etiam quoad bonum in communi.

596. Schol. 1. Cum beatitudine necessario conectuntur ea, sine quibus voluntas obiectum suum formale seu bonum attingere nequit, seu aliis verbis, sine quibus nihil boni attingi potest. Ad quae pertinet esse ; nemo enim potest beatus esse seu bono aliquo frui, si non est. Itaque « esse » necessario appetitur, « non-esse » autem appeti nequit ; i. e. per se, potest tamen appeti per accidens. Ita qui se interimit, per se appetit esse, quatenus appetit esse sine miseria, per accidens autem appetit non-esse, quatenus illi esse, quod appetit, accidit non-esse sui.

2. Cessare ab omni actu intelligendi et volendi non potest apprehendi ab intellectu ut bonum nisi in hoc statu unionis cum corpore, propterea quod intelligere et velle necessario conectuntur cum beatitudine animae separatae, quae sine intelligere et velle nihil beatitudinis attingere potest.

597. Obi. *Contra I p.* 1. Appetitus, qui fertur in malum, non vult necessario necessitate specificationis bonum in communi. Atqui voluntas humana est appetitus, qui saepe fertur in malum. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Qui fertur in malum, ut malum est, *conc.* ; qui fertur in malum sub ratione boni, *nego. Contradist. min.* Cf. n. 508, 1.

2. Atqui voluntas humana fertur in malum, ut malum est. *Probo.* Voluntas, quae fertur in non-esse, fertur in malum, ut malum est. Atqui voluntas humana (eius, qui se interimit) fertur in non-esse. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quae per se fertur in non-esse, *conc.* ; quae per accidens fertur in non-esse, *nego. Contradist. min.*

Contra II p. 1. Voluntas, quae naturali necessitate vult bonum in communi, bonum in communi vult etiam necessitate exercitii. Atqui voluntas humana naturali necessitate vult bonum in communi. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quae naturali necessitate, tum specificationis tum exercitii, vult bonum in communi, *conc.* ; necessitate specificationis tantum, *nego. Contradist. min.* : Voluntas humana naturali necessitate specificationis vult bonum in communi, *conc.* ; vult bonum in communi necessitate tum specificationis, tum exercitii, *subdist.* : In omni actu, *nego* ; in primo actu, ita ut postea libere abstinere possit a quacumque volitione, *conc. Dist. consq.*

2. Atqui neque post primum actum voluntas libere abstinere potest a quacumque volitione. *Resp. Dist. min. subsumpt.* : Eliciendo actum liberae volitionis, *nego* ; non eliciendo, *conc.* Si voluntas dicitur posse post primum actum l i b e r e cessare a quacumque volitione, supponitur post primum actum eam unum saltem ulteriorem actum elicituram esse, quo libere determinat se velle cessare ab omni actu. Ille actus, quo volumus habere quietem, est actus liberae volitionis; postea tamen sequitur cessatio ab omni exercitio volendi, quae proinde cessatio libere est volita.

Contra III p. 1. Voluntas, quae libertate gaudet quoad finem ultimum in particulari, Deum clare visum non vult necessario necessitate tum specificationis, tum exercitii. Atqui voluntas humana libertate gaudet quoad finem ultimum in particulari. Ergo. *Resp. Dist. mai.* : Quae libertate gaudet quoad finem ultimum in particulari, prout in hac vita cognoscitur, *nego* ; prout in altera vita cognoscitur, et speciatim quoad Deum clare visum, *conc. Contradist. min.*

2. Atqui voluntas humana libertate gaudet quoad Deum clare visum. *Probo.*

Voluntas, quae sequitur boni universalis cognitionem nullo modo coarctatam, libertate gaudet. Atqui voluntas humana quoad Deum clare visum sequitur boni universalis cognitionem nullo modo coarctatam. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Quae sequitur boni universalis cognitionem in aliqua re non plene possessam, *conc.;* in aliqua re plene possessam, *subdist.:* Libertate gaudet eminenter, *conc.;* formaliter, *nego. Contradist. min.; dist. consq.:* Libertate gaudet eminenter, *conc.;* formaliter, *nego.*

Contra IV p. vide n. 592. *Contra V p.* vide n. 978.

Ad 593 sqq. *S. Thomas:* « Libertas voluntatis in tribus considerabitur, scil. quantum ad actum, inquantum potest velle vel non velle; et quantum ad obiectum, inquantum potest velle hoc vel illud, et eius oppositum; et quantum ad ordinem finis, inquantum potest velle bonum vel malum. Sed quantum ad primum horum, inest libertas voluntati in quolibet statu naturae respectu cuiuslibet obiecti. Secundum vero horum est... respectu eorum quae sunt ad finem et non ipsius finis, et etiam secundum quemlibet statum naturae. Tertium vero non est respectu omnium obiectorum, sed quorundam eorum, scil. quae sunt ad finem; nec respectu cuiuslibet status naturae, sed illius tantum, in quo natura deficere potest. Nam ubi non est defectus in apprehendendo et conferendo, non potest esse voluntas mali in his, quae sunt ad finem, sicut patet in beatis. Et pro tanto dicitur, quod velle malum nec est libertas nec pars libertatis, quamvis sit quoddam libertatis signum » (Ver. 22, 6). « Natura autem et voluntas hoc modo ordinata sunt, ut ipsa voluntas quaedam natura sit; quia omne quod in rebus invenitur, natura quaedam dicitur. Et ideo in voluntate oportet invenire non solum id quod voluntatis est, sed etiam quod naturae est. Hoc autem est cuiuslibet naturae creatae, ut a Deo sit ordinata in bonum, naturaliter appetens illud. Unde et voluntati ipsi inest naturalis quidam appetitus sibi convenientis boni, et praeter hoc habet appetere aliquid secundum propriam determinationem, non ex necessitate; quod ei competit, inquantum voluntas est... Et ideo, sicut natura est voluntatis fundamentum, ita appetibile, quod naturaliter appetitur, est aliorum appetibilium principium et fundamentum. In appetibilibus autem finis est fundamentum et principium eorum, quae sunt ad finem, cum, quae sunt propter finem, non appetantur nisi ratione finis. Et ideo, quod voluntas de necessitate vult quasi naturali inclinatione in ipsum determinata, est finis ultimus, ut beatitudo, et ea quae in ipso includuntur, ut est cognitio veritatis, et alia huiusmodi; ad alia vero non de necessitate determinatur naturali inclinatione, sed propria dispositione absque necessitate. Quamvis autem quadam necessaria inclinatione ultimum finem velit voluntas, nullo tamen modo concedendum est quod ad illud volendum cogatur. Coactio enim nihil aliud est quam violentiae cuiusdam inductio. Violentum autem secundum Philosophum in III Eth. [1, 1110 b 15] est, cuius principium est extra, nil conferente vim passo, sicut si lapis sursum proiciatur; quia nullo modo, quantum est de se, ad hunc motum inclinatur. Sed cum ipsa voluntas sit quaedam inclinatio, eo quod est appetitus quidam, non potest contingere, ut voluntas aliquid velit, et inclinatio eius non sit in illud; et ita non potest contingere, ut voluntas aliquid coacte vel violenter velit, si aliquid naturali inclinatione velit. Patet igitur quod voluntas non necessario aliquid vult necessitate coactionis, vult tamen aliquid necessario necessitate naturalis inclinationis » (Ver. 22, 5). « Homo ex necessitate appetit beatitudinem... Dico autem ex necessitate quantum ad determinationem actus, quia non potest velle oppositum; non autem quantum ad exercitium actus, quia potest aliquis non velle tunc cogitare de beatitudine; quia etiam ipsi actus intellectus et voluntatis particulares sunt » (Malo 6 c.; cf. 3, 3; Ver. 22, 2 ad 3; 24, 1 ad 20; S. th. I 82, 1—2; I-II 5, 8; 10, 2; 13, 6). Cf. text. ad 590 sq. De dispositione ad appetendum finem cf. text. ad 970.

§ 3. De habitudine voluntatis ad alias potentias animae

598. Influxus aliarum potentiarum in voluntatem. *a)* Per modum causae efficientis nulla potentia in voluntatem agere potest. Nam potentiae sunt aut organicae (potentiae vegetativae et sensitivae) aut anorganicae. Sed potentiae organicae in voluntatem agere non possunt, quia corporeum (potentia organica) in spirituale (in potentiam anorganicam, in voluntatem) agere nequit. Neque potentia anorganica in voluntatem agere potest. Potentia enim anorganica praeter ipsam voluntatem non est nisi intellectus. Sed intellectui nulla convenit causalitas efficiens ad extra nisi mediante voluntate, quia terminus cognitionis est in cognoscente ; cognoscendo enim trahimus res ad nos (cf. n. 506).

b) Per modum causae finalis et formalis (repraesentando obiectum seu bonum, quod specificat et terminat actum voluntatis) in voluntatem agere potest : *α)* directe intellectus, quia obiectum voluntatis est bonum intellectu repraesentatum, *β)* indirecte, i. e. mediante intellectu, sensus et appetitus sensitivus. Cum enim appetitus sensitivus delectatur in aliquo bono sensili, etiam intellectus hoc percipit ut bonum hominis, et ita bonum sensile, intellectu cognitum ut bonum hominis, aptum evadit movendi et specificandi voluntatem.

Nota. Sicut bonum sensile, intellectu apprehensum, movet voluntatem, ita etiam bonum spirituale, sensiliter a phantasia repraesentatum, potest movere appetitum sensitivum. Atque ita appetitus sensitivus suo modo tendit etiam in bonum spirituale, prout hoc sensiliter phantasmate repraesentatur. Actus appetitus sensitivi in bonum spirituale affectus vocatur speciali modo, affectuum complexio animus dicitur.

Secundum triplicem habitudinem appetitus sensitivi ad voluntatema, nima in triplici statu invenitur : *a)* Cum appetitus sensitivus alacriter simul cum voluntate tendit in obiectum honestum, spirituale, habetur pax et dulcedo spiritualis ; *b)* cum appetitus sensitivus nonnisi aegre movetur ad bonum honestum, spirituale, ad quod tendit voluntas — ariditas ; *c)* cum appetitus sensitivus tendit in obiectum contrarium — lucta.

599. Influxus voluntatis in alias potentias. *a)* Voluntas ceteras potentias animae movet efficienter. *Prob.* *α)* ex experientia, ex testimonio conscientiae : Experimur in nobis voluntatem nostram ceteras potentias movere efficienter seu applicare ad actum ; cogitamus enim de hac vel illa re, quia volumus, deambulamus, quia volumus etc., i. e. voluntate applicante intellectum, vim motricem etc. ; *β)* a priori : Potentia, quae tendit quidem in bonum, cum

nondum habetur, et delectatur de bono habito seu possesso, cuius tamen non est bonum apprehendere et possidere, habet sub se potentias, quas efficienter movet, ope quarum apprehendat et possideat obiectum suum. Atqui voluntas est potentia, quae tendit in bonum, cum nondum habetur, et delectatur de bono possesso, eius tamen non est apprehendere et possidere bonum. Ergo voluntas ceteras potentias animae movet efficienter. *Ad mai.:* Si res aliter se haberet, defectuosa esset ipsa institutio naturae. *Min. quoad 1. p.* (voluntatem tendere in bonum, cum nondum possidetur, et quiescere in bono possesso) patet ex dictis n. 508, 1 ; *quoad 2. p.* probatur ex indole appetitus, qui non trahit res ad se, sed trahitur a rebus. Ceterae vero potentiae trahunt res ad se, sive intentionaliter, ut potentiae cognoscitivae, sive naturaliter, ut potentiae vegetativae et potentia motrix. Quare ipsa activitas ceterarum potentiarum sub voluntatis obiecto continetur, quatenus ab intellectu repraesentatur tamquam aliquid boni seu tamquam medium, ope cuius bonum in rerum natura exsistens apprehendatur et possideatur. Sicut voluntas, ita etiam appetitus sensitivus ceteras potentias sibi subordinatas movet efficienter ; nam eadem est indoles eius et habitudo ad potentias sibi subiectas.

b) Voluntas in potentias animae ita exercet causalitatem efficientem, ut quasdam potentias moveat immediate, alias vero mediate, propter subordinationem diversarum potentiarum inter se : immediate movet intellectum et phantasiam ; mediate, mediante phantasia, appetitum sensitivum, excitando imagines in phantasia ; mediante appetitu sensitivo voluntas movet vim motricem, mediante vi motrice membra et sensus externos ; mediante vi motrice voluntas aliquomodo etiam movet vires vegetativas, cum homo movente voluntate sumit cibum. Etiam seipsam movet voluntas mediate, mediante intellectu practico (cf. n. 591, 2).

c) Voluntas (sicut quaelibet alia potentia) efficienter movens potentiam sibi subordinatam ad actum a se imperatum eliciendum, ei imprimit qualitatem transeuntem seu praedeterminat eam. Cum potentia efficienter movet aliam potentiam sibi subordinatam, actus eliciti a potentia subordinata dicuntur imperati a potentia movente. Ita elevatio manus est actus elicitus a vi motrice, imperatus ab appetitu sensitivo et a voluntate. Circa modum, quo potentia movet efficienter potentiam sibi subordinatam, duplex est sententia : altera, thomistica, asserit potentiam moventem imprimere aliquid transeunter potentiae motae seu praedeterminare eam ; altera, scotistica, hoc negat explicatque motionem ex eo, quod propter radicationem in eadem anima et propter subordinationem potentiarum inter se, una potentia operante aut appetente, alia ei subordinata operetur et exsequatur quasi per quandam sympathiam. *Prob. sententia thomistica.* Potentia, quae elicit determinatum actum secundum motionem superioris, necesse est praedeterminetur ab ista.

Atqui potentia subordinata elicit determinatum actum secundum motionem superioris potentiae. Ergo necesse est praedeterminetur ab ea. *Min.* patet ex dictis. *Mai.* ex eo probatur, quod motio seu imperium superioris potentiae necesse est communicetur cum inferiore. Haec enim indeterminata est quoad actionem tum in individuo, tum in specie consideratam ; potest enim nunc agere et non agere, agere hoc vel illo modo. Quare actio appetitus efficienter moventis aliam potentiam est quidem formaliter immanens, ut actio metaphysica, sed virtualiter transiens, quatenus impressionem efficit in potentia mota.

d) Voluntas aliquando despotice, aliquando politice tantum imperat potentiis sibi subordinatis. Duplex imperium voluntatis distinguimus: despoticum, cui potentia mota reniti non potest ; politicum, cui reniti potest. Qua distinctione proposita dicimus ; *α)* Voluntas sibi ipsa imperat despotice, quatenus se movet a volitione finis ad volitionem medii ; *β)* phantasiae imperat aliquomodo despotice, aliquomodo politice tantum, quia actus phantasiae a corporeis dispositionibus pendent et rationis advertentiam antevertunt ; *γ)* similiter voluntas intellectui imperat quoad simplicem apprehensionem aliquomodo despotice, aliquomodo politice tantum, quia apprehensio intellectus a phantasia pendet ; quoad iudicium vero voluntas movet intellectum, cum veritatis evidentia deest, et tunc movet politice tantum[1] ; *δ)* appetitum sensitivum movet voluntas despotice, quatenus mediante eo movet vim motricem ; quoad ceteros vero actus voluntas appetitum sensitivum non movet nisi politice, quia motus appetitus sensitivi a corporis dispositione et a phantasia pendent et rationis advertentiam saepe praeveniunt.

Bibliographia ad 598—599 : *H. D. Noble*, Comment la passion enjôle la volonté, DThPlac 29 (1926) 635—663.

Ad 598 sq. *Aristoteles :* « Primo ostendit, quomodo principium movens in hominibus est ratio deliberans. Secundo, quomodo aliquando deliberatio rationis . . . vincatur ad appetitu inferiori ; et dicit, quod appetitus inferior, qui est sine deliberatione, vincit deliberationem, et removet hominem ab eo, quod deliberavit. Aliquando e converso appetitus movet appetitum, scil. superior, qui est rationis deliberantis, eum, qui est phantasiae sensibilis ; sicut in corporibus caelestibus sphaera superior movet inferiorem ; quod accidit, cum aliquis continens fuerit. Continentis enim est per deliberationem rationis vincere passiones. Et iste est naturalis ordo, ut superior appetitus moveat inferiorem » ([Ἡ ὄρεξις] νικᾷ δ' ἐνίοτε καὶ κινεῖ τὴν βούλησιν· ὁτὲ δ' ἐκείνη ταύτην : De an. III 11, 434 a 12. S. Thom. lect. 16 n. 840 843 sq. ; cf. De an. III 10 [cit. ad 512]). *S. Thomas :* « Passio appetitus sensitivi non potest directe trahere aut movere [inclinare ‹ib. prol.›] voluntatem, sed indirecte potest . . . Uno modo, secundum quandam abstractionem . . . Alio modo, ex parte obiecti vo-

[1] De hac doctrina accuratius dicendum erit in Metaphysica.

luntatis, quod est bonum ratione apprehensum . . . Homines in aliqua passione exsistentes, non facile imaginationem avertunt ab his circa quae afficiuntur. Unde per consequens iudicium rationis plerumque sequitur passionem appetitus sensitivi ; et per consequens motus voluntatis » (S. th. I-II 77, 1 ; cf. 9, 2 ; 10, 3; I 83, 1 ad 5 [cf. ad 955] ; 115, 4 ; I-II 77, 2 c. et ad 4 ; II-II 156, 1 ; Ver. 22, 9 ad 6 ; 26, 6 ; Malo 3, 9—11 ; C. g. III 85 ; Comp. 128). « Per modum finis . . . intellectus movet voluntatem . . . Per modum agentis . . . voluntas movet intellectum et omnes animae vires . . . ad suos actus, praeter vires naturales vegetativae partis, quae nostro arbitrio non subduntur » (S. th. I 82, 4; cf. I-II 9, 1 ; C. g. III 26 fin. ; Ver. 22, 12 ; Car. 3 ad 12). « Habitus vel potentia elicit, illum actum quem producit circa suum obiectum nullo mediante ; sed imperat actum qui producitur mediante potentia vel habitu inferiori circa obiectum illius potentiae » (III Dist. 27, 2 a. 4 sol. 3). « Sicut Philosophus dicit in I Polit., ratio, in qua est voluntas, movet suo imperio irascibilem et concupiscibilem, non quidem despotico principatu, sicut movetur servus a domino ; sed principatu regali seu politico, sicut liberi homines reguntur . . . qui tamen possunt contra movere » (S. th. I-II 9, 2 ad 3 ; cf. 17, 7 ; 56, 4 ad 3 ; I 81, 3 ad 2. *Aristoteles :* Ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος ἄρχει δεσποτικὴν ἀρχήν, ὁ δὲ νοῦς τῆς ὀρέξεως πολιτικὴν καὶ βασιλικήν : Pol. I 5, 1254 b 4 ; cf. S. Thom. lect. 3).

§ 4. De variis actibus intellectus et voluntatis aliarumque potentiarum voluntati subditarum, quibus integratur actus totalis deliberatus voluntatis

600. Quinam actus spectent ad intellectum, qui ad voluntatem et ceteras potentias voluntati subditas. Cum intellectus moveat quoad specificationem, voluntas vero quoad exercitium seu efficienter, quidquid specificationis est seu obiectivae directionis, spectat ad intellectum, applicatio vero et motio ipsius intellectus ceterarumque potentiarum est a voluntate. In toto autem processu actus deliberati duodecim distinguimus actus, quorum sex secundum principium supra enuntiatum spectant ad voluntatem, sex ad intellectum. Ad voluntatem spectant circa finem : simplex volitio, intentio, fruitio ; circa media : consensus, electio, usus activus. Ad intellectum spectant circa finem : apprehensio, consideratio finis mediis attingendi ; circa media : consilium, iudicium discretivum mediorum, imperium, usus passivus. Usus passivus autem non tantum ad intellectum, sed ad ceteras potentias omnes spectat, quatenus moventur a voluntate ad assumenda media, ope quorum apprehenditur et possidetur bonum seu finis.

601. Singuli actus explicantur. Quia voluntas est appetitus, qui sequitur cognitionem intellectivam boni, propterea omnem volitionem boni (sive agatur de fine, sive agatur de medio) praecedere debet apprehensio boni. Primum autem bonum, quod ab intellectu apprehenditur, est bonum universale seu ratio finis ultimi i. e. finis ultimus formalis. Supposita apprehensione boni universalis, in voluntate naturaliter consequitur volitio simplex, quae est

complacentia indeliberata voluntatis in bono communi. «Bonum autem in communi quod habet rationem finis est obiectum voluntatis» (S. th. I-II 9, 1 c). Hoc naturaliter appetitur necessitate specificationis et exercitii. Vi huius motus complacentiae voluntas applicat intellectum « ad exercitium actus, quia et ipsum verum quod est perfectio intellectus continetur sub universali bono, ut quoddam bonum particulare» (l. c. ad 3). Intellectus ita considerat beatitudinem quibusdam mediis attingendam. « Consideratur finis, secundum quod est terminus alicuius, quod in ipsum ordinatur » (I-II 12, 1 ad 4). Sic intellectus determinat voluntatem ad intendendum hoc bonum tamquam per media assequendum : habemus alium actum voluntatis circa finem, qui est intentio, quae importat « motum ad finem » (l. c. 2 ad 3), « praesupposita ordinatione rationis ordinantis aliquid ad finem » (l. c. 1 ad 3). Ceterum intentio non est tantum finis ultimi sed etiam finis intermedii. « Et utriusque potest esse intentio ; unde etsi semper sit finis, non tamen oportet, quod semper sit finis ultimi » (1 c. 2 c).

Per intentionem voluntatis applicatur intellectus ad deliberationem. Voluntas enim necessario vult deliberationem quia necessario conexa est cum beatitudine. Exinde movet intellectum ad deliberandum. « In rebus autem agendis multa incertitudo invenitur : quia actiones sunt circa singularia contingentia, quae propter suam variabilitatem incerta sunt . . . et ideo necessaria est inquisitio rationis ante iudicium de elegendis. Et haec inquisitio consilium vocatur » (I-II 14, 1 c).

Coepta inquisitione intellectus apprehendit plures modos esse possibiles, quibus beatitudo procurari potest, immo ipsam collationem de rebus agendis diversis modis continuari posse. Singula autem haec cum beatitudine non conectuntur necessario ; quo ipso voluntas in toto ulteriori processu libere procedit. « De fine non est consilium sed solum de his quae sunt ad finem » (l. c. 2 c).

Consilio respondet ex parte voluntatis consensus, qui consistit in applicatione eius quod ex consilio iudicatum est. « Et ideo applicatio appetitivi motus ad determinationem consilii proprie est consensus, unde, cum consilium non sit nisi de his quae sunt ad finem, consensus, proprie loquendo, non est nisi de his, quae sunt ad finem » (I-II 15, 3 c).

In virtute consensus voluntas intellectum movet ad ulteriorem considerationem, usquedum ex multis intellectus iudicio discretivo mediorum iudicat hoc esse hic et nunc utile ad adhibendum ad finem assequendum. Hoc iudicium fit practicum seu forma electionis hie et nunc ponendae. Iudicium consequitur electio libera voluntatis, quae consistit in praeacceptatione ultimativa unius respectu alterius eorum quae sunt ad finem.

Stante electione voluntas movet intellectum, ut exsecutionem dirigat eius quod eligebatur. Hoc ab intellectu praestatur imperio.

Imperium ergo aliud non est nisi directio et ordinatio rationis, qua voluntati ostenditur, quomodo exsequatur quod elegit. Si durante exsecutione diversae possibilitates apparent, voluntas intellectui novam imperat deliberationem, et sequitur nova electio, usquedum totum exsequatur. Sub directione intellectus voluntas active utitur potentiis sibi subordinatis, in quo consistit usus activus, quo voluntas applicat potentias exsecutivas ad assumenda media. Usui activo respondet in potentiis voluntati subordinatis usus passivus: potentiae motae a voluntate apprehendunt media ope quorum attingitur finis, quo attacto oritur in voluntate fruitio. Fruitione voluntas quadam dulcedine vel delectatione quietatur in possessione finis. Fruitio finis realiter habiti est perfecta, imperfecta vero est fruitio finis non habiti realiter sed in intentione tantum (cf. I-II 11, 4 c).

Ex antecedentibus constat omnes hos actus omnino inter se imbibi. Iam in ipsa continuatione deliberationis in certa directione habetur iudicium de bonitate talis processus et electio eiusdem; eo quod voluntas intellectui imperat deliberationem, iam habetur usus activus et passivus.

Sed clare distinguendum est inter actus, qui sunt circa finem: apprehensio boni, volitio, consideratio finis mediis attingendi, intentio, fruitio et actus, qui sunt circa ea, quae sunt ad finem (non excepto fine ultimo in particulari, inquantum habet rationem medii): consilium, consensus, iudicium discretivum mediorum, electio — et actus, qui pertinent ad ordinem exsecutionis: imperium, usus activus, usus passivus.

602. Quid formaliter sit imperium, et cur requiratur. Imperium sumitur dupliciter: *a)* late: pro motione, qua potentia superior (voluntas, appetitus sensitivus) movet potentiam sibi subordinatam efficienter. Si imperium ita sumitur, formaliter est actus voluntatis (vel universaliter potentiae movendis), quia causalitas efficiens ad voluntatem (et omnem potentiam efficienter moventem) spectat. Imperium sumitur *b)* stricte: pro ordinatione seu directione practica (in actu secundo), quae formaliter et elicitive est actus intellectus: ordinare enim seu dirigere est opus intellectus. At est actus intellectus practici seu intellectus adiuncta voluntate. Illa enim, quae intellectus cognoscit, fiunt practica, quatenus causalitas efficiens (practica) voluntatis ab intellectu specificatur seu dirigitur formaliter. Hoc tamen non est intelligendum, quasi intellectus ipse efficienter illam specificationem voluntati imprimeret, sed ipsa voluntas accipit seu ingreditur specificationem ab intellectu propositam, quia ipsa hoc elegit. Intellectus igitur fit practicus (norma activitatis volitivae) in virtute electionis voluntatis.

Imperium non est superfluum, etiam dato iudicio discretivo mediorum et facta electione. Nam cum imperio incipit ordo exsecutionis.

In ordine autem exsecutionis intellectus repraesentat rem sub respectu, quomodo hic et nunc sit exsequenda. Ideo imperio res sub alia ratione formali ab intellectu repraesentatur : ante electionem medium repraesentabatur sub formali ratione rei hic et nunc utilis ad finem assequendum (formaliter tamquam medium ad finem), imperio vero consideratur tamquam hic et nunc hoc determinato modo ab hac facultate exsequendum. Exsecutio autem est aliud ab ipsa electione, et interdum etiam speciales affert difficultates.

Bibliographia ad 600—602 : *R. Z. Lauer*, St. Thomas Theory of Intellectual Causality in Election, NSch 28 (1954) 299—319.

Ad 600 sq. *S. Thomas :* « Deinde considerandum est de ipsis actibus voluntariis in speciali. Et primo de actibus, qui sunt immediate ipsius voluntatis, velut ab ipsa voluntate eliciti . . . Voluntas autem movetur et in finem, et in ea quae sunt ad finem . . . Actus autem voluntatis in finem videntur esse tres : scil. velle, frui et intendere. » « [Actus] voluntatis qui sunt in comparatione ad ea quae sunt ad finem . . . sunt tres : eligere, consentire et uti » (S. th. I-II prol. ad q. 8 et q. 13). De singulis actibus Angelicus Doctor agit ib. q. 10-17.

Ad 601. *S. Thomas :* « In ordine autem agibilium primo quidem oportet sumere apprehensionem finis, deinde appetitum finis, deinde consilium de his quae sunt ad finem, deinde appetitum eorum quae sunt ad finem. Appetitus autem in ultimum finem tendit naturaliter, unde et applicatio motus appetitivi in finem apprehensum non habet rationem consensus, sed simplicis voluntatis. Quae autem sunt post ultimum finem, inquantum sunt ad finem, sub consilio cadunt » (S. th. I-II 15, 3 c).

Ad 602. *S. Thomas :* « In imperio duo concurrunt, quorum unum est rationis, aliud voluntatis. Qui enim imperat aliquid, inclinat ad faciendum, quod voluntatis est, ipsius enim est movere per modum agentis ; et iterum ordinat eum cui imperat, ad exsequendum illud quod imperatur ; et hoc ad rationem pertinet, cuius est ordinare. Et si duorum horum ordo consideretur, videtur primum esse inclinatio voluntatis in aliquid per electionem ; et postea in principio exsecutionis ordinatur per quos fieri debeat quod electum est. Et sic imperium erit immediate actus rationis, sed voluntatis quasi primo moventis» (Qdl. IX a. 12 ; Ver. 22, 2 ad 4 ; S. th. I-II 17, 1 ; II-II 83, 1 ad 3).

Liber III

DE ORTU VIVENTIUM

Caput I

DE ORTU VIVENTIUM IN GENERE

Thesis 57 : *Ortus vitae repeti non potest ex fortuita materiae anorganicae dispositione, sed corpus vivens non oritur nisi generatione ex alio corpore vivente aut interventu causae primae.*

603. St. qu. 1. Cum generatio viventis definiatur : origo viventis a principio vivente coniuncto in similitudinem naturae, origini, qua ex non vivente oriretur vivens, nomen generationis nonnisi aequivoce convenit, est g e n e r a t i o a e q u i v o c a.

2. Ortus viventium generatione aequivoca explicatur tum ab atheis, tum ab Aristotele et scholasticis. Attamen generatio aequivoca alia omnino ratione a Materialistis, alia ab Aristotele, S. Thoma aliisque scholasticis defenditur ; illi enim, ne ad interventum divinum recurrendum sit, fortuita materiae anorganicae dispositione docent initio vitam exortam fuisse et fortasse etiam nunc oriri ; hi vero, defectu observationis decepti, quaedam viventia imperfectiora ex materia putrescente oriri opinati sunt, quorum tamen ortum ex influxu corporum caelestium ab angelis motorum explicabant.

604. Prob. th. I p. : Ortus vitae repeti non potest ex fortuita materiae anorganicae dispositione. Ex principio causalitatis : Omnem causam oportet esse proportionatam effectui suo. Atqui fortuita materiae anorganicae dispositio non est causa proportionata effectui, qui est productio viventis. Ergo ortus vitae repeti non potest ex fortuita materiae anorganicae dispositione.

Prob. min. Causa proportionata effectui est aut eiusdem speciei cum effectu aut altioris ordinis, ita ut speciem effectus eminenter in se contineat ; nam virtus causalis respondet naturae rei. Atqui fortuita materiae anorganicae dispositio seu materia fortuito mota non est neque eiusdem speciei cum effectu, qui est vivens, neque est altioris ordinis, ita ut speciem huius effectus eminenter in se contineat. Materia anorganica seu bruta alterius et inferioris ordinis est, et materia anorganica fortuito mota non modo non continet in se eminenter vitam, sed ne viventis quidem structuram seu organisationem causaliter in se continere potest. Haec enim structura ut oriatur, tendentiam expostulat in materia teleologicam maxime artificiosam. Quare

etiamsi concederetur corpora viventia a non viventibus non essentialiter, sed accidentaliter tantum differre, dispositione aliqua speciali partium, tamen non posset explicari ortus corporis viventis ex materia fortuito mota.

Prob. II p.: Corpus vivens non oritur nisi generatione ex alio corpore vivente aut interventu causae primae. *Arg. I.* Ex principio causalitatis: Causa proportionata effectui, qui est corpus vivens, est aut eiusdem speciei cum hoc effectu aut altioris ordinis, ita ut speciem effectus eminenter in se contineat. Atqui eiusdem speciei cum hoc effectu non est nisi aliud corpus vivens, et ens altioris ordinis, quod hunc effectum eminenter in se contineat, non est nisi causa prima. Ergo corpus vivens non oritur nisi generatione ex alio corpore vivente aut interventu causae primae.

Min. quoad 1. p. per se patet; *quoad 2. p.* probatur: Ens altioris ordinis, quod eminenter in se continet effectus speciales entium inferiorum, non est nisi ens ad nullam speciem coarctatum, i. e. infinitum seu causa prima. Atqui ens altioris ordinis, quod hunc effectum, i. e. productionem corporis viventis eminenter in se continet, est ens altioris ordinis, quod eminenter in se continet effectus speciales entium inferiorum; nam generatio corporis viventis a corpore vivente est huius effectus specialis.

Arg. II. Ex experientia: Accuratior investigatio naturae ostendit omne corpus vivens ex alio corpore vivo semper esse, omnem cellulam vivam ex alia cellula viva. Hoc ostenditur inductione positive et negative; positive: ubicumque videbatur ex non vivente nasci vivens, detecta sunt semina; negative: si haec semina destruuntur et aliis aditus intercluditur, numquam oritur vivens (experimentum Pasteur [1822—1895]). Ergo corpus vivens non oritur nisi generatione ex alio corpore vivente aut metaphysice interventu causae primae.

605. Coroll. 1. Ergo generatio aequivoca non tantum est contra experientiam, sed etiam in se repugnat. Generatio aequivoca defendi nequit sine absurdo, nisi quatenus dicitur Deus communicasse cum materia bruta praeternaturaliter vim seminalem. Sed haec generatio aequivoca stricte non est aequivoca; materia enim, quacum vis seminalis est communicata, vivit virtualiter et causaliter. Attamen haec doctrina est contra experientiam, quae ostendit vivens semper oriri ex alio vivente et vim seminalem non inhaerere nisi cellulis germinalibus.

2. Ergo primus ortus vitae corporeae non potest explicari nisi interventu causae primae, quae corpora viventia ex nihilo creavit aut potius ea ex materia iam praeiacente formavit. Hoc ultimum convenientius est, et hoc etiam tenendum est secundum litteram S. Scripturae. Quaestionem de prima origine vitae certo non solvunt, qui,

ut Helmholtz (1821—1894), prima viventium semina ex aliis sideribus in terram nostram delapsa dicunt. Similiter hanc quaestionem non solvunt G. Preyer (1831—1897) et Arrhenius (1859—1927), qui contendunt corpora viventia semper exstitisse. Etiam dato, non concesso, vitam corpoream semper exstitisse, tamen ad Deum tamquam ad primam causam reducenda esset. At abstrahendo etiam ab aliis rationibus, iam scientiae naturales suadent vitam corpoream in tempore incepisse: Vita supponit processum mundanum seu energiae tensionem, quae ab aeterno esse non potest (cf. n. 370), et vita repugnat statui candescenti illi, qui erat status primitivus terrae ceterorumque corporum caelestium. Neque experimenta noviter facta sub influxu sive Materialismi dialectici [1] sive Physicae modernae [2] ortum vitae sine principio vivente explicare possunt.

606. Schol. 1. Secundum S. Augustinum Deus creavit omnia simul[3]; attamen initio viventia nondum actu exsistebant, sed secundum rationes seminales, i. e. Deus materiae non organisatae vim quandam seminalem indidit, qua decursu temporis diversorum viventium species ex materia anorganica evolvebantur. De hac sententia, quae etiam quibusdam recentibus placet, dicimus: *a)* eam in se non repugnare, cum non contineat nisi generationem aequivocam late dictam; *b)* non posse refutari experientia, qua nihil ostenditur nisi nunc corpus vivens semper oriri ex alio corpore vivente, qua proinde non probatur Deum non potuisse uti generatione hac aequivoca late dicta ad primam viventium productionem; *c)* eam minus bene explicare primam viventium originem, cum non sit conaturale virtuti seminali adhaerere materiae communi; *d)* hanc sententiam tamen maxime abesse a panpsychismo, qui docet vim vitalem esse proprietatem communem materiae, cum S. Augustinus doceat esse vim specialem superadditam.

2. S. Thomam sicut etiam alios veteres philosophos videmus in angustiis ad explicandum ortum viventium illorum imperfectorum, quae ex materia putrescente nasci videbantur. Secundum S. Thomam vires naturales, ut virtus corporum caelestium, non possunt agere ad productionem viventis nisi instrumentaliter, quatenus subsunt causae altiori. Haec in generatione aequivoca est angelus. Sed de angelo

---

[1] *O. B. Lepeschinskaja*, Über die Entstehung von Zellen, Berlin 1951. Ead., Die Entstehung von Zellen aus lebender Materie und die Rolle der lebenden Materie im Organismus, Berlin 1952.

[2] *B. Bavink*, Ergebnisse und Probleme der Naturwissenschaften, Leipzig 1944, 460; Anm. 405—408.

[3] S. Augustinus ita docuit propter textum Ecclesiastici 18, 1: «Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.» Sed secundum versionem graecam «simul» (κοινῇ) idem significat ac «pariter», «sine exceptione».

docet S. Thomas (Pot. 6, 3), eum per se solum imparem esse ad efficiendum corpus vivens. Quomodo igitur angelus hoc efficere possit mediante instrumento, explicari nequit, nisi quatenus dicitur : « quia hoc ipsum, quod ex materia elementari, virtute seminis vel stellarum possunt animalia produci, est ex virtute primitus elementis data » (text. infra cit.), i. e. ab angelo mediante corpore caelesti non producitur vivens ex materia bruta nisi quatenus Deus cum materia communicavit (praeternaturaliter) vim seminalem, quae actione angeli et corporis caelestis evolvitur.

607. Obi. *Contra I p.* vide n. 246.

Contra II p. 1. Si generatio aequivoca est possibilis, admittenda est ad vitandum interventum specialem divinum. Atqui generatio aequivoca est possibilis. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Si non est contra experientiam, et si est explicatio conaturalis, *conc. ;* si est contra experientiam, et si non est explicatio conaturalis, *nego. Contradist. min. :* Generatio aequivoca stricte dicta est possibilis, *nego ;* late dicta, *subdist. :* Ita est possibilis, ut sit tamen contra experientiam, et ita, ut sit explicatio non conaturalis, *conc.* , ut non sit contra experientiam et sit explicatio conaturalis, *nego.*

2. Atqui generatio aequivoca est explicatio conaturalis. *Probo.* Explicatio ortus corporum viventium causalitate agentis incorporei, quod dominium habet super mundum corporeum, est explicatio conaturalis. Atqui haec explicatio est generatio aequivoca. Ergo. *Resp. Dist. mai. :* Explicatio ortus corporum viventium causalitate agentis incorporei, quod est Deus, qui habet dominium absolutum super mundum corporeum, *conc. ;* causalitate agentis incorporei, quod non est Deus neque aliud habet dominium super mundum corporeum, praeterquam quod potest motu locali applicare activa passivis, *nego. Contradist. min.*

Ad 603 sqq. *Aristoteles* admittit in viventibus imperfectis « generationem spontaneam », γένεσιν αὐτομάτην [αὐτόματον] : De an. II 4, 415 a 27 ; Hist. animal. V 1, 539 a 22 b 7 ; c. 19, 550 b 32 sqq. ; De gen. animal. III 11, 761 b 24—26 ; cf. tamen I 17, 721 b 6—7. Cf. S. Thom., In De an. II lect. 7 n. 313 sq. ; In Met. VII lect. 6 n. 1399 sqq. ; lect. 8 n. 1457 ; C. g. III 69 (ed. Leon. tom. XIV 201 a 30 ; cf. Commentaria Ferrariensis in h. l., ib. 204). *S. Thomas :* « In generatione aequivoca, . . . cum animalia ex putrefactione nata virtute solis generantur, ad huius speciem non attingunt » (C. g. IV 10 ; cf. S. th. I 45, 8 ad 3). *S. Thomas :* « Avicenna posuit omnia animalia posse generari ex aliquali elementorum commixtione absque semine, etiam per viam naturae. Sed hoc videtur inconveniens. Quia natura determinatis mediis procedit ad suos effectus ; unde illa, quae naturaliter generantur ex semine, non possunt naturaliter sine semine generari. Et ideo dicendum est aliter, quod in naturali generatione animalium, principium activum est virtus formativa, quae est in semine, in iis, quae ex semine generantur ; loco cuius virtutis, in iis quae ex putrefactione generantur, est virtus caelestis corporis. Materiale autem principium in utrorumque animalium generatione est aliquod elementum vel elementatum. In prima autem rerum institutione, fuit principium activum Verbum Dei, quod ex materia elementari produxit animalia, vel in actu, secundum alios sanctos ; vel virtute secundum Augustinum [Sup. Gen. ad litt. V 5], non quod aqua aut terra habeat in se virtutem producendi omnia animalia, ut Avicenna posuit : sed quia hoc ipsum, quod ex materia elementari, virtute seminis vel stellarum possunt animalia produci, est ex virtute primitus elementis data » (S. th. I 71 a. un. ad 1 ; cf. 70, 3 ad 3 ; 91, 2 c. [cit. ad 609 sqq.] et ad 2—3 ; Pot. 3, 11 ad 12 et arg. 13 et ad 13—14).

Caput II

DE DISTINCTIONE VIVENTIUM

Thesis 58 : *Viventium distinctio explicari non potest evolutione darwinistica neque evolutione quacumque tollente omnes differentias specificas, sed admittenda est in ordine viventium pluralitas aliqua specierum, essentialiter inter se distinctarum.*

608. St. qu. 1. Videmus viventia corporea distincta in plantas et animalia bruta et homines, et in genere plantarum et animalium brutorum iterum videmus multiplicem distinctionem secundum typos magis vel minus inter se diversos. Quaerimus, unde haec distinctio. Ad quam quaestionem responderi potest : *a)* hanc distinctionem originariam esse ac proinde conditam a Deo, aut *b)* non esse originariam, sed evolutione seu descendentia seu transformatione productam, i. e. initio non exstitisse nisi unicum typum vel paucos typos, a quibus per transformationem maxima illa typorum varietas ortum habuisset, quatenus per generationes sibi succedentes ex illo unico typo (vel ex illis paucis typis) illa maxima varietas pedetentim descendisset seu evoluta esset. Theoria igitur evolutionis seu descendentiae est doctrina, quae docet illam typorum distinctionem originariam non esse, sed pedetentim evolutione seu descendentia ex uno vel paucis typis primitivis ortam esse. Evolutio haec dici potest contigisse aut ex principio aliquo teleologico indito aut mere mechanice ab extrinseco. Praeterea potest concipi ut monophyletica aut ut polyphyletica.

2. Darwinismus illud est systema, quod docet ex una imperfectissima vel paucis imperfectissimis viventium formis totam hanc, quae nunc est, distinctionem typorum pedetentim per continuam transmutationem prodiisse ; quae evolutio non repetitur ab aliquo interno finalitatis principio, ab aliqua tendentia teleologica indita, quae sit in eo, quod evolvitur, sed mere mechanice contigisse dicitur selectione naturali fortuita. Quod hoc modo factum esse arbitrantur : Varietates seu dotes peculiares, in quibusdam individuis viventibus fortuito obortae (proles enim numquam accurate similis est genitoribus) in posteros transmittuntur vi legis hereditatis. Et sicut homo artificiali selectione conservare potest et augere dotes peculiares, copulando inter se individua, in quibus eaedem reperiuntur, ita natura selectione naturali (« natural selection ») ea individua ad copulam seligit, in quibus eaedem, et quidem ad vitam degendam aptiores inveniuntur proprietates. Quod fit per luctam pro vita (« struggle for life »). Cum enim in dies augetur numerus individuorum, ea, quibus nutriuntur, non

iam sufficiunt; unde individua, in quibus exortae sunt proprietates, quibus minus apta redduntur ad nutrimentum sibi procurandum, intereunt, et remanent ea tantum, in quibus insunt aptiores proprietates. Et non solum ex hoc, sed etiam ex influxu climatis aliarumque circumstantiarum externarum, quae debiliora et minus apta pro istis circumstantiis inveniuntur, intereunt, remanent perfectiora et aptiora («survival of the fittest»). Hoc igitur modo a natura seliguntur, quae iisdem, et quidem perfectioribus proprietatibus praedita sunt. Quo fit, ut non solum per generationes sibi succedentes varietates conserventur et augeantur, sed etiam natura semper in perfectius tendat et quodammodo vi «luctae pro vita» mechanice, ab extrinseco, versus perfectiora pellatur. Atque hoc modo putant ex una vel paucis viventium formis in indefinitum semper plures et perfectiores per infinitam seriem minimarum varietatum evolvi potuisse. Hanc doctrinam, a C. R. Darwin (1809—1882) magno apparatu scientifico propositam ad viventium distinctionem explicandam, ad totum universum extendit E. Haeckel (cf. n. 361, 4).

Darwinismus, postquam per diuturnius tempus multorum mentes fascinavit, nunc a rerum naturalium scrutatoribus iam deseritur. Et praecipua ratio est doctrina experimentaliter stabilita de transmissione hereditaria, qua constat variationes omnino accidentales seu «modificationes» hereditarie non transmitti, sed «mutationes» tantum, quae contingunt secundum insitas dispositiones. Ideo his temporibus ii, qui in rebus naturalibus experimentaliter scrutandis occupantur, statuere nituntur evolutionem, quae secundum internum aliquod principium teleologicum contigisset. Hoc principium inditum dicunt sub influxu diversarum circumstantiarum determinari ad se diversimode in diversos typos evolvendum. In hac igitur doctrina organismus seipsum ab intrinseco coaptat circumstantiis. Quapropter dicitur theoria activae coaptationis, cum darwinismus theoria coaptationis passivae dicatur. Et quia principium inditum activae illius coaptationis est principium vitale seu anima, theoria activae coaptationis etiam psychovitalistica dicta est. Talem doctrinam iam ante Darwin proposuerat Lamarck (1744—1829), qui evolutionis principium illud vitale inditum cognitione praeditum asseruit et evolutionem ex cognitis exigentiis explicavit: Ex circumstantiis datis oriuntur exigentiae seu necessitates, quae, cognitae, tendentiam seu appetitum teleologicum gignunt; appetitus autem teleologicus diversa organa producit respondentia exigentiis. Ita avis, quae propter circumstantias datas in aqua quaerit cibum suum, divaricat digitos pedis ad natandum, quo pedetentim inter singulos digitos formantur membranae ad natandum. Multi recentes Lamarckii doctrinam amplexati sunt, qui Neolamarckiani vocantur. Hi omnibus corporibus viventibus (ergo etiam plantis) animam tribuunt cognitione

praeditam[1] atque evolutionem propugnant monophyleticam: Ex typo primitivo imperfectissimo diversi typi tum plantarum, tum animalium et ipse homo pedetentim evoluti sunt per illam tendentiam teleologicam inditam, quo ipso differentias specificas omnes tollunt; quae enim per evolutionem ex eadem stirpe oriuntur, specifice inter se distincta esse nequeunt.

At alii, inter quos optimi naturalistae, ut W. Branca (1844—1928), O. Hertwig (1849—1922), J. Reinke (1849—1931), A. Kerner a Marilaun (1831—1898), G. Steinmann (1856—1929), K. Zittel (1839—1904), C. Depéret (1854—1929), E. v. Koken (1860—1912), E. Wasmann (1859—1931), monophyleticam evolutionem reiciunt et polyphyleticam propugnant, atque plures ponunt typos primitivos, ex quibus (ab intrinseco) tum per subitaneam mutationem (quasi per saltum), tum per lentam adaptationem, tum etiam per regressionem (degenerationem: parasitae) alios typos evolutos esse dicunt. Hi proinde tot ponunt species essentialiter inter se distinctas, quot ponunt stirpes. Hae stirpes seu species inter se nullam habent conexionem descendentiae; at intra unamquamque speciem descendentia seu evolutio contingit, quatenus decursu temporis per sibi succedentes generationes typus primitivus uniuscuiusque stirpis ita modificatur seu «differentiatur», ut ex eo oriantur plures typi diversi.

3. In thesi nostra ea tantum proponimus, quae certa sunt: *a)* evolutionem darwinisticam esse reiciendam, *b)* evolutionem quamcumque monophyleticam similiter reiciendam esse. De evolutione autem polyphyletica probabiliter admittenda dicimus in scholio 2.

609. Prob. th. I p.: Viventium distinctio explicari non potest evolutione darwinistica. Ex insufficientia explicationis darwinisticae: Viventium distinctio explicari non potest evolutione per selectionem naturalem fortuitam. Atqui evolutio darwinistica est evolutio per selectionem naturalem fortuitam. Ergo haec evolutio non explicat distinctionem viventium.

Prob. mai. a) Selectione naturali fortuita explicari non possunt neque organismi ad usum viventium accommodatissimi (organismus est enim aliquid valde complexum, cuius partes aptissime ad invicem ordinantur, quod proinde sine tendentia teleologica oriri non potest) neque typi inter se distincti notis «biologice indifferentibus», i. e. notis, quae in «lucta pro vita» nullius sunt utilitatis ad individuum et ad speciem conservanda. Atqui viventium distinctio constituitur ex una parte organismis ad usum accommodatissimis, ex altera autem notis biologice indifferentibus. Hoc ultimum praesertim obtinet in speciebus ad invicem vicinis. Etiam unumquodque organum singilla-

[1] Immo dicunt forte etiam in anorganicis animam inesse (panpsychismus).

tim sumptum aliquid complexi constituit apte ordinati, quod sine teleologica tendentia efformari nequit.

b) Selectione naturali fortuita non possunt explicari organa, quae, cum incipiunt formari per lentam evolutionem, nullius sunt utilitatis in lucta pro vita. Atqui distinctio viventium constituitur organis, quae, cum incipiunt formari per lentam evolutionem, nullius sunt utilitatis; quid enim iuvaret minimum illud initium alae aut pedis ad volandum, ad ambulandum? quid iuvat ad natandum minimum initium membranae, quae incipit formari inter digitos pedis?

c) Selectione naturali fortuita explicari non potest distinctio viventium secundum typos abrupte inter se distinctos; cum enim selectione naturali typus ex typo evolvatur pedetentim per minimas differentias, non possent oriri nisi typi, quorum alter sensim flueret in alterum, seu typi inter se coniuncti innumeris formis intermediis. Atqui distinctio viventium est secundum typos abrupte inter se distinctos, et innumerae illae formae intermediae nusquam reperiuntur neque inter viventia, quae his temporibus vitam degunt, neque in stratis terrae.

Prob. II p.: Viventium distinctio explicari non potest evolutione quacumque tollente omnes differentias specificas, sed admittenda est in ordine viventium pluralitas aliqua specierum essentialiter inter se distinctarum. *Arg. I.* Ex proprietatum diversitate: Essentialiter differunt, quae proprietatibus differunt. Atqui in ordine corporum viventium proprietatibus certo differunt homines, qui ratione sunt praediti, et animalia bruta, quae carent ratione, sensitiva tamen sunt, et plantae, quae vegetativam tantum vitam prae se ferunt, ut patet ex n. 454—457; 513—515. Ergo admittendae sunt differentiae essentiales. Sed praeterea proprietatis rationem habet organisationis typus stabilis non tantum nunc, sed etiam per periodos geologicas antecedentes (quod enim per omnia tempora sub diversissimis circumstantiis non mutatur, hoc stabilitatem absolutam ac proinde proprietatis rationem habet); secundum quem organisationis typum adhuc plures possumus distinguere species tum inter plantas, tum inter animalia. Cf. schol. 2.

Arg. II. Ex insufficientia explicationis monophyleticae: Viventium distinctio explicari non potest evolutione, quae ponit principium prorsus insufficiens ad viventium distinctionem explicandam. Atqui evolutio tollens omnes differentias specificas ponit principium prorsus insufficiens ad viventium distinctionem explicandam. Ergo non explicat distinctionem viventium.

Prob. min. Reiecta pluralitate specierum, ad viventium distinctionem explicandam ponitur principium aliquod indifferens, quod potest evolvi secundum innumeras possibilitates et potest etiam remanere in statu aliquo imperfectissimo. Ratio autem, cur se evolverit in

hunc vel in illum sensum, et cur remanserit quoad plura individua in statibus diversis imperfectis, et cur tanto tempore stabilitatem in aliquo statu conservaverit, reddi non potest nisi aut series generationum aut conditiones externae : climatis, soli etc.

Atqui spectata tam flora et fauna, quae nunc est, quam ea, quae reperitur in periodis anteactis geologicis, hoc principium est prorsus insufficiens ad viventium distinctionem explicandam. Videmus enim maximam varietatem typorum perfectorum et imperfectorum sub iisdem circumstantiis in iisdem periodis, et eosdem typos sub diversis circumstantiis et per diversas periodos. Ita tempus palaeozoicum iam exhibet omnes typos generaliores animalium, quae nunc vivunt, exceptis vertebratis.

610. Coroll. Ergo distinctio viventium explicari non potest evolutione monophyletica. Unica igitur evolutio, quae admitti potest, esset polyphyletica intra unamquamque speciem. De qua evolutione cf. scholion 2.

611. Schol. 1. Ad solvendas difficultates nota :

1° Speciem gradatim succedere speciei ab imperfectioribus ad perfectiores, ita ut inter species vicinas magna sit similitudo, nihil probat pro evolutione ; hoc enim optime explicatur ex dispositione divina. Conditor enim mundi omnes res ita disposuit, ut pulcherrimum quoddam artefactum ex omnibus efflorescceret. Unde singulas rerum species non solum viventium, sed etiam anorganicarum (elementa chimica) ita produxit, ut ab inferioribus ad superiora veluti per gradus cuiusdam scalae ascenderetur, ita ut, cum altera species non transeat sensim in alteram, tamen inter singulas non sit hiatus. « Natura non facit saltus. »

Ex eadem ratione explicatur unitas typi, quae viget in animalibus et plantis. Ad unitatem vero typi habendam conferunt organa homonyma et rudimentaria. Hoc enim modo mira quaedam unitas, non obstante tanta rerum varietate, resultat.

Praeterea ortus organorum rudimentarium explicatur ex eo, quod character genericus tendentiam radicalem habet ad varia variarum specierum et sexuum organa gignenda. Sed differentiis specificis vel sexualibus fit, ut evolutio huius vel illius organi magis impediatur.

2° Neque facta palaeontologica quidquam probant pro darwinismo et evolutione monophyletica. Palaeontologia docet : *a)* diversa terrae strata diversas exhibere organismorum formas ; *b)* generatim, quo recentiora sunt strata, eo plures et perfectiores organismorum formas exhibent ; *c)* in hac successione quandoque forma similis ita gradatim succedit simili, ut transformationem quasi ad oculos de-

monstrare videatur. *Resp. a)* Ut dictum est in argumento II partis II, iam ab initio plurimos invenimus typos animalium, et innumeri illi typi intermedii, quos postulare debet darwinismus, in stratis terrae non reperiuntur, quod argumentum validum constituit contra evolutionem monophyleticam et darwinisticam. *b)* Diversis periodis geologicis diversa flora et fauna conveniebat secundum diversas physicas conditiones, quae tunc vigebant; organismis imperfectioribus terra praeparatur, ut sit sedes conveniens organismorum perfectiorum et hominis; denique divinam sapientiam in producendis organismis ordinem quendam servare decebat. (Concedimus tamen a Palaeontologia evolutionem aliquam probabiliter suaderi; cf. schol. 2.)

3° Lex biogenetica, ab Haeckel proposita ad evolutionem darwinisticam et monophyleticam probandam, falsa est. Docet Haeckel ontogeniam esse abbreviatam phylogeniam: evolutione embryonali (ontogenia) corpora viventia breviter repetunt stirpis evolutionem (phylogeniam), ita ut haec ex illa cognosci possit; ita embryo animalium mammalium in determinato stadio esset pisciformis, quo ostenderet proavos suos aliquando pisces fuisse. Hanc « legem » dicimus omnino falsam esse. Nam *a)* similitudo, quae vigere videtur inter embryones diversorum generum, externa tantum est et specietenus. Revera embryones diversorum generum ab initio diversi sunt, sicut iam diversae sunt cellulae germinales et tota evolutio est diversa. *b)* Embryones generum superiorum non transeunt per typos inferiorum (ita embryo animalium mammalium non transit per typum pisciformem), sed omnes embryones, tum superiorum tum inferiorum generum, transeunt per stadium, in quo satis ad invicem similes sunt (ita tamen, ut, non obstante hac similitudine, semper ad invicem distingui possint); quae similitudo ex eo provenit, quod evolutio omnis organismi a generalioribus incipit et delineamenta distinctiva tardius efformantur. Reiecta hac « lege », concedimus tamen quaedam facta embryologica specialia evolutionem aliquam polyphyleticam probabiliter suadere; de qua scholio sequenti.

2. De evolutione polyphyletica probabiliter admittenda. Reiecto darwinismo et evolutione monophyletica, s t a b i l i t a t e m specierum profitemur. Species enim essentialiter a specie distincta notas suas specificas stabiliter retineat necesse est. Quam tamen stabilitatem non eam esse dicimus, quae nullam flexibilitatem typi externi admitteret. Ea enim est differentia inter viventia et mineralia, quod haec quoad typum suum et proprietates in indivisibili sistunt et quasi in absoluta stabilitate; qualiscumque enim mutatio chimicarum qualitatum, etsi in gradu tantum, corruptionem introducit et ortum significat novae formae (cf. n. 405—408); illa vero latitudinem admittunt et transmutabilitatem quandam quoad typum externum. Hoc non solum apparet in augmentatione et in varietatibus (Rassen, races), obortis in singulis speciebus, sed etiam in dimorphismo, qui intra

eandem speciem contingit (cf. n. 449). Quae cum ita sint, nihil a priori impedit, quominus dicatur etiam per diversas periodos geologicas transmutationes quasdam contigisse intra singulas species, eadem tamen manente organisatione earum specifica, quatenus singulae species sub influxu climatis ceterarumque circumstantiarum externarum in maiorem diversitatem typorum se evolvissent ab intrinseco (ex principio intrinseco), tum per subitaneam mutationem (quasi per saltus), tum per lentam adaptationem, tum etiam per regressionem (degenerationem : parasitae).

Probabiliter suaderi potest haec evolutio *a)* ex indole typorum primitivorum : Hi typi apparent tamquam ulterius determinabiles per adaptationem ad circumstantias in periodis geologicis datas. *b)* Parasitarum et symbiontium typi non originarii, sed per regressionem et adaptationeme xorti videntur. *c)* Palaeontologia suadet evolutionem, ut patet ex supradictis. *d)* Etiam quaedam facta specialia embryologica evolutionem aliquam suadent ; ita balaena mysticetus in statu embryonali praedita est dentibus, qui procedente evolutione embryonali penitus transmutantur, ex palaeontologia autem scimus balaenas omnes temporum praecedentium dentibus praeditas fuisse.

Hac doctrina admissa, tria distinguenda sunt : *a)* varietates (Rassen, races), *b)* typi iam abrupte distincti intra eandem speciem : species systematicae, *c)* species naturales, initio a Deo conditae. Specierum systematicarum stabilitas relativa tantum est, naturalium absoluta, neque tanta poterit esse diversitas introducta in speciem naturalem per species systematicas, ut valeat illius typum specificum, i. e. organisationem specificam oblitterare. At difficultas nunc est, discriminare species naturales a systematicis. Ex organisatione stricte essentiali, quae rationem habet proprii stricte (quod soli et semper et omni convenit), cum certitudine cognosci possent omnes species naturales. Sed haec organisatio nos latet ; consistit enim in illa microorganisatione, quae iam habetur in cellula germinali (fecundata), unde incipit evolutio viventis (cf. n. 406 ; 449 ; 452, 2). Cum incipit evolutio viventis, anima seu forma substantialis specifica viventis iam adest, quae essentialiter conectitur cum hac microorganisatione. Haec enim microorganisatio est dispositio proxima ad eam. Evolutione viventis, quae divisione cellularum fit, haec dispositio stricte essentialis communicatur cum diversis cellulis. Sed haec microorganisatio fugit etiam investigationem microscopicam. Necesse est igitur discamus essentiales corporum viventium differentias ex typo externo, ex proprietatibus, quae in individuo vivente in decursu evolutionis suae extrinsecus apparent, ut iam indicavimus argumento I partis II. Ope huius distinctivi statim invenimus homines et bruta et plantas specifice naturaliter distingui. In genere brutorum etiam diversi sensus specificas differentias innuunt. Animalia, quae gustu et tactu (et olfactu) tantum praedita sunt, specifice tamquam species

naturales distinguuntur ab iis, in quibus inest etiam visus et auditus [1]. Praeterea tum in genere plantarum, tum in genere animalium brutorum plures distinguimus species naturales secundum organisationis typum stabilem, non tantum nunc, sed etiam per periodos geologicas. Necesse est consideremus bruta et plantas tamquam genera suprema, quae ulterius distinguuntur in diversa naturalia genera et species. Determinare autem, quae sint haec genera et species, non ad philosophiam, sed ad biologiam pertinet.

3. Cum genera et species naturales essentialiter inter se differant, non potest alterum ab altero oriri per descendentiam. Haec genera et species tamquam formae primitivae ad specialem interventum divinum reducenda sunt. Possibile tamen esset, Deum ad producendas species superiores uti inferioribus, perducendo dispositionem materiae datam ab inferioribus ad organisationem respondentem speciei superiori. Haec tamen non esset evolutio et descendentia, sed transformatio divina.

4. Ad hominem evolutionem applicavit primus Huxley (1825—1895), quem secutus est Haeckel. Ipse Darwin initio doctrinam suam ad hominem non extendit, fecit tamen postea (1871). De evolutione ad hominem extensa breviter dicimus eam continere materialismum ; hominem enim per evolutionem ortum duxisse ex animalibus brutis dici non potest, nisi quatenus negatur spiritualitas animae humanae.

Quidam inter animam et corpus distinguentes docebant hoc per viam evolutionis prodiisse, illam vero per creationem a Deo produci. Sed ne hoc quidem admitti potest. Cum enim homo alterius omnino speciei naturalis, immo alterius omnino ordinis sit, etiam corpus eius seu organisatio et dispositio praerequisita ad animae infusionem alia sit necesse est. Quare producere dispositiones requisitas ad animae humanae infusionem non possunt nisi homines aut Deus interventu speciali. Praeterea parentes non tantum disponunt materiam, sed insuper applicant materiam formae seu animae (cf. n. 536, 1), id quod iterum supergreditur vires naturales cuiuscumque animalis bruti.

612. Obi. *Contra I p.* 1. Distinctio viventium, quae explicari potest per lentam, continuam transformationem influxu extrinseco, est distinctio viventium, quae explicari potest evolutione darwinistica. Atqui distinctio viventium explicari potest per lentam, continuam transformationem influxu extrinseco. Ergo. *Resp. Dist. mai.:* Influxu mere extrinseco sine principio aliquo interno finalitatis, *conc.;* admisso principio aliquo interno finalitatis, *nego. Contradist. min.:* Distinctio viventium explicari potest sine principio aliquo interno finalitatis, *nego;* admisso hoc principio, *subdist.:* Potest explicari tota haec, quae nunc

[1] At nihil obest, quominus aliqua species propter circumstantias disconvenientes in peius deveniat et sensum aliquem amittat. Hoc forte contingit proteo anguineo, et etiam parasitae processu regressivo organa sensuum amittunt. Tale quid enim per accidens est, non ex intentione naturae.

est, varietas typorum stabilium abrupte inter se distinctorum per lentam, continuam transmutationem, *nego*; potest explicari aliqua typorum modificatio, *conc.*

2. Atqui tota varietas typorum explicari potest per lentam, continuam transmutationem sine principio aliquo interno finalitatis. *Probo.* Si sub influxu conditionum externarum: climatis, nutrimenti etc., organismi pedetentim transformantur, tota varietas typorum explicari potest per lentam, continuam transmutationem sine principio aliquo interno finalitatis. Atqui, ut experientia docet, sub influxu conditionum externarum organismi pedetentim transformantur. Ergo. *Resp. Dist. mai.*: Si transformantur coaptatione mere passiva et eousque pedetentim transformantur, ut oriantur typi omnes isti stabiles et abrupte distincti, qui nunc sunt, *conc.*; si transformantur coaptatione non mere passiva neque eousque, ut oriantur typi omnes isti stabiles et abrupte distincti, qui nunc sunt, *nego. Contradist. min.*

Contra II p. 1. In illo ordine non est admittenda pluralitas specierum essentialiter distinctarum, in quo haec pluralitas non apparet. Atqui in ordine viventium corporeorum haec pluralitas non apparet. Ergo. *Resp. Dist. mai.*; In quo haec pluralitas nullo modo apparet, *conc.*; in quo saepe difficile est in concreto determinare distinctiones specificas, in quo tamen ex altera parte evidenter apparet aliquas distinctiones specificas esse admittendas, *nego. Contradist. min.*

2. Atqui in ordine viventium corporeorum nullae sunt admittendae distinctiones specificae. *Probo.* Distinctiones specificae non sunt admittendae, quae non manifestantur accidentibus propriis uniuscuiusque speciei. Atqui distinctiones specificae in ordine viventium corporeorum non manifestantur accidentibus propriis uniuscuiusque speciei. Ergo. *Resp. Dist. mai.*: Quae non manifestantur microorganisatione propria uniuscuiusqne speciei, manifestantur tamen accidentibus propriis seu proprietatibus, quae in decursu evolutionis individui apparent et constanter adsunt, *nego*; quae neque manifestantur accidentibus propriis seu proprietatibus, quae in decursu evolutionis individui apparent et constanter adsunt, *conc. Contradist. min.*: Non manifestantur microorganisatione specifica uniuscuiusque viventis, qua statim omnes differentiae specificae accuratissime cognoscerentur, *conc.* (haec microorganisatio nos latet); non manifestantur accidentibus propriis seu proprietatibus, quae in decursu evolutionis individui viventis apparent et constanter adsunt, quibus imperfecte cognoscimus differentias specificas, *nego.*

3. Atqui proprietates, quae in viventibus in decursu evolutionis individui apparent, non sunt proprietates specificae. *Probo.* Non sunt proprietates specificae, quae in omnibus insunt, in multis latenter, in quibusdam autem extrinsecus apparent secundum climatis, nutrimenti etc. circumstantias. Atqui ea, quae in diversis viventibus apparent, ut ratio in homine, diversi sensus in brutis et etiam diversi organisationis typi externi stabiles, non tantum nunc, sed etiam per periodos geologicas praecedentes, optime dicuntur inesse in omnibus, in multis latenter, in quibusdam autem apparere faventibus circumstantiis. Ergo. *Resp. Conc. mai.; dist. min.*. Hoc optime diceretur, si non esset contra naturam: viventia diversa per se non habere vires suas conaturales et typum suum conaturalem, *conc.*; si est contra naturam, *nego. Dist. consq.*

Bibliographia ad 608—611: *K. Beurlen*, Die stammesgeschichtlichen Grundlagen der Abstammungslehre, Jena 1937. *A. Breitung*, De Darwinismo et evolutione, Gr 7 (1926) 354—392; 549—580. *H. Conrad-Martius*, Ursprung und Aufbau des lebendigen Kosmos, Salzburg-Leipzig 1938. *Ead.*, Die Abstammungslehre, München 1949. *H. Lebrun*, La crise du transformisme, RNSPh 18 (1911) 58—89. *Id.*, Néo-Darwinis-

me et Néo-Lamarckisme, RNSPh 19 (1912) 379—403; 489—514. *Id.*, La théorie de la mutation, RNSPh 21 (1914—1919) 281—303; 419—440. *L. J. Moreau*, Les théories transformistes et la philosophie thomiste, RPh 39 (1939) 199—232; 311—334. *G. C. Robson - O. W. Richards*, The Variation of Animals in Nature, London 1936. *J. Ude*, Potestne corpus hominis originem habere a bruto?, Xenia thomistica I, Romae 1925, 205—237. *F. Vial*, L'évolutionisme et les formes présentes, RSPhTh 9 (1920) 5—33. *Id.*, L'évolutionisme et les formes passées, RSPhTh 11 (1922) 5—39.

Ad 609 sqq. *S. Thomas:* « Prima formatio humani corporis non potuit esse per aliquam virtutem creatam, sed immediate a Deo. Posuerunt siquidem aliqui formas quae sunt in materia corporali, a quibusdam formis immaterialibus derivari. Sed hanc opinionem repellit Philosophus in VII Metaphys. [8, 1033 b 3; 9, 1034 b 7; S. Thom. lect. 7] per hoc quod formis non competit per se fieri, sed composito, ut supra [q. 45, 8; 65, 4; 90, 2] expositum est; et quia oportet agens esse simile facto, non convenit quod forma pura, quae est sine materia, producat formam quae est in materia, quae non fit nisi per hoc quod compositum fit. Et ideo oportet quod forma quae est in materia, sit causa formae quae est in materia, secundum quod compositum a composito generatur. Deus autem, quamvis omnino sit immaterialis, tamen solus est qui sua virtute materiam producere potest creando. Unde ipsius solius est formam producere in materia absque adminiculo praecedentis formae materialis. Et propter hoc angeli non possunt transmutare corpora ad formam aliquam, nisi adhibitis seminibus quibusdam, ut Augustinus dicit in III de Trin. [c. 8, 9]. Quia igitur corpus humanum numquam formatum fuerat, cuius virtute per viam generationis aliud simile in specie formaretur, necesse fuit quod primum corpus hominis immediate formaretur a Deo » (S. th. I 91, 2). His S. Thomas docet corpus humanum non posse disponi ad animae humanae infusionem nisi ab hominibus generantibus aut a solo Deo, quod est doctrina nostra, tradita schol. 4. Sed praeterea S. Thomas principium fundamentale hic enuntiat, quo nituntur theses nostrae 60 et 61: corpus vivens non posse oriri nisi generatione ex alio corpore vivente eiusdem speciei, aut interventu causae primae, quo excluduntur generatio aequivoca et descensus unius speciei (naturalis) ex alia. S. Thomas non admittit nisi generationem aequivocam late dictam, quae etiam ipsa est per interventum causae primae, quatenus causa prima cum materia (praeternaturaliter) communicat vim quandam seminalem, quae actione angeli et corporis caelestis evolvitur, id quod in textu citato indicatur verbis: « Angeli non possunt transmutare corpora ad formam aliquam, nisi adhibitis seminibus quibusdam. »